

E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
LXXIII

DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXVIII PARS

Ostpr. Fol., vol. 46, 57, HBA, B, K. 1185, 1186, a.1563-1564

ediderunt

CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 9

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectiva descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1985

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.
- IV — *Res Polonicae Elisabethae I Angliae Regnante Conscripae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.
- VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscripae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.
- VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.
- VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.
- IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. Koczy, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.
- X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.
- XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.
- XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.
- XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.
- XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.
- XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.
- XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.
- XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.
- XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.
- XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VI pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab., 1968.
- XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, II pars. Ed. C. LANCKORŃSKA et G. STEEN JENSEN, 266 doc. (A.D. 1577-1696), 4 tab., pp. VI+324, 1969.

E L E M E N T A
AD FONDITIUM EDITIONES
LXXIII

DOCUMENTA EX ARCHIVIO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXVIII PARS

Ostpr. Fol., vol. 46, 57, HBA, B, K. 1185, 1186, a.1563-1564

ediderunt

CAROLINA LANCKORŃSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 9

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKORŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

INDEX RERUM

Introductio	Pag.	VII
Abbreviationes	»	IX
Textus	»	3
Elenchus epistularum	»	233
Index personarum et locorum	»	241

INTRODUCTIO

Hoc LXXIII volumine Elementorum ad Fontium Editiones, seriei vero nostrae «Regiomontanae» parte XXXVIII, continuamus editionem epistularum Alberti in Prussia ducis, ad regem et reginam Regnique Poloniae ac Magni Ducatus Lithuaniae procures, nobiles, cives, magistratus et alios annis 1563-1564 datarum, quarum exempla in copiariis Latinis et Germanicis (Ostpr. Fol., vol. 46, 57) et in scriniis concepta continentibus (HBA, B, K. 1185, 1186) Archivi Regiomontani (nunc Berolini asservati) custodiuntur.

Ex 330 epistulis, duobus illis annis datis, maxima pars (128) Sigismundo Augusto regi Poloniae destinata erat. Ad argumenta quod attinet, quae in scriptis hoc volumine publicatis agitantur, haec magna ex parte eadem sunt, quae in prioribus etiam voluminibus fere omnibus occurrunt. Multis itaque epistulis, a duce Alberto datis, commendantur tam ipsius ducis quam regis subditi (interdum etiam homines peregrini), qui commendationem et intercessionem expetentes permulti ad ducem Prussiae confugiunt. Eiusmodi epistulas commendaticias et intercessorias maxima ex parte hic quoque in brevibus tantummodo summariiis publicare visum est. In aliis non paucis epistulis tractatur de controversiis finium et aliis (v. ex gr. N. 5746 de «piscatu anguillari»), de teloneis, de oppignerandis districtibus seu praefecturis, de quaestionibus cum religione coniunctis etc. etc.

Quod vero ad publicas maiorisque momenti res attinet, in hoc etiam volumine non parum loci dedicatur rebus novis in Livonia constitutis. Post mortem enim archiepiscopi Rigensis Gulielmi et Ducatu Curlandiae et Semigalliae, Regni Poloniae feudatario, a. 1562 in Livonia instituto (solum a Revaliensibus, qui ad Sueciam defecerunt, non agnito), Christophorus dux Megapolensis, coadiutor Rigensis, nec regis Poloniae patrocinium, nec Gottardi ducis Curlandiae auctoritatem agnoscere voluit, sed ad Ericum XIV regem Sueciae se convertit, quamobrem iussu regis Rigae in custodia detinebatur, archiepiscopatus autem Rigensis, capite suo naturali destitutus, vacabat. Cum illa ducis Christophori captivitate singularis sane casus Nicolai Christophori Radziwiłł, filii palatini Vilnensis, Nicolai «Nigri», coniunctus est. Rex enim Sueciae Ericus, ut coadiutoris Rigensis ex custodia Polona liberationem eo facilius extorqueret, adulescentis palatinidis Vlnensis, Argentorati in celeberrima illius civitatis schola bonis litteris ediscendis operam navantis, raptum et abductionem moliri in animum induxit. De quo periculo filio imminente dux Albertus patrem per litteras 14.IX.1564 datas (v. N. 5767) tempestive praemonuit. De his ergo rebus et de periculo, quod inde ex parte regis Sueciae regi Poloniae subverendum erat, in permultis hic editis documentis sermo saepe occurrit.

Non paucae epistolae a duce Alberto maximam partem ad ipsum regem scriptae sunt de miro sane atque insolito Erici ducis Brunsvicensis instituto, qui non requisitus nec rogatus cum exercitu suo regi Poloniae contra Moscum, ut affirmabat, auxilio venire constituit et in hoc consilio suo ad effectum deducendo usque adeo processit, ut ditiones regis cum non contemnendis copiis suis

et apparatu bellico ingredi non sit veritus. In non paucis praeterea epistulis scribitur de societate bellica inter reges Daniae et Poloniae contra Moscum et Suecum instituenda, necnon de conventu Rostochiensi, in quo de pace inter reges Sueciae et Daniae ineunda et de rege Poloniae eadem pacificatione etiam complectendo tractabatur.

C.L.

ABBREVIATIONES

El.	Elementa ad Fontium Editiones
H B A	Herzogliches Briefarchiv
M.D.L.	Magnus Ducatus Lithuaniae
Ostpr. Fol.	Ostpreussische Folianten
R.P.	Regnum Poloniae
S.l.	Sine loco

TEXTUS

1563

N. 5486.

S.l., 6.I.1563.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

*adolefcentem Casparem Brzozowski sibi ab eo commendatum, licet nunc aula
sua nimia puerorum copia laboret, in gratiam eius in numerum aulicorum
suorum se recepturum esse nuntiat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 247

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5487.

S.l., 7.I.1563.

Albertus dux in Prussia

Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,

*litteras eius, quibus de Comitiorum processu se certiozem reddidit, se accepisse
nuntiat et petit, ut etiam in posterum scitu digna communicet; de exsecutio-
ne bonorum, quae hucusque pro hereditariis tenebantur, dolet; in negotio
de oppignoratione praefecturae Soldaviensis primae petitionis eius parti se
annuere non posse, alteram vero libenter acceptare significat.*

Cfr. El. XLI, N. 1866.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Salutem et benevolentiam nostram.

Nobilis ac Generose, fidelis nobis dilecte.

Ex literis Generositatis Vestrae, vicesima prima Decembris anni proxime elapsi Petricoviae datis, primum quousque in praesentibus Comitiiis¹⁾ consulando progressi sitis, libenter cognovimus. Qua in re Generositas Vestra se nobis officium pergratum, nostraque vicissim gratia ac benevolentia compensandum, praestitisse omnino sibi persuasum habeat. Utque idem in posterum etiam ad exitum usque Comitiorum faciat ac singula, quae nos scire velle intellexerit, ad nos pari cura ac diligentia perscribat, gratiose postulamus. Minime vero iucundum nobis cognitu fuit fatale illud et prorsus inopinatum

Generositatis Vestrae, cum multis tamen commune infortunium, quod iis bonis, quae hucusque pro hereditariis tenuerit, pro regiis cognitis, exuta et privata sit, nec leviter adverso hoc Generositatis Vestrae et aliorum fato pro singulari nostra benevolentia, qua cum Generositatem Vestram, tum reliquos omnes complectimur, affecti sumus, sique ea in re aliquid vota prodesse possent, aequiorem Generositati Vestrae et ceteris fortunam fuisse plane optaremus. Cum autem hoc tempore sic se res dederit, et quidem illud malum cum multis Generositati Vestrae sit commune, humanius istud Generositas Vestra feret magnoque et forti animo pro heroica sua natura vincet et patriae amore sarciet.

Quod porro iisdem in literis Generositas Vestra propensam suam erga nos voluntatem ac singulare studium et observantiam, quibus inducta nusquam libentius quam in Ducatu nostro vitam degere velit, pluribus declarat, ideoque praefecturam Soldaviensem duabus condicionibus, aut iure feudi sibi et liberis suis masculis, quos duos habet²⁾, et deinceps omnibus masculis ex iis procreatis, pro quadraginta millibus istis talerorum, ita tamen, ut extincta prole mascula eiusdem possessio absque pecuniae restitutione ad nos redeat, in possessionem dari, aut ad condicionem a nobis propositam hanc etiam in literis seu privilegio adiici petit, ut quemadmodum Generositas Vestra annuo spatio, antequam fiat exemptio, de ea per nos certior reddi debet, ita vicissim si Generositas Vestra sua sponte eam deserere et commigrare velit, de accipienda pecunia, facta tamen anno ante a Generositate Vestra denuntiatione, confirmetur. Ad id paucis Generositati Vestrae respondendum esse duximus.

Gubernationem nostram Generositati Vestrae adeo probari, ut et se et liberos suos nobis subiicere et in Ducatu nostro vitam transigere cupiat, vehementer nobis gratulamur. Nihil enim magis expetimus, quam ut omnia consilia et actiones nostrae primum Deo, deinde etiam optimis quibusque sapientissimisque viris, quos in Ducatu nostro multos esse cupimus, probentur. Non possumus autem primae petitionis Generositatis Vestrae parti multis iisdemque gravissimis de causis, quas hic recenseri supervacaneum esse arbitramur, annuere. Alteri parti, quod Generositas Vestra non iniquum nobis petere videatur, libenter annuimus, eaque condicio in privilegio inter ceteras ut inseratur, clementer mandabimus.

Ad praemissa decem millia talerorum Turoniae nostro nomine accipienda ad praestitutum decimum quintum mensis Ianuarii diem aliquem ex nostris mittemus, sique, quominus summa ista integra sit (quod tamen non futurum esse putamus), aliquid desiderabitur, id quantum fuerit, legatis nostris huc perferendum id tradat, aut Turoniae apud civem aliquem, unde id repeti possit, deponat.

Et haec sunt, quae Generositati Vestrae respondenda esse censuimus. Ex iis, qua animi propensione erga eam feramur, Generositatem Vestram non difficulter perspecturam, ideoque diligentem operam daturam esse, ut negotia nostra ei in his Comitibus summae curae esse intelligamus, omnino confidimus. Quod etiam in posterum gratia et benevolentia nostra clementer compensabimus. Datae.

Ex commissione Cancellarii³⁾, idem audivit
Item Princeps praesente Praesidente

In folio separato: Raphaeli a Leschno, Capitaneo Soldaviensi, 7 Ianuarii anno etc. 63.

1) Agitur scil. de Comitibus Regni a 30.XI.1562 usque ad 25.III.1563 celebratis.

2) scil. Ioannem et Andream, ex primo matrimonio conceptos.

3) Ioannes a Kreitzen.

N. 5488.

E Regio Monte, 9.I.1563.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł; palatino Vlnensi, M.D.L. cancellario,
pro studio et diligentia, in promovendo negotio Casparis a Münster, provincialis
olim Livoniae marscalci, adhibita, gratias agit; eundem marscalcum, in
summa angustia versantem, iterum commendat et rogat, ut pensio ei ex
teloneo Caunensi assignata ipsi tandem «vel hebdomadatim vel singulis
mensibus» numeretur, et ut bona ei in Lithuania in possessionem tradita
recuperare possit.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5489.

S.l., 10.I.1563.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, Ioanni Ocieski, R.P.
cancellario,*

*pro Ambrosio Schlichting, cive Gedanensi, cum quibusdam concivibus suis per
aliquot iam annos causam in iudicio habente, ut ius suum, regia sententia
et decreto iam semel impetratum, tandem obtinere queat.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5490.

S.l., 22.I.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Moldaviae [Iacobo Heraclidi Basilico]

*pro obsequiis erga se eius et «elegantibus muneribus», per internuntium sibi
allatis, gratias agit; studium eius «de constituenda communis concordiae
ratione» et «vicinorum populorum tranquillitate» laudat; per eundem
internuntium officia sua ei vicissim offert.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5491.

S.l., 25.I.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

*litteras eius, 5.IV. et 17.XI.1562 a. datas, se accepisse nuntiat et, cum ad similis
argumenti litteras iam prius ei responderit, ad eas nunc iterum respondere
supervacaneum arbitratur; de adiutrici opera magistro Weigelio «in negotio*

sacramentario» *promissa gaudet; de annua pensione*, «instigatoribus pontificiis» *apud reginam Angliae ei adempta, dolet, eam tamen iacturam se ei sarcire non posse scribit et rogat, ut se «pro hac vice» excusatum habeat. (Schedula: pro litteris, 12.XII. datis et novitatibus in eis perscriptis gratias agit; pro dono 200 florenorum tanta gratiarum actione ad se opus non fuisse scribit).*

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus etc.

Reverende et Eximie, Amice nobis sincere dilecte.

Literas Reverendae Dominationis Vestrae binas die 14 Ianuarii accepimus, unas quidem pervetustas, 5 Aprilis in Rhetia scriptas, alteras 17 Novembris Tubingae datas. Quod ad priores attinet, meminimus eiusdem argumenti literas de rebus Gallicis, de protectione Reverendae Dominationis Vestrae in Rhetiam et propositionibus Concilii Tridentini sub autumnii initium a Reverenda Dominatione Vestra nobis allatas fuisse ac de mense Octobri ad eas nos respondisse, ut repetitionem illarum supervacaneam hic esse existimemus. Agimus autem Reverendae Dominationi Vestrae gratias, quod nullam scribendi ad nos occasionem negligit. Qua quidem in re pristinam eiusdem in nos propensionem non remissiorem esse factam perspicimus, utque ita pergat Reverenda Dominatio Vestra, amanter petimus.

Quod Reverenda Dominatio Vestra alteris suis litteris recipit se M[agistro] Weigelio¹⁾ in negotio sacramentario (licet causa sit gravissima) non defuturam, in eo nobis non minus gratum quam rebus aliis in omnibus factura est.

De pensione ducentorum coronatorum annua, instigatoribus pontificiis apud Serenissimam Angliae Reginam²⁾ Reverendae Dominationi Vestrae adempta, non possumus non vehementer Reverendae Dominationi Vestrae condolere. Plane autem confidimus Reverendam Dominationem Vestram pro pietate sua momentaneam hanc iacturam ita laturam esse, ut inde animo se affici minime passura sit. Quod vero Reverenda Dominatio Vestra liberalitate nostra eam sibi pensionem annuatim pro arbitrio nostro sarciri petit, in eo Reverenda Dominatio Vestra illud sibi de nobis certo persuadeat nos ita erga illam propendere, ut rebus in omnibus possibilibus postulata illius magnum apud nos pondus habeant. Latere autem Reverendam Dominationem Vestram nolumus ita nos quotidianis sumptibus ac fere infinitis exhauriri, ut aulam etiam nostram cum annuis pensionibus nonnihil contrahere coacti simus. Amanter itaque Reverendam Dominationem Vestram petimus, ut nos pro hac vice excusatos habeat, quod postulatis illius annuendi facultas nos deficit, neque secus illud ipsum accipiat, sed necessitati nostrae et horum temporum difficultati asscribat. Quod si in posterum aura serenior, uti speramus, nobis affulserit, clementiam nostram (quantum rationes nostrae ferent) erga Reverendam Dominationem Vestram claudi non patiemur. Atque haec Reverendae Dominationi Vestrae, quam feliciter valere exoptamus, respondenda esse duximus. Datae.

Cedula

In harum consignatione redditae nobis sunt Reverendae Dominationis Vestrae literae, 12 Decembris Tubingae datae, ex quibus cum inter cetera pleraque nova antea quoque ab aliis ad nos perscripta intelligamus, gratias Reverendae Dominationi Vestrae habemus eas, quas par est, pro iis omnibus proque studio in nos singulari suo. Quod vero ad gratiarum actionem Reve-

rendae Dominationis Vestrae pro donario ducentorum florenorum attinet, ea opus ad nos non fuisset. Pro nostra enim in Reverendam Dominationem Vestram clementia in possibilibus libenter ei gratificamur. De pensione autem, quam Reverenda Dominatio Vestra in proximioribus quoque literis suis annuatim a nobis petiit, hisce literis nostris respondemus. Quod responsum nostrum, pro rationumstrarum conditione et horum temporum difficultate, aequi bonique laturam esse Reverendam Dominationem Vestram minime dubitamus. Datum ut in literis.

Relatio B[althasaris] G[ans],
Secretarius

In folio separato: Vergerio, den 25^{ten} Ianuarii anno etc. 63.

1) *Agitur fortassis de magistro Georgio Weigel* 2) *Elisabeth I.*
(cfr. *El. LXXII*, N. 5426).

N. 5492.

S.l., post 27.I.1563.

Albertus dux in Prussia
Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,
petitioni eius, litteris 27.I. Petricovia ad se datis factae, ut residua decem milium
talerorum summa, in oppignorationem praefecturae Soldaviensis sibi nu-
meranda, non Toruniae, sed Petricoviae legatis suis ad Comitiam Regni Polo-
niae missis numeretur, se satisfacere non posse nuntiat («distat enim Petri-
covia a nostris finibus non brevi intervallo, et illa hominum est malitia,
ut non absque discrimine et periculo tanta pecunia possit transportari»);
gratias agit pro novitatibus ex Comitibus sibi communicatis; commendatae
sibi viduae olim pastoris Neidenburgensis eiusque liberorum rationem se
habuisse significat; negotia sua in Comitibus promovenda commendat et
legatos illic suos adiuvari petit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5493.

S.l., post 27.I.1563.

Albertus dux in Prussia
Martino Zborowski, castellano Cracoviensi,
pro litteris gratias agit; ad dignitatem castellani Cracoviensis evecto «summum
illud honorum fastigium» gratulatur; scribit praeterea se magna cum vo-
luptate cognovisse, aliquid in Comitibus Petricoviensibus susceptum esse,
«quo rite confecto aeternam sibi gens Polona gloriam comparatura sit».

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1870.

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5494.

S.l., 28.I.1563.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

se litteras eius, 8.I. Grodnae datas, accepisse nuntiat et de infirma eius valetudine dolet; pro litteris suis reginae Catharinae redditis et negotio ei comisso apud eandem reginam expedito, necnon pro novitatibus sibi communicatis, gratias agit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5495.

S.l., 28.I.1563.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

pro litteris, 20.I. datis, et perscriptis novitatibus, per Bernardum Pohibel sibi allatis, necnon pro quattuor equis, gratias agit; etiam in posterum res novas sibi communicari petit, licet et ab internuntiis suis, ad Comitata Regni Petricoviam missis, similes aliquando novitates accipiat («ist uns doch umb des willen geduppelt lesen nicht zuvil, weil immer einer eigentlicher und klarer von dingen als der ander schreibet»).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5496.

E Regio Monte, 3.II.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R. P. vicecancellario,

pro litteris humanitatis et officii plenis et salutatione obsequiisque per cubiculum et consiliarium suum, Fridericum a Kanitz, sibi allatis gratias agit.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1868.

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5497.

S.l., 4.II.1563

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,

significat se litteras eius, 26.I. Petricoviae datas, accepisse et tam ex illis quam ex Friderici a Kanitz, oratoris sui ad Comitata Regni ablegati, relatione oretenus facta, intellexisse, quantopere ipse eundem oratorem suum apud regem opera sua adiuverit; pro qua erga se animi propensione et in promovendis negotiis suis diligentia gratias agit.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1869.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5498.

S.l., 11.II.1563.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,
pro incolis Jurborgensibus et Novawoliensibus, qui se maiore exactione pecunia-
ria quam cives aliorum Lithuaniae oppidorum gravari queruntur (ita ut
metuendum sit, «nisi mitius cum illis actum fuerit, ne ad eiusmodi egesta-
tem redigantur, ut etiam solvendo nobis futuri non sint eum censum,
quem ex impignoratione hypothecaria nobis in proximo termino debe-
bunt»), intercedit et rogat, ne extra sortem suam premantur.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5499.

S.l., 15.II.1563.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
de morte fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, qui «die 4 Februarii pie
in Christo obdormivit», certiore eum reddit; virtutes et merita eiusdem
fratris sui laudat et aeternam illum beatitudinem certo consecuturum esse
sperat; archidioecesim Rigensem, capite suo destitutam, curae et patrocinio
eius committit («siquidem S. Regia Maiestas... a Magno Lithuaniae Duca-
tu nunc abest»); rogat, ut «de expeditione et rebus Moschi, quantum
scire licet», sibi communicet.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5500.

S.l., 5.II.1563.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*pro novitatibus ex Gallia et Germania sibi communicatis et pro litterulis palatini
Marienburgensis manu propria exaratis gratias agit.*

*(Schedula: miratur Regni Poloniae cancellarium in duobus tantum equis
ad Comitata advenisse).*

Ostpr. Fol., vol. 46.

An Erhard von Kunheim, den 5 Februarii anno 63 etc.

Wir haben von dir zwei schreiben bekommen und aus dem einen allerlei
zeitung, sonderlichen wie es mit eroberung der stadt Roan¹⁾ zungen, also
auch wie das pancket zu Franckfurt²⁾ gehalten, auch wess der von Conde³⁾
bei der key.mt.⁴⁾ und churfursten zu Franckfurt suchen lassen, und wess dem
mehr anhengig. Nun thun wir uns der bescheenen mitteilug, also auch des
zugeschickten zedels des herren marienburgischen woiwoden⁵⁾ eigen handt

in gnaden bedancken. Seints auch gegen deiner person in gnaden abzunehmen und zu erkennen erbittigk. Und begeren, wess weiter furfelt, uns ider zeit mitteilhaftig zu machen.

Was das ander dein an uns gethanes schreiben anlanget, dorauf haben wir beiligende mit eigener handt beantwortet. Und haben dir solches in gnaden zur antwort nicht bergen wollen etc.

Relatione Secretarii
Idem legit

D. Gercke

Cedula in Kunheims brief

Daneben wollen wir dir gnediglichen nicht vorhalten, das alhie geredet wirt, als solle der groschantzler⁶⁾ nurt mit zweien pferden auf den reichstagk einrithen sein, welchem wir keinen glauben geben können. Begeren derhalben gnedigst, du wollest uns, wess die ko.mt. zu Polan, unser gnedige frau⁷⁾, ditzfals fur gewisse kundtschaft haben, in vortrauen berichten. Dartan thustu uns zu besondern gnedigen gefallen. Und seint es in gnaden abzunehmen gewogen etc.

Commissio Principis propria

B. Ganss Secretarius

- 1) *Agitur de obsidione civitatis Rhotomagensis (Rouen), quae a Carolo Lotharingiae duce sub finem a.1562 oppugnabatur.*
- 2) *Conventus S.R. Imperii electorum cum imperatore Francofurti ad Moenum a.1562.*

- 3) *Henricus I, dux de Condé (1552-1588).*
- 4) *Ferdinandus I.*
- 5) *Achatius Czema.*
- 6) *Ioannes Ocieski (†12.V.1563).*
- 7) *Catharina.*

N. 5501.

S.l., 16.II.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

editionem libri, a Paulo Scalichio, consiliario suo, conscripti, famae et existimationi Ambrosii Guagnini nocituri, impediri non potuisse nuntiat, cum litterae regiae nimis sero pervenerint; eundem Guagninum, quamvis per se iam satis regi commendatum, ob ipsius rerum bellicarum peritiam laudat et commendat.

(Schedula: de sententia Adolphi ducis Holsatiae iam prius regi perscripta et nullo responso ad eam accepto; de causis, ob quas Christophorus dux Megapolensis, coadiutor Rigensis, nec legatum suum ad Comitum Regni Poloniae miserit, nec aliis hac in re mandata dederit).

Cfr. El. XXXII, N. 856.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime etc.

Literas S. Regiae Maiestatis Vestrae, XXIII^a Ianuarii Petricoviae datas, debita cum reverentia accepi, quidque in negotio nobilis Ambrosii Guanini Itali¹⁾, quod habuit cum Magnifico ac Generoso Paulo Scalichio, consiliario meo, fideli mihi dilecto, de editione cuiusdam libri, quem ille famae et existimationi suae nocitum putat, a me fieri voluit, intellexi. S. autem

Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum eam editionem, cum antequam S. Regiae Maiestatis Vestrae literae mihi redditae sunt perfecta fuerit, inhiberi non potuisse, sed eam tamen curam et diligentiam a me adhibitam esse, ut inter sese convenerint et negotium illud amice et placide compositum ipsique Guanino satisfactum sit.

Ceterum cum ex iisdem S. Maiestatis Vestrae Regiae literis intellexerim hunc ipsum Guaninum servitia sua S. Regiae Maiestati Vestrae fideliter hactenus praestitisse, ut S. Regiae Maiestati Vestrae propterea sit commendatissimus, atque ego insuper ex mutuo illius colloquio, ubi de multis ac variis rebus cum eo contuli, militiae et rerum bellicarum eum non solum peritum, sed etiam ad militares operas exercendas promptum atque paratum esse cognoverim, facere non potui, quin ad S. Maiestatem Vestram Regiam (quam recte et utiliter turbulentis hisce temporibus illius opera uti posse arbitror), quamvis per se iam satis commendatum, etiam mea commendatione eum prosequerer. Quam ob rem S. Regiam Maiestatem Vestram submisso peto, ut digno alicui officio, in quo virtus illius conspici possit, eum praeficere proque obsequiis illius, quae procul dubio S. Regiae Maiestati Vestrae fideliter praestabit, gratia atque clementia regia complecti dignetur. Factura S. Regia Maiestas Vestra rem meo quidem iudicio temporibus hisce convenientem, subditis meis officiis vicissim promerendam. Ipse vero Guaninus operam daturus est sedulo, ne S. Regiam Maiestatem Vestram clementiae ipsi exhibitae paeniteat. His S. Regiam Maiestatem Vestram feliciter valere atque imperare vehementer cupio. Datae.

Principi sic placuit et Celsitudo
Sua commisit.

In folio separato: Regi Poloniae, XVI Februarii anno LXIII^o.

Schedula, 18.II.1563 (cfr. El. XXXII, N. 858, sched. II):

Quod S. Regia Maiestas Vestra in schedula, literis suis proximis inclusa, de sententia Ducis Adolphi²⁾ certior fieri cupit, non possum S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare, quod ea de re diligenter iam pridem ad Illustritatem Suam scripsi, verum hucusque responsum nullum obtinui. Quam primum allatum ad me fuerit, dabo operam, ut S. Regiae Maiestati Vestrae ocus perferatur.

Quid causae sit, quod Illustris Dominus Dux Megapolensis, archiepiscopus Rigensis Coadiutor³⁾, ad haec Comitata Regni Poloniae nec legatum ullum miserit, nec aliis etiam mandata dederit, divinare non possum, nisi forte absentia Suae Illustritatis in causa fuerit. Nam proficiscentibus ex Livonia legatis, qui iam istic praesto sunt, nondum Illustritas Sua in Livoniam redierat, sed dum hic Regiomonti subsistunt legati, literae de Suae Illustritatis in Livoniam reditu afferebantur. Multo minus autem, quid faciat quidve animi habeat Sua Illustritas, scire hactenus potui praeter id, quod proximis literis meis S. Regiae Maiestati Vestrae significavi. Hac ipsa tamen hora ad me perlatae sunt literae, quibus scribitur constantem per Livoniam rumorem esse Ducem Christophorum ius suum, quod in archidioecesi Rigensi habuit, Regi Sweciae⁴⁾ accepta pecunia cessisse et nunc id agere idque moliri sedulo, ut archiepiscopatum nomine eius Regis occupet, opperiri eum duntaxat occasionem, quae nunc mortuo Reverendissimo Domino Archiepiscopo, fratre meo charissimo⁵⁾, satis commoda et optata offertur. Additur etiam Regem Sweciae Wandam et Wolmariam urbes tentaturum et Ducis Christophori, tanquam subditi sui Principis et acceptati servitoris, opera eam ad rem usurum.

Quae cum ita se res habeat, censeo omni ratione S. Regiae Maiestati Vestrae providendum et curandum, ne quid detrimenti archidioecesis capiat, utque S. Regia Maiestas Vestra ius suum tam contra Regem Sweciae, quam Ducem Christophorum tueatur, omniaque sarta tecta conservet, inprimis autem arces muniendas et conservandas curet Ducemque Christophorum, si quid inceptabit, debitum modis reprimere et persequi non desistat. Quae quidem S. Regiae Maiestati Vestrae pro debito meo officio et fide celare subdite non potui. Quam Christus Optimus Maximus diutissime incolumem tueatur. Datum ut in literis.

Princeps audivit

In folio separato: Cedula in literis ad Regem Poloniae, 18 Februarii 63.

- | | |
|---|-------------------|
| 1) rothmagister regius, pater Alexandri Guagnini
(Gwagnin), rerum gestarum scriptoris. | 3) Christophorus. |
| 2) dux Holsatiae. | 4) Ericus XIV. |
| | 5) Gulielmus. |

N. 5502.

S.l., 18.II.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

excusat se et respondet, cur ad litteras regias, 3.VII.1562 a. pro Ioanne Wietwiński ad se datas, responsum non sit; terrestri iudicio suo Hohensteinensi serio se iniuncturum esse nuntiat, ut causa subditi regii quam primum, habita cognitione, diiudicetur et ipse ius suum absque omni longiore dilatione consequatur.

(Latine)

Cfr. El. XXXI, N. 744; El. XXXII, N. 858.

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5503.

S.l., 21.II.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Vlnensi [Nicolao Radziwiłł «Nigro»]

servitorem suum ad eum mittit, ut «hostis Moschi conatus et machinationes, necnon rerum bellicarum statum» cognoscat et sibi referat; rogat igitur, ut non solum hoc tempore per eundem servitorem suum, sed etiam in posterum «de belli Moschovitici eventibus» per omnem occasionem se certiolem reddat et omnes litteras ad se pertinentes ad Eustachium Wołłowicz mittat, qui eas sibi perferendas curabit (cfr. N. seq.).

Conc., H B A, B, K. 1185.

Officia nostra amica ac fraterna et quidquid grati praestare possumus. Illustris Princeps, Amice ac Frater singulariter nobis dilecte.

Cum hactenus partim ab Illustritate Vestra, partim ab aliis de inusitata tyrannide atque immanitate crudelissimi hostis Moschi multa ac varia ad nos perscripta sunt (pro quo humanitatis officio Illustritati Vestrae ingentes

agimus gratias), ut omnino diligenti cura atque animadversione in observandis illius practicis et conatibus ad declinanda imminencia pericula opus esse existimemus, adeoque nostra, ut quid quoquo tempore geratur sciamus, plurimum intersit, ablegavimus ad Illustritatem Vestram praesentium exhibitorum, servitorem nostrum fidelem nobis dilectum, Erasmum Baumgarten, eique iniunximus, ut ab Illustritate Vestra, nostris verbis officiose salutata, hostis Moschi conatus et machinationes, necnon rerum bellicarum et hostis statum, quantum quidem eius fieri posset atque liceret, cognosceret nobisque debita fide singula vicissim referret et exponeret.

Quam ob rem Illustritatem Vestram maiorem in modum amice ac fraterne rogamus, ut non solum hoc tempore per dictum servitorem nostrum, sed etiam posthac semper, de belli Moschowitici eventibus, et quicquid nos scire oportere putarit, pro necessitudine ac fraternitate nostra quam primum nos certiores reddat, quo impendentibus forte periculis ac impiis saevissimi hostis conatibus temporius occurrere ac crudele eius propositum maturis et tempestivis consiliis impediri ac declinari possit. Scripsimus autem ad Magnificum ac Generosum, syncere nobis dilectum Dominum Osstaphium Volowitz etc., (cui interim gubernationem Vilnae concessam esse cognovimus), ut si quas literas ad nos pertinentes Magnificencia Sua acciperet, ocus illas ad nos perferri curaret. Cui ut Illustritas Vestra literas suas, quoties ad nos scripserit (optamus autem id fieri saepissime), transmittere dignetur, amice fraterneque petimus. Hoc nos vicissim omnibus amicis ac fraternis studiis promereri conabimur. Quod reliquum est, Illustritatem Vestram Deo omnipotenti diu salvam ac incolumem conservandam committimus, eundemque, ut copiis regiis fortunam et felices rerum successus largiatur, ardentibus votis etiam atque etiam precamur. Datae.

In folio separato: Palatino Vilnensi, 21 Februarii 63.

N. 5504.

S.L., 21.II.1563.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. marscalco et thesaurario,

nuntiat se servitorem suum ablegasse, ut in castra regia ad cognoscendum belli Moscovitici statum proficisceretur; rogat, ut omnes litteras sibi inscriptas, tam a Nicolao Radziwiłł quam ab aliis ad eum missas, ad civem quendam Caunensem, cuius nomen ab eodem servitore suo ei indicabitur, sibi perferendas mittat (cfr. N. praeced.).

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus etc.

Salutem ac benevolentiam nostram.

Magnifice ac Genereose, Amice sincere nobis dilecte.

Cum multa ac varia de inusitata hostis Moschi crudelitate atque tyrannide ab aliquibus ad nos perscripta sint, ut omnino vigilantia atque animadversione hac in re ad evitandas et declinandas impias et immanes illius machinationes opus esse videatur, ablegavimus praesentium exhibitorum Erasmum Baumgarten, servitorem nostrum fidelem nobis dilectum, ut in castra regia

ad cognoscendum huius belli statum proficisceretur. Cum autem ad Illustrem Principem, amicum ac fratrem nostrum singulariter nobis dilectum, Dominum Nicolaum Radzivil, Ducem in Olyka etc., et item ad alios, ut nobis quicquid quolibet tempore gereretur communicarent, scripserimus, quo tanto certius et quidem absque longiore mora Illustritatis Suae et reliquorum etiam literae ad nos perferrentur, Illustritati Suae et ceteris significavimus, ut eas Magnificentiae Vestrae nobis porro transmittendas reddi curarent.

Quam ob rem Magnificentiam Vestram rogatam habemus, ut hac in re nobis se facilem praeberet ac omnes literas ad nos pertinentes, quam primum eas acceperit, ad civem istum Caunensem, cuius nomen dictus servitor noster Magnificentiae Vestrae indicabit, transmittere ac pro sua etiam persona, quicquid de practicis Muscoviticis resciverit, quantum eius honeste fieri poterit atque integrum fuerit, ad nos perscribere dignetur. Fecerit hac in re nobis Magnificentia Vestra officium non solum praeclarum, sed quod etiam omnibus amicis studiis ac benevolentia nostra promovere bimus. Cupimus Magnificentiam Vestram diu feliciter valere. Datae.

Cancellarius legit

In folio separato: Ad Osstaphium Volowitz, XXI Februarii anno 63.

N. 5505.

S.l., I.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, in regem molitionibus dolet et nuntiat se duos consiliarios suos ad eundem ducem ablegaturum esse eisque mandaturum, ut eum ab instituto ipsius omnibus argumentis et rationibus amoveant; de eadem re ad fratrem quoque ipsius et generum suum, Ioannem Albertum ducem Megapolensem, se scripsisse significat.

Cfr. El. XXXII, N. 860.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Litterae S. Regiae Maiestatis Vestrae, XIII Februarii Petricoviae datae, per S. Regiae Maiestatis Vestrae veredarium XXVII eiusdem mensis die mihi sunt redditae. Ex quibus quae de instituto ac proposito Domini Christoferi, Ducis Megapolensis et archiepiscopatus Rigensis Coadiutoris etc., a S. Regia Maiestate Vestra prolixius scribuntur, abunde intellexi. Vehementer autem doleo, dictum Ducem Christoferum pro tantis tamque variis S. Regiae Maiestatis Vestrae in se collatis beneficiis hanc eidem gratiam referendam esse in animum induxisse. Quam ob rem etiam, cum iam antea de hac Illustritatis Suae molitione ad me rumor pervenisset, quaecunque audiveram, S. Regiae Maiestati Vestrae pro debita mea fide atque subiectione (communicato etiam, quid ea in re faciundum esse statuerem, meo consilio) literis meis, XVII Februarii scriptis, fideliter aperui. Cumque fere nihil sit, quod S. Regiam Maiestatem Vestram sibi persuasum habere magis cupiam, quam hoc Ducis Christophori propositum me vehementer detestari, eoque animum meum non leviter affici, meque nihil, quod ad Illustritatem Suam ab hac sententia

avocandam atque ad immutandam illius voluntatem quoquo modo conducere posse videbitur, praetermissurum esse. Ut id re ipsa comprobem, ablegabo quam primum ad Illustritatem Suam Generosos ac Nobiles consiliarios meos, fideles mihi dilectos Achatium Burgrabium et Baronem a Dona et Wenceslaum Schacken, eamque quibus potero argumentis et rationibus, ut ab hoc instituto desistat melioremque gratiam S. Regiae Maiestati Vestrae pro acceptis beneficiis referat, nec eidem se non solum non opponat, verum multo magis etiam iam vestigiis Reverendissimi Illustrissimique Principis Domini Archiepiscopi Rigensis etc., fratris mei pia memoriae charissimi¹⁾, insistens, debita eam observantia colat ac prosequatur, operamque suam ad frangendum potius crudelissimi hostis Moschi impetum conferat, sedulo adhortabor. Precor autem aeternum Deum toto pectore, ut haec legatio mea felix faustaque sit optatumque finem consequatur. Scripsi etiam eadem de re ad Illustritatis Suae fratrem, Dominum Iohannem Albertum, generum meum²⁾, et nunc iterum scribam, ut suis etiam adhortationibus apud Illustrum Ducem Christophorum instet eumque ab hoc proposito, quantum possit, abducere conetur. Quid vero profecturus sim, successu temporis videbitur.

Ego quidem operam pro fide atque subiectione mea daturus sum sedulo, ne S. Regia Maiestas Vestra non solum hac in re, verum etiam in ceteris omnibus quicquam, quod quidem subditum Principem atque consanguineum praestare conveniat, in me desiderare merito possit. Quod reliquum est, S. Regiam Maiestatem Vestram (cui me meaque officia etiam atque etiam commendo) longis temporibus superstitem ac salvam esse omniumque rerum prosperis eventibus perfrui exopto. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, 1 Martii anno 63.

1) Gulielmus marchio Brandenburgensis.

2) Ioannes Albertus dux Megapolensis uxorem duxit Annam Sophiam, filiam ducis Alberti.

N. 5506.

S.l., 1.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

ad litteras regias, causam Ioannis Wietwiński sibi iterum commendantes, respondet se paucos ante dies eiusdem fere tenoris litteras eius accepisse (cfr. N. 5502) et ad eas iam respondisse, causasque longioris in negotio hoc decidendo dilationis explicavisse; nuntiat se ad iudicium suum terrestre Hohensteinense unum ex consiliariis suis misisse, qui nomine suo iudicibus serio praecipiat, ut tandem citra omnem moram causam hanc diiudicent et decident.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, NN. 858, 859.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilmensi, M.D.L. cancellario, ad litteras eius, 15.I. Vilmensis datas, quibus causam Ioannis Wietwiński sibi iterum commendabat, respondet ipsius Wietwiński culpa accidisse, quod causa eius a iudicio suo Hohensteinensi hucusque diiudicata et decisa non sit, cum ille «ius suum eo, quo debuit, ordine et processu non sit persecutus»; nuntiat se unum ex consiliariis suis ad iudices Hohensteinenses ablegasse, ut eis iniungat, quo causam hanc absque omni dilatione diiudicent et decident.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro filiis Ioannis a Werden, proconsulis olim et burggravii Gedanensis, intercedit et rogat, ne bona eorum, districtus scil. Neuburgensis et quinque villae in Cassubia sitae, executionis legi, quae nunc in Comitibus Regni agitur, subiciantur.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

S. Regiam Maiestatem Vestram pro debita mea subiectione et observantia celare non possum, quod his diebus filii Domini Ioannis a Werden, proconsulis et burggravii olim Gedanensis pie defuncti, ad me venerunt mihique magno animorum suorum cum maerore exposuerunt, S. Regiam Maiestatem Vestram, haud dubie instinctu malevolorum quorundam indesinenti, in animo fortassis habere ipsos executioni, quae nunc his Comitibus Regni Poloniae prae manibus est, subiicere. Cum autem satis constet ac evidentibus documentis probari possit districtum Neuburgensem, quem ipsi obtinent, totis 99 annis ad regium fiscum non fuisse usurpatum et villas quinque in Cassubia tempore divi Casimiri felicitis recordationis Regis Poloniae oppignoratas esse. Quas quidem villas S. Regia Maiestas Vestra, mea singulari commendatione et intercessione mota, quam pro dicto Ioanne a Werden anno 1548 in funere Serenissimi Regis Sigismundi etc. pientissimae memoriae interposui, eidem feudali iure conferre et ascribere dignata est. In qua mea intercessione S. Regiae Maiestati Vestrae potissimum in animum et memoriam reduxi officia et merita, quae dictus Ioannes a Werden S. Regiae Maiestati Vestrae eiusdemque olim parenti pientissimo magna fide et diligentia praestitit. Quae tandem S. Regia Maiestas Vestra remuneranda et compensanda hoc modo per dictas villas ex regia clementia et liberalitate censuit.

Cum igitur harum rerum actionumque firma adhuc apud me extet memoria, facere non potui, quin S. Regiam Maiestatem Vestram earum commonefacerem, etiam atque etiam subiectissime petens, S. Regia Maiestas Vestra saepedicti Ioannis a Werden demortui fidelia servitia et negotii huius circumstantias (praesertim quod nominata bona tam multis annis ad regium fiscum non fuerunt usurpata) clementer considerare, seque erga filios ipsius

ita exhibere dignetur, ut non modo videant et re ipsa comperiant patris sui merita nondum plane intercidisse, sed etiam ut ipsi per se ad praestanda porro fideliter servitia, quibus alioqui devincti sunt, hac regia liberalitate incitentur. Hoc erga S. Regiam Maiestatem Vestram debitis meis officiis et subditis studiis demereri conabor. Quam Christus omnipotens diu salvam, incolumem et florentem conservet. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, 3 Martii anno 63.

N. 5509.

S.l., 3.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras eius, 6.II. Grodnae datas, una cum minus iucundis novitatibus («daraus, wie gefierlich alle sachen gelegen, verstanden») se accepisse nuntiat et omnia Deo committenda esse censet; reginam Catharinam nomine suo («mit geburenden musterworten») salutari petit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5510.

S.l., 4.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Friderico burgravio et barone a Dohna, qui praeter alios principes Galliae etiam et Daniae regibus magna cum laude servitia sua praestitit, intercedit et rogat, ut inter servitores regios recipi possit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5511.

S.l., 6.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de negotio executionis bonorum, praesertim ad dominos Pruthenos quod attinet, sententiam suam profert et pro Achatio Czema, palatino Marienburgensi, intercedit et petit, ut ob eximia eius, praesertim tempore belli Pruthenici de Regno Poloniae merita, quae commemorat et laudat, bona ipsius ab executionis lege libera esse possint.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Non dubito S. Regiae Vestrae Maiestati a consiliariis istic meis expositum esse, quid ego pro fide mea S. Regiae Vestrae Maiestati de executionis negotio, contra status terrarum Prussiae cepto, suadendum consulendumque esse censuerim. Quam meam submonitionem, gravibus sane pro horum temporum qualitate de causis profectam, aequi bonique tulisse S. Regiam Maie-

statem Vestram plane confido. Etsi autem omnino sperabam fore, ut mitius cum Dominis Prutenis ageretur, tamen relatu quorundam intelligo urgeri S. Regiam Vestram Maiestatem a plerisque, ut Domini Pruteni se uniant cum Regno Poloniae locumque in consiliis assignatum occupent, deinde ut pari modo et conditione, quemadmodum Domini Poloni, se executioni subiiciant privilegiaque sua ad terminum illis dictum coram S. Regia Vestra Maiestate producant et fisco regio bona donata cedant. Inde adeo coactum quoque esse audio Magnificum Dominum Palatinum Marienburgensem¹⁾, gravi cum itineris molestia, domum redire, ut sua privilegia secum Petrocoviam citis itineribus portet.

Haec res cum in vulgus Prutenicum iam sparsa sit, ita animos exulcerasse fertur, ut in ore sit omnium, S. Regiam Vestram Maiestatem privilegia maiorum suorum Poloniae Regum, Prutenis data, violare velle. Quam graviter haec vulgi vox animum meum conturbarit, quamque ego dolenter S. Regiae Vestrae Maiestati, cuius dignitatem non secus ac salutem meam propriam sartam tectamque cupio, compatiendo talia feram, dicere non possum. Meminit autem S. Regia Vestra Maiestas me, pro fidelitatis meae observantia, ex candidi et sinceri pectoris erga S. Regiam Vestram Maiestatem penetralibus meis unice, summopere maioremque in modum coram, aliquoties per literas quoque, denique, ut supra dixi, per legatos istic meos consuluisse, ut hisce periculosis, turbulentis et callidorum consiliorum obnoxiiis temporibus Prussiae rationem eam haberet, quam haec tempora haberi omnino flagitant. Quantum enim momenti S. Regiae Vestrae Maiestati in Prussia situm sit, ipsa etiam me non monitore facile intelligit. Plebs, ut est multorum capitum et variarum nationum, iugumque excutere cupida, si quo alio, certo hoc tempore non irritanda videtur, ut non modo nihil novi contra privilegia attentandum, sed plurima etiam dissimulanda sint.

Haec me causa impulit, quod facere non poterim, quin Magnificum Dominum Palatinum Marienburgensem, autoritate apud Pruthenos non postremum, S. Regiae Vestrae Maiestati prae ceteris commendandum esse duxerim. Eius enim viri cum diversa et longe dissimilis cum aliis sit meritum dignitas, prae aliis quoque digniorem illius rationem habendam esse S. Regia Vestra Maiestas prudenter intelligit. Habet is suarum virtutum testimonia quam plurima et insignia, inter quae et ego testimonium fidei et animositatis suae illi hoc perhibeo, quod fidem, quam divo S. Regiae Maiestatis Vestrae parenti inclitoque Poloniae Regno iam pridem addixit, egregie comprobavit. Orto enim inter divum S. Regiae Vestrae Maiestatis parentem et me bello, hostem habui eundem Palatinum ita infensum, ita fortunis omnibus meis militari astutia invigilantem, ut nihil supra. Ego sane tum quidem me militiae ac practicarum bellicarum scientem et solertem esse existimavi, sed inferiorem me cum illo multis modis fuisse recorder. Vicit enim ille meos militum praefectos non modo incursionibus repentinis, velitationibus, incendio, perditionibus et depopulationibus in miseros subditos meos grassando, sed se ipsum etiam in praesentissimum mortis periculum coniecit, ut si aura serenior mihi tum affluisset, equidem iure belli male de ipso actum fuisset. Ut enim cetera omnia praeteream, egregie fidem suam parenti S. Regiae Vestrae Maiestatis et Regno Poloniae praestitit in eo, quod rebus omnibus periclitantibus ausus fuit arcem meam Hollandt obsidione cingere seque in praedam hostilem committere, deinde mira calliditate totam eam arcem demoliri et solo fere aequare. Favet illi tum quidem fortuna, cui acceptum hoc fuit. Si vero meorum maior fuisset providentia, alea illi infeliciter iacta cecidisset. Reliquit idem Palatinus suarum quoque virtutum memoriam in obsidione civitatum Bartenstein et Heilsperg. Utque brevibus complectar

omnia, fuit ille caput et antesignanus omnium gestorum eo in bello, cuius prae ceteris et servitoris fidelis erga dominum suum animositas et studium eluxit.

Neque in eo solo fidem suam contestatus est, sed propria et hereditaria sua bona, uxorem, fortunas et facultates denique omnes suas discrimini exposuit. In quo iure belli par pari a meis illi relatum est. Capta enim illius uxore et incendio conflagratis bonis omnibus, maximam rerum suarum iacturam fecit. Tandem ut est in rebus gerendis magna dexteritate praeditus (quod multae, ut novit S. Regia Vestra Maiestas, legationes illius perfunctae testantur), consilio et industria illius eo res deducta est, ut ad pacis et concordiae tractatus res redierit. In quo multa ei inclitum Poloniae Regnum debere non ego modo, sed quotquot rerum, negotiorum, gestorum memoriam obtinent, probe norunt.

Pace itaque inter divum S. Regiae Vestrae Maiestatis parentem et me constituta, eundem Palatinum, sicut antea oderam infensissime, ita propter fidem et virtutem suam diligere multo impensius coepi, sic sane, ut in singularem meam gratiam complexum divo S. Regiae Vestrae Maiestatis parenti saepissime ac deditissime, S. Regiae quoque Maiestati Vestrae, non minore observantia ipsum commendaverim. Divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens, memor studii, fidei, laborum, observantiae, damnorum in bello acceptorum et multarum molestiarum ab illo exhaustarum, meis quoque precibus adductus, regias largitiones in eum contulit, ut inde laboris et fidei suae remunerationem aliquam haberet. Adiecit S. Regia Vestra Maiestas illis ipsis beneficiis honorarias quoque plerasque donationes, ut virtutis et fidelitatis obsequium viri illius ornaret, aliisque bene de Republica merendi calcar adderet.

Quia vero, ut supra dixi, perlatum ad me est agi hoc in Petrocoviensibus Comitibus²⁾ hisce, ut idem Palatinus ea ipsa bona executioni quoque subiiciat, dubium mihi nullum est S. Regiam Vestram Maiestatem negotium hoc ex aequitate ita moderaturam esse, ut prae ceteris omnibus huius Palatini clementior ratio habeatur, cum diversa sint illius ab aliorum meritis. Qua in re etsi S. Regia Vestra Maiestas me monitore aut petitore opus non habet, tamen summopere maioremque quo possum in modum S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut si qua in re unquam alia mihi gratificata est, hanc intercessionem meam repulsam pati ne sinat, Dominumque Palatinum Marienburgensem in possessione bonorum suorum, quae divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens et ipsa quoque Maiestas Vestra illi, consideratione fidelium servitiorum suorum habita, quae ipse inclito Poloniae Regno magna fide et diligentia praestitit, pro remuneratione et compensatione ex regia clementia et liberalitate donavit, clementer conservare dignetur, ut et ipse et posterii illius hac regia liberalitate incitentur ad praestandum porro obsequium et fidele et alacre, alii quoque exemplum inde capiant, ut de patria et Republica bene mereri satagant. Quicquid S. Regia Vestra Maiestas in virum eum egregium favoris seu gratiae contulerit, optime posuisse se plane existimet. Ego vero ad demerendam eam clementiam cum eodem Palatino submitte me S. Regiae Vestrae Maiestati obligo. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

Princeps auditiv
praesente Canitio³⁾

In folio separato: Regi Poloniae, 6 Martii.

1) *Achatius Czema.*

3) *Fridericus a Kanitz, secretarius ducis Alberti.*

2) *quae ab 30.XI.1562 ad 25.III.1563 a. celebrantur.*

N. 5512.

S.l., 6.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
castellano Cracoviensi [Martino Zborowski] et, mutatis mutandis, R.P. cancella-
rio [Ioanni Ocieski], Petro Myszkowski, Raphaeli Leszczyński
pro Achatio Czema, palatino Marienburgensi, ut bona ipsius ob non postrema
eius de Regno Poloniae, praesertim belli Pruthenici tempore, merita, ab
exsecutionis lege, in Comitibus nunc disputata, eximantur (cfr. N. praeced.).
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1185*

N. 5513.

S.l., 6.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
de inhonesto quodam doctoris Leopoldi Lauffner servitore, qui a domino suo
aufugit et ubi nunc locorum sit nescitur.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5514.

S.l., 8.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro fratribus Ioanne et Hugone a Damerau (Dąbrowski), quorum maioribus a
maioribus regis, praesertim vero a rege Casimiro Jagellonide, districtus
Radzinensis in Prussia «pro certa pecuniarum summa» in possessionem
traditus erat, intercedit et rogat, ut ab exsecutionis lege, de qua nunc in
Comitibus Regni disceptatur, eximantur.
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1185*

N. 5515.

S.l., 10.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco,
de arce Polociensi a Mosco occupata et devicta dolet.
Conc., H B A, B, K. 1185*

Salutem et benevolentiam nostram.
Magnifice ac Generose, Amice sincere nobis dilecte.

Literas Magnificentiae Vestrae, III Martii Vilnae datas, 10 eiusdem men-
sis die accepimus atque ex iis, non absque magna animi nostri perturbatione,
quae de occupata et devicta a truculentissimo hoste Moscho arce Polotzko

a Magnificentia Vestra scribuntur, cognovimus. Quanta autem ex tristissimo hoc infelicissimoque belli statu tristitia atque dolore affecti simus, nostram erga S. Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, fidem et amorem considerantibus intellectu non erit difficile. Si quidem vota hic aliquid prodessent, nihil magis ex animo optare vellemus, quam diversum obsidionem hanc eventum sortitam fuisse. Cum autem hic eam exitus consecutus sit, praeterquam quod condoleamus et Deum Optimum Maximum, ut ipse immanitatem hanc vindicet, ardentibus votis precemur, praestare hac in re nihil aliud possumus.

Vestrae vero Magnificentiae, quod petitioni illa nostrae locum dans participes eius rei nos fecerit, ingentes agimus gratias atque eandem denuo, non minus quam antea factum est, rogamus, ut quantum quidem eius fieri potest, quae omni tempore gerantur, nobis communicare dignetur, quo rebus secundis congratulari, adversis vero (quae aeternus Deus clementer avertat) condolare S. Maiestati Regiae queamus. Praestiterit hac in re Magnificentia Vestra, quam feliciter valere cupimus, officium nobis longe gratissimum, quod amica benevolentia nostra compensabimus. Datae etc.

Principi placuit

In folio separato: Ostaphio Volovitz, X Martii LXIII.

N. 5516.

S.l., 12.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

de civitate et arce Polociensi a Moscovitis expugnata dolet; plura de hoc negotio, si quae cognoverit, sibi communicari petit.

Ostpr. Fol., vol. 46

An Erharden von Kunheim, den 12 Martii 63 etc.

Wir haben [von] dir bei dem ersamen unserm lieben getreuen Bernhart Pohubeln allerlei schreiben bekommen und under denselben eur zu Grodna den 27 Februarii datirt, welchs wir nach der lenge lesende angemerckt und mit bekummertem gemute des tirannischen feindes, des Muscowitters, furhaben und itzigen unseligen zustandt, welchermassen doch denselben die stadt und festen Polotzko erobern, neben fernerm anhaft, was fur gefahr zu vormuten gewesen, do der feindt nach solcher eroberung mit seiner macht vortgezogen, und das derwegen ko.mt. hoffman Cipriski an hochstgemelte ire ko.mt. und die stende der Cron abgefertiget, vorstanden. Ob uns nu wohl solche unzeitige zeitungen von eroberung Polotzko hiebevur zukommen und nichts weniger als itzo von dir zu vornehmen, schmerzlich und gantz treulich leidt sein, und konnen darzu mehr nicht, dann Gott den Almechtigen als den besten nothhelfer umb trost, schutz und fur des gewaltigen feindes wuten die seinen zu retten, embsiglichen anrufen, ist uns doch von dir an solcher erofnung zu gantz gnedigem gefallen geschehen, sagen dir auch dafur gnedigen danck etc. Do wir aber soviel menschlich und muglich mit rathen und trost etwas zu abhaltung des feindens vermochten, solte von uns, ob Gott will, nichts erwinden. Und begeren gantz gnedigst, du wollest uns deinem erbitten nach, wess weiter furfelt und du erferest, dir auch zu schreiben

zimlich, sonderlich aber wess bemelter Cipriski für andtwort von ko.mt. und den stenden einbringen wirt, forderlichst mittheilhaftig machen, domit wir uns des guten, das Gott der almechtige, den wir auch treulich darumb bitten, vorleihen wolle, zu freuen, des gegensplig^{z)} aber, welchs Gott gnedigst abzuwenden und ferner zu vorhuten geruhe, betruben. Und soviel an uns wachende sein und uff alle nothfelle soviel muglich ein gutt aufmercken haben mogen etc. Daran etc.

Commissio Principis^{a)} propria
Idem audivit
praesente Enoch Baumg[artner]
D. Gercke

a) in ms. Princeps.

z) sic in ms.

N. 5517.

S.l., 12.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,
de civitate et arce Polociensi (Polotzko) a Moscovitis expugnata dolet.
(Germanice)
Cfr. El. XLIII, N. 248.
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5518.

S.l., 15.III.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
rumore non vulgari ad se perlatum esse nuntiat regem Sueciae in Livonia ea
sibi vindicare, quae in subiectionem et dominium regi Poloniae cesserunt,
ex altera vero parte Moscum quoque Regno imminere; propterea consilium
dat regi, quomodo Suecus, si quid sibi in Livonia competere existimet, eo
adduci possit, ut legum et iuris via potius quam armis id sibi vindicet.
Conc., H B A, B, K. 1185*

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quandoquidem obscurum S. Regiae Vestrae Maiestati non est me, pro arcta consanguinitatis et affinitatis necessitudine, constituisse Illustrum Dominum Finlandiae Ducem¹⁾ eiusque consortem Serenissimam, S. Regiae Vestrae Maiestatis sororem, consanguineam meam charissimam²⁾, per inter-nuntium meum invisere, venit mihi in mentem, quod Illustris Domini Pomeraniae Duces³⁾ per oratorem ad me suum non ita pridem S. Regiae Vestrae Maiestati de occupata a Moscho arce Polotzki condolentes studium suum, si qua ex parte contestari illud S. Regiae Vestrae Maiestati possent, perbenigne obtulerunt. Itaque in eas cogitationes descendendi, cum rumor sit vulgaris Suetiae Regem⁴⁾, nescio quo iure, in Livonia ea vindicare, quae in subiectio-

nem et dominium S. Regiae Vestrae Maiestatis, eius provinciae ordinibus assentientibus, cesserunt, ex altera autem parte Moschum, hostem non contemnendum, S. Regiae Vestrae Maiestati quoque imminere, ut dextro Marte utrisque resistere labor S. Regiae Vestrae Maiestati nonnihil difficilior futurus sit, an non ratio aliqua inveniri possit, ut Suecus, si quid sibi proprietatis in Livonia competere existimaret, legum et iuris via potius quam armis hoc vendicaret. Occurrit tandem sic mihi cogitanti illud, non incommode me facturum, si salva cum S. Regiae Vestrae Maiestatis pace et assensu illius accedente Illustres Dominos Pomeraniae Duces etc. (siquidem per Ducum ipsorum ditionem internuntio meo transeundum erit) rogatu meo in eam sententiam perduceret, ut ipsi suos quoque oratores meo adiungerent darentque illis in mandatis, ut una eademque ac plane coniuncta legatione primum ad Serenissimum Daniae Regem⁵⁾ se conferrent, eiusque Serenitatem nomine nostro permoverent, ut ipsa quoque ex suis oratore aliquem in Suetiam cum illis mitteret, qui uno ore, inscia quasi S. Regia Vestra Maiestate, Sueciae Regem ad pacem et christianam concordiam cum S. Regia Vestra Maiestate conservandam hortarentur, adhibitis eam ad rem persuasionibus pro temporum qualitate et aliunde apposite desumptis, illudque adderent arbitrari nos, a quibus mitterentur omnes, expedire Christianae Reipublicae, ut controversiam, si quam cum S. Regia Vestra Maiestate haberet, Regibus vel Principibus ex sua parte, quibus vellet, amicabilem cum S. Regia Vestra Maiestate componendam committeret sanguinisque christiani profusioni, pro officio pii Regis et Principis, parceret.

Hanc vero legationem sic instituendam esse putavi, ut internuntius meus tantisper in Pomerania vel Ducatu Megapolensi subsistat, donec ego de S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia, quid ipsa expedire ducat, certior fierem atque id ipsum per me Illustribus quoque Pomeraniae Ducibus significetur. Quam ob rem has ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas esse dandas censui. Quam submisce oro, ut mihi suae mentis voluntatem hac in re aperiat, an scilicet requirendus sit Suetiae Rex et quid in mandatis oratoribus sit dandum. Si vero Domini Pomeraniae Duces Serenissimusque Daniae Rex, vel alter eorum, praeter opinionem legatorum suorum missionem abnueret aut recusaret, an in eum casum nihilominus Regis Suetiae animus per meum oratorem tentandus sit, ne quid contra decorum seu dignitatem S. Regiae Vestrae Maiestatis peccetur. Pro mea enim fide proque obsequentissimi vassalli Principis officio, rebus in omnibus libenter S. Regiae Vestrae Maiestati studium meum deditissimum et observantiam debitam contestari vellem, non aetati, non sumptibus, non curis seu labori ulli parcens, ut inprimis S. Regiae Vestrae Maiestatis existimatio, Reipublicae salus et tranquillitas conservetur, vicinorum quoque populorum incolumitati consulatur. Itaque officiosissime S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut me citis itineribus cathedrico responso doceat, quid illi in praedicta missione placeat, quidque factum per me velit. Quo intellecto, nihil eorum in me desiderari passurus sum, quae vasallum et sanguine iunctum Principem decent. Quod superest etc.

Commissio Principis propria
praesentibus
Burggrabio, Marschalco
et Canitz

Schedula:

Ceterum, Serenissime Rex, Domine Clementissime, quandoquidem S. Regia Vestra Maiestas, pro arcta sanguinis necessitudine, non modo viventem fratrem meum⁶⁾ omni clementia est prosequuta, sed mortuo etiam supre-

munus honorem exhibere iustaque funebria sumptibus suis perbenigne curare dignata est, insuper et ministris Suae Reverendae Illustritatis debita stipendia dare promisit, summas eo nomine S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago agamque, dum vivam, pro singulari hac sua in Principem necessariam affectione et charitate. Quia vero dubium mihi nullum est S. Regiam Vestram Maiestatem mandasse iam omnia ea, quae clementer se facturam esse recepit, tamen celandam S. Regiam Vestram Maiestatem non putavi, in harum consignatione Marschalcum et Secretarium eiusdem Domini fratris mei pie memoriae inter cetera ad me scripsisse Illustrem Ducem Christophorum, Coadiutorem archidioecesis Rigensis, solutionem stipendiorum eorum, quae servitoribus fratris mei debentur, ultro obtulisse amploque salario in numerum servitorum suorum eos ipsos ascribere voluisse. Parumque abfuisse, quin in sententiam Suae Illustritatis descendissent, nisi dehortante Marschalco et Secretario, solutionem stipendiorum a legato S. Regiae Vestrae Maiestatis promissam ut expectarent, persuasi fuissent. Subvereri autem Marschalcum cum Secretario, nisi quam primum soluta a S. Regia Vestra Maiestate stipendia fuerint, ne in verba Ducis Christophori, salarii magnitudine illecti, iurent suarumque reddantur partium, culpamque omnem in ipsos tanquam persuasores, non subsequuta solutione, calumniose illos traducendo reiiciant, maleque ipsi apud suos audire istic incipiant. Itaque pernecessarium arbitrantur, ut mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis sine procrastinatione aliqua stipendia per mandatarium S. Regiae Vestrae Maiestatis persolvantur. Quod curatum esse S. Regiam Vestram Maiestatem minime dubito.

Postremo, quandoquidem Marschalcus et Secretarius praedicti prae aliis, tam vivente Reverendissimo fratre meo, quam post mortem illius, optime de S. Regia Vestra Maiestate meriti sunt, commodisque S. Regiae Vestrae Maiestatis rebus in omnibus promovendis, praecipue vero deditionem aliquot castrorum Coadiutore non ita pridem postulante, multorum odio partes S. Regiae Vestrae Maiestatis diligenter egerunt tuerentque adhuc, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas, etiam me non monitore, castra sua in Livonia firmiori praesidio quam primum munire ac duorum illorum clementem prae ceteris rationem habere, illosque in omnem eventum in defensionem suam clementer recipere. In eo S. Regia Vestra Maiestas sibi utrunque omni officiorum et fidelitatis obsequio devinciet rebusque suis optime consulat. Ego vero id studiose demereri conabor. Datum ut in literis.

Cedula in literis Regis Poloniae

In folio separato: Regi Poloniae, 15 Martii anno 63.

1) *Ioannes, frater Erici XIV regis Sueciae.*

2) *Catharina.*

3) *Barnimus IX eiusque nepotes.*

4) *Ericus XIV.*

5) *Fridericus II.*

6) *Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.*

N. 5519.

S.l., 18.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Iacobo Heraclidi Basilico, palatino Moldaviae,

doctorem Iustum Jonam, Academiae Vitebergensis professorem, in quibusdam negotiis suis in Valachiam Moldaviamque proficiscentem, commendat et rogat, ut eum «in longinquis ac peregrinis istis regionibus» favore suo complectatur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5520.

S.l., 18.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Lubecki

nuntium suum Erasmus Baumgarten in nonnullis negotiis ad eum mittit et rogat, ut nomine suo dicenti fidem habeat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5521.

S.l., 20.III.1563.

Albertus dux in Prussia

consulibus Lomzensibus et, mutatis mutandis, Przasnisiensibus

nuntiat sibi a capitaneo suo Angerburgensi, Laurentio Roch, expositum esse, unum ex concivibus eorum, Nicolaum Rossa nomine, aliquam pecuniae summam in capitaneatu Ortelsburgensi debere; postulat, ut eundem concivem eorum ad debiti solutionem adigant.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5522.

S.l., 26.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Alexandro a Suchten, medico ex Italia redeunte, ante annos aliquot a rege accersito et inter servitores regios recepto, nunc vero vitae aulicae pertaesio et alio se conferre volente, intercedit et rogat, ut ad eum in patria retinendum stipendium nondum persolutum ei numeretur, bonaque ipsius hereditaria, quae propter proscriptionem avunculi eius, Alexandri Sculteti, ab adversariis ipsius erepta sunt, ei reddantur.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Non dubia fama cognovi Alexandrum a Suchten, medicum ex Italia redeuntem, a S. Regia Vestra Maiestate ante annos aliquot accersitum atque ab eadem inter servitores suos receptum hac condicione, ut propter aegritudinem, qua tum S. Regia Maiestas Vestra laborarit, annum unum Vilnae commoraretur. Propterea spem ipsi factam esse hereditaria illius bona, quae propter proscriptionem Alexandri Sculteti, adversarii avunculi sui invaserunt et contra ius et aequum legitimo heredi eripuerunt, S. Regiam Maiestatem Vestram illi reddituram iusque abunde administraturam esse. Exacto autem eo anno, cum benignum S. Regiae Maiestatis Vestrae de bonis suis recuperandis promissum impleri petiisset, deque vitae aulicae molestiis ac difficultatibus, quae aegre sustineret, S. Regiae Vestrae Maiestati esset

conquestus et maxime, supplicatione mense Octobri superioris anni S. Regiae Maiestati Vestrae oblata, sententiam animi sui declarasset, nullum a S. Regia Maiestate Vestra eum hactenus adeptum esse responsum. Qua re optimus ille vir haud leviter commotus, tandem hisce regionibus, responso ulterius non expectato atque salario, quod sibi pro tempore sui servitii numeratum nondum est, relicto, valedicere atque alio se conferre constituerit.

Cum autem huius viri eruditio et in morbis curandis dexteritas, tanquam quae minime sit vulgaris, ab optimis quibusque vehementer laudetur, facere non potui, quin retinendi illius caussa pro mea in S. Regiam Vestram Maiestatem fide ac observantia hasce ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas scriberem, omnino statuens tantum virum, quem, si abesset, accersendum putarem, nunc, cum adsit, dimitti, cum retineri possit, non esse consultum. Atque ad hanc rem haec mihi via commodissima videtur, ut S. Regia Maiestas Vestra ius caussamque illius pro regia sua clementia benigne audiat cognoscatque et bona hereditaria, quae sibi erepta conqueritur, via iuris ipsi reddat, nec iniuria illum opprimi sinat. Quandoquidem praeterea vitae aulicae propter quorundam invidiam, obtrectationem et alia quoque pericula pertaesum sit, ut S. Regia Vestra Maiestas, concesso ipsi prius destinato stipendio, in patria saltem ipsum quiete vivere concedat, unde quoties S. Regia Maiestas Vestra pro necessitate sua propria (pluribus enim servire eum audio nolle) opera illius indigebit, accersere ipsum possit.

Quod si haec via S. Regiae Maiestati Vestrae non displicet, vehementer submissequae peto, ut S. Regia Vestra Maiestas animum suum ita erga eum declaret, ut mea se commendatione in his regionibus retentum eaque tantum, quantum ego confido, adiutum esse intelligat. Non dubito, quin S. Regia Maiestas Vestra beneficia sua apud hunc virum, qui illustria eruditionis suae habet testimonia, praeclare positura sit. Ego quidem id subditis meis obsequiis paratisque studiis promereri sedulo enitar. Inprimis vero S. Regiam Vestram Maiestatem (quam Christo omnipotenti salvam ac incolumem conservandam commendo) maiorem in modum oro, ut hoc meum quaecunque consilium, ex sincero tamen pectore profectum, in bonam partem accipiat. Datae etc.

Princeps audivit et consensit

In folio separato: Regi Poloniae, XXVI Martii anno LXIII.

N. 5523.

S.l., 29.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras eius, 17.III. Grodnae datas, una cum litteris reginae Catharinae se accepisse nuntiat; ad priores eius litteras, ad capitaneum suum in Oletzko missas, se per Bernardum Pohibel ei iam respondisse; scribit se etiam vehementer desiderasse reginam ante ipsius Grodna discessum videre et alloqui, sperat aliquando futurum, ut huic suo desiderio satisfiat; de regis consilio se primum Radomiam, cum primum regina illuc advenerit, confendi, deinde Brestiam ad conventum Polonorum cum Lithuanis proficisci gaudet; de incendio pontium miratur et Deo gratias agit, quod citra maiora damna id evenit; sperat ex conventu procerum aliquid boni Regno Poloniae redundaturum esse.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rege Sueciae bellum contra eum ratione castrorum aliquot in Livonia parante, hortatur eum, ut et ipse quoque de expeditione navali ad reprimendum hostem cogitet, consiliumque suum hac de re ei suggerit.

Cfr. El. XXXII, N. 868.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Nova hisce adiecta cum die hesterna ad me perferrentur, duxi S. Regiae Vestrae Maiestati ocius illa, ut ad me perlata sunt, communicanda esse. Quia vero S. Regia Vestra Maiestas ex illis intellectura est Suetiae Regem¹⁾ omnino constituisse bellum, contra S. Regiam Vestram Maiestatem ratione castrorum aliquot Livoniensium coeptum, per decursum totius aestatis continuare, deinde quod Suetiae Rex novam legationem ad Moschum²⁾ miserit, postremo eundem Regem classem navali proelio ad occupandum mare Balthicum destinatum adornari, et quae his praeterea coniuncta sunt, non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem, ut est rebus in omnibus provida, pro sua singulari prudentia facile animadvertere, quid ei factu nunc opus sit. Cumque illud sit praecipuum, ut castra Livoniae, sicut proxime ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi, maioribus et firmioribus praesidiis omnisque generis commeatu munirentur, plane confido, etiam me non monitore, curata a S. Regia Vestra Maiestate iam esse omnia.

Quoniam vero non postrema quoque curarum haec esse videtur, imo maxime necessaria, ne Rex Suetiae sua classe Balthici maris dominio ad rem pro arbitrio gerendam potiatur, interesse S. Regiae Vestrae Maiestatis plane existimo, proque fide mea suadeo et consulo, ut et ipsa de navali expeditione ad reprimendum Suetiae Regem cogitet. Qua in re civitas Gedanensis, Lubeca et aliae utiliter S. Regiae Vestrae Maiestati operam suam navare poterunt. Quod si S. Regia Vestra Maiestas Serenissimum quoque Daniae Regem³⁾ Pomeraniaeque⁴⁾ et Megapolenses⁵⁾ Duces socios auxiliares sibi conciliare posset, magni momenti res futura esset. Navigatione enim in Suetiam praeclosa, facile et Suecus et Moschus compesci possent. Defraudaretur enim uterque non modo commeatu, sed milite rebusque omnibus ad militiam pertinentibus. Dignabitur itaque S. Regia Vestra Maiestas in hoc posterius non minore sedulitate et vigilantia quam illud, quod de castris Livoniae muniendis dixi, incumbere, cum utrumque factu S. Regiae Vestrae Maiestati non sit usque adeo difficile. Sed celeritate hac in re opus est. Expedit enim praevenire quam praeveniri.

Haec pro fide mea debita S. Regiae Vestrae Maiestati perscribenda esse duxi. Quae ut ne aegrius hanc qualemcunque, fidelem tamen, submonitionem meam accipiat, submitte oro. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, 30 Martii anno 63.

1) *Ericus XIV.*

2) *Ioannes IV Basilides.*

3) *Fridericus II.*

4) *Barnimus IX et eius nepotes.*

5) *Ioannes Albertus et Ulricus III.*

N. 5525.

S.l., 31.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł «Nigro» et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz pro Christophoro Ottendorf, cive Regiomontano, debitores quosdam Vilnae habente, a quibus nec debitorum solutionem, nec merces concreditas «propter edictum istic publicatum» Vilna exportare potest, intercedit et petit, ut auctoritatem suam interponat, quo subditus suus vel debitam sibi pecuniam consequatur, vel merces concreditas recuperet.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5526.

S.l., 31.III.1563.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarło, magistro curiae reginae Catharinae, nuntiat iuvenem Thomam Tołokański (Tollokanski), litterarum exhibitorum, ab eo et thesaurario regio [Ivano Zarecki] sibi olim commendatum et in album cubiculariorum suorum receptum, ob ipsius petulantiam moresque effrenatos ac dissolutos se diutius in aula sua ferre non posse ipsumque domum remittere coactum esse.

Germanice

Cfr. El. XLIII, N. 244.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5527.

S.l., 8.IV.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

mittit scripta ab internuntiis suis, ad Christophorum ducem Megapolensem, coadiutorem Rigensem, ablegatis, sibi missa; hortatur regem, ut securitati suae invigilet et defensionem Livoniae festinanter paret, ne cessantibus illic firmioribus praesidiis et munitionibus novum et intestinum bellum, magno cum provinciae illius detrimento, exoriat; ad reprimenda regis Sueciae conamina apparandae classis bellicae eum admonet.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quid internuntii mei, quos ad postulata S. Regiae Vestrae Maiestatis in Livoniam ad Illustrem Dominum Ducem Christophorum etc., Coadiutorem dioecesis Rigensis, ablegavi, citis itineribus ad me scripserint miserintque, ex hisce exemplaribus adiectis S. Regia Vestra Maiestas clementer cognosce-re dignabitur. Quia vero S. Regia Vestra Maiestas inter cetera ex cathegorico dicti Domini Coadiutoris responso intelliget, quid Sua Illustritas in animo

habeat, pro mea fide S. Regiae Vestrae Maiestati consulo, ut citra omnem procrastinationem ea curet, quae haec temporum qualitas curanda esse omnino flagitat. Memini me idem binis iam ad S. Regiam Vestram Maiestatem literis meis sedulo monuisse. Ut supervacanea quidem videri haec mea submonitio possit, sed cum provida celeritate iis in rebus opus sit, iterum atque iterum S. Regiam Vestram Maiestatem pro fide mea submisso oro, ut suo commodo invigilet, ne id, quod multis vixdum laboribus partum est, diutius cessantibus S. Regiae Vestrae Maiestatis firmioribus in Livonia praesidiis, munitionibus et defensione amittatur, animi Livoniensium alieniores S. Regiae Vestrae Maiestati reddantur novumque et intestinum in Livonia bellum magna cum istius provinciae calamitate emergat, praecipue cum Dux Christophorus exercitum Sueticum cum tormentis aliquot bellicis in procinctu ad manum iam habeat.

Quam ob rem, etiam me non monitore, S. Regia Vestra Maiestas festinantem defensionem suorum suscepturam esse ac de apparanda quoque classe ad reprimendum Suecum¹⁾ id facturam esse minime dubito, quod superioribus literis meis sincere et candide suasi. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati pro subiectionis et fidei meae obsequio per veredarium hunc meum occissimo itinere brevi epistolio (siquidem uberius omnia ex internuntiorum meorum Livoniensium literis et aliis, quae mitto, cognoscet) communicanda esse duxi. Submissequo peto, ut crebras hasce submonitiones meas aegrius ne ferat. Non libenter enim in me desiderari eorum aliquid vellem, quae ex dignitate et commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis esse iudico. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

Princeps audivit

In folio separato: Regi Poloniae, 8 Aprilis anno 63.

1) *Ericus XIV.*

N. 5528.

E Regio Monte, 13.IV.1563.

Albertus dux in Prussia

Christinae Hlebowicz Komajewska

pro clementia, qua filium eius [Georgium] in Academia Regiomontana versantem prosequeretur, tanta gratiarum actione opus non fuisse scribit; arbitrio eius relinquit, si filium domum revocare velit, suadet tamen et consulit, ut cum filius eius «ingenio ad percipiendas liberales artes maxime idoneo» praeditus esse videatur, «ipsum adhuc aliquandiu in studiis versari sinat, si non hic Regiomonti, saltem alibi in Germania, ut confirmato solidiore doctrina ingenio postmodum et Reipublicae et Ecclesiae Christi eo melius, utilius maioreque cum profectu servire queat».

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1782.

Conc., H B A, B, K. 1185

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat se ad duces Pomeraniae et Megapolenses, necnon ad marchiones Brandenburgenses scripsisse et ab illis petiisse, ne a Iacobo a Schulenburg, equites regi Suecorum conscribente, in ditionibus suis militem colligi paterentur, nec copiis conscriptis liberum transitum per Ducatus suos permitterent.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Non dubia fama ad aures meas pervenit, Generosum ac Nobilem Iacobum a Schulenburgk nescio a quo ad duo millia equitum conscribenda conductum esse. Quos, si recte suspicor, omnino arbitror (quemadmodum etiam ex relatione quorundam id percepi) Regi Suecorum¹⁾ conscribi. Qua re per motus, missis confestim cum ad Illustrissimos Pomeraniae²⁾ et Megapoliae Duces³⁾, tum ad Marchiones etiam Brandenburgenses⁴⁾ literis, Illustritates eorum vehementer amiceque rogavi, ne ab ipso Iacobo a Schulenburg vel a quocunque alio milite in ditionibus suis colligi, quibus adversari S. Regiae Vestrae Maiestati quisque posset, paterentur, nec conscriptis forte copiis liberum transitum per Ducatus suos concederent, ne hac ratione S. Regiae Vestrae Maiestatis piissimi conatus, defendendae ab immanissimo hoste Moscho Christianae Reipublicae caussa suscepti, impedirentur. Quod Illustritates eorum in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis, pro sua in eam observantia ac singulari favore, facturas esse neutiquam dubito. Mei quidem officii esse putavi S. Regiae Vestrae Maiestati istud significare, an et ipsa forte ad dictos vicinos Principes eadem de re scribere atque ab Illustritatibus eorum sibi potius eam dari facultatem milites in Ducatibus eorum colligendi, cum haud dubie exercitum conscriptura sit, rogare vellet.

Ego certe S. Regiae Vestrae Maiestati id plane suadeo. Neque inconsultum id quoque mihi videtur, si S. Regia Vestra Maiestas pari ratione Illustrum Ducem Brunsvicensem⁵⁾, ne vel Suecorum Regem vel quemcunque alium, quem S. Regia Maiestas Vestra adversum habere posset, in Ducatu suo milites conscribere permetteret, literis suis interpelleret. Verum S. Regia Vestra Maiestas, quid e re sua fuerit, pro regia sua prudentia ipsa facile viderit. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem salvam ac felicem esse omniumque rerum optatos eventus consequi toto pectore precor. Datae.

Cancellarius⁶⁾ commisit et audivit
Audivit et Princeps

In folio separato: Regi Poloniae, XVI Aprilis anno etc. 63.

1) *Ericus XIV.*

2) *Barnimus IX et eius nepotes.*

3) *Ioannes Albertus et Ulricus III.*

4) *Ioachimus II elector et ceteri marchiones.*

5) *Ericus.*

6) *Ioannes a Kreitzen.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

contentum se esse scribit, quod admonitio sua «de commodis et periculis Reipublicae Regni Poloniae» regi accepta fuerit; item libenter se audivisse nuntiat, regem arces suas in Livonia viris, armis rebusque necessariis muniendas curasse, Gedanenses de apparatu navali ad bellum gerendum apto admonuisse et a ducibus Pomeraniae ac Megapoliae auxilia expetivisse; operam suam apud amicos Germaniae principes promittit; significat praeterea se duces Holsatiae hortatum esse, ne ex ditionibus suis militis in Sueciam educendi facultatem cuiquam concederent.

Cfr. El. XXXII, N. 868.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex etc.

Literas S. Regiae Maiestatis Vestrae proximas, 9^o die Aprilis Petricoviae datas, debita cum reverentia et submissione accepi atque ex iis principio intellexi gratum S. Regiae Maiestati Vestrae me praestitisse officium, admonendo de commodis et periculis Reipublicae Regni Poloniae. Qua de re Deo Optimo Maximo summas ago gratias, qui hoc quaecunque meum consilium ita fortunare dignatus est, ut S. Regiae Maiestati Vestrae acceptum fuerit, daboque operam enixe, ut porro etiam de S. Regia Maiestate Vestra omnibus modis, quantum rationes meae patiuntur, bene mereri possim, etiam atque submisce petens, S. Regia Maiestas Vestra studium meum et conatum ex animo fidelissimo proveniente, quantum quidem eius clementer a Deo subministratur, boni consulere dignetur.

Quod S. Regia Maiestas Vestra arces suas Livonicas viris, armis, comenatu et reliquis rebus necessariis muniendas curavit, libenter sane audiui. Nihil enim aequè necessarium est hoc tempore, quantum quidem ex omnibus circumstantiis, quae ad me perferuntur, colligere possum, atque id ipsum, ut arces probe muniantur, ne hostis imparatas offendat eoque facilius oppugnet. Quod si ea res nondum curata plene sit, vehementer et submisce hortor et oro, mandet S. Regia Maiestas Vestra, ut postposita omni mora quam fieri potest celerrime curetur.

Recte etiam et prudenter S. Regia Maiestas Vestra fecit, quod de apparatu navali ad bellum gerendum per literas suas Gedanenses admonuit. Etsi enim ipsorum naves non satis ad gerendum bellum instructae sunt, tamen facile et brevi quidem tempore instrui et ornari possunt, ut proeliis navalibus idoneae efficiantur.

Laudo similiter, quod S. Regia Maiestas Vestra ad Illustrissimos Pomeraniae¹⁾ et Megapoliae²⁾ Duces, tum etiam ad Magistratum Lubicensem scripsit et eorum auxilia expetivit. Nunc superest, ut S. Regia Maiestas Vestra apud eosdem diligenter sollicitando instet atque hoc negotium urgeat, ut quid inde sperandum sit, sciri possit.

Quod ad me quidem attinet, fateor sane lubens S. Regiae Maiestati Vestrae me honeste non posse deesse. Verum tamen cum apparatus belli navalis maximos et paene infinitos sumptus requirat, quos ego pro mea persona in hisce angustiis nullo modo sustinere ac suppeditare possum, vehementer et enixe oro, ne S. Regia Maiestas Vestra summam totam, quod

navalem apparatus attinet, in me solo sitam existimet, cum ei rei satisfacere nequaquam queam. Si vero, necessitate sic exigente, aliquid studii et operae conferre potero, habebit S. Regia Maiestas Vestra me paratissimum in omnibus promotorem. Ceterum etiam nulli operae aut sumptibus parsurus sum, ut aliquid apud amicos et socios Principes Germaniae in hunc usum conficere et expedire queam. Ac videtur mihi plane consultum et necessarium, ut S. Regia Maiestas Vestra Marchiones Brandenburgenses omnes et singulos, tanquam subditos et vasallos Principes, per literas aut nuntios requirat et clementer admoneat, ne S. Regiae Maiestati Vestrae hoc necessario tempore deesse velint.

Ducibus vero Holsatiae³⁾ ante aliquot dies scripsi ac diligentissime ab eis petii, ne ex suis ditionibus, aut per suas ditiones, militis in Suetiam educendi facultatem cuiquam concedant. Quod Illustritates ipsorum, pro singulari nostra necessitudine, facturas nequaquam dubito. Atque haec S. Regiae Maiestati Vestrae ad literas eiusdem responsi loco rescribere volui. Quam Christus omnipotens diu salvam, felicem et incolumem tueatur eiusque consilia gubernet ac fortunet omnia. Datae Regiomonti.

Relatio Cancellarii⁴⁾
Idem legit
Principi lectum per Enoch⁵⁾

In folio separato: Regi Poloniae, 20 Aprilis.

1) Barnimus IX et eius nepotes.

2) Ioannes Albertus et Ulricus III.

3) Magnus et Adolfus.

4) Ioannes a Kreitzen.

5) Enoch Baumgartner, scriba Cancellariae ducis Alberti.

N. 5531.

S.L., 12.IV.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

prolixius narrat de condicionibus, quibus Ernestus Weiher equites peditesque regi colligere paratus sit.

(Schedula: notum facit se ad thesaurarium Marienburgensem scripsisse de tradendis Ernesto Weiher 8000 talerorum).

Cfr. El. XXXII, N. 879.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Retulit mihi cum ipse Magnus ac Generosus Achatius a Czema, Palatinus Mariaeburgensis, tum etiam legatus et consiliarius meus, quem ad proxime praeterita Regni Comitia¹⁾ ablegaveram, Christophorus Jonas, I.U. Doctor, quid S. Regia Vestra Maiestas sibi per me et Dominum Palatinum Mariaeburgensem de conscribendis et adversus Regni Poloniae hostes mille equiti-

bus totidemque sclopetariis ducendis apud nobilem ac strenuum Ernestum Weiher effectum velit. Ad S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatum ipse Ernestus haud invitus apud me comparuit.

Etsi autem, ne forte plus minusve, quam S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntas postularet, hac in re non satis de singulis circumstantiis praemoniti comitteremus, uberiore aliqua instructione nobis opus fuisset, tamen nihilo minus id negotii citra omnem dilationem (quae fortassis S. Regiae Vestrae Maiestati detrimentosa esse posset) una cum Palatino Mariaeburgensi suscepti, eaque de re cum Ernesto Weiher, quam id fieri potuit diligentissime, egimus cunctaque in his tractatibus ad S. Regiae Vestrae Maiestatis emolumentum et utilitatem fideliter direximus. Minoribus autem levioribusque stipendiis ac sumptibus, quam quod ex adiunctis hisce tractatum exemplis videre licet, hanc mille equitum totidemque sclopetariorum conscriptionem, quantumvis ego et praefatus Palatinus per aliquot dies summo studio atque per diligentem in eo elaborarem, impetrare non potuimus. Cum enim per totum Romanum Imperium ab omnibus Electoribus ac Principibus equitibus de singulis equis minus duodecim florenis dari nunc temporis consuetum non sit, subvereri se Ernestus dicebat, tenuiori se stipendio equites accipere non posse. Quod S. Regiae Vestrae Maiestati et coram se exposuisse, et literis etiam significasse asserebat. Effecimus tamen assidua ac diligenti opera, ut undecim florenis Polonicis, triginta grossis in singulos florenos computatis, tandem esset contentus. Quemlibet etiam mensem, cum tantum triginta diebus numerari alias soleant, uno die auximus, ut in unumquemque mensem unum et triginta dies numerare liceat, quemadmodum S. Regia Vestra Maiestas ex inclusis copiis intellectura est.

Usitatum etiam est inter milites Germanos, ut equitum praefecti, rothmagistri ac aliorum officiorum militarium administratores pecuniaria sua stipendia eaque ampliora quam ceteri habeant, qui tum primum, cum ad locum delectus perventum est, constitui solent. Cum autem plerumque hac occasione, si eo usque res differatur, grandiora stipendia exigant, huic etiam malo ad evitandos difficiliore sumptus succurrendum esse censuimus cum Ernesto Weiher hac quoque de re, quid horum unicuique dandum sit, convenimus atque ut in hac non minus quam ceteris in rebus omnibus sumptuum a nobis ratio haberetur, fideliter studuimus. Ad minora autem impendia, quam quod ex tractatum exemplis videre licet, res deduci non potuit. Mihi ipsi quidem, annis proxime praeteritis exercitum pro S. Regia Vestra Maiestate in Livoniam ducturo, maiora singulis stipendia danda fuerunt. De pretio, quod supremo exercitus praefecto, Ernesto Weiher, lege et consuetudine militari pro libera mensa, quae ipsi pro more Germanorum debetur, dari oportet, cum ipso Ernesto quoque convenimus. Ac licet ubique in Imperio Romano usu receptum sit, ut supremo ac generali exercitus praefecto de singulis equis sui exercitus florenus unus numeretur, ac suos insuper pecuniarum de peditatu habeat redditus, tamen et hic aliqua ex parte tollerabiliorem impensae rationem, quam S. Regia Vestra Maiestas ex exemplo C litera signato cognoscet, quamvis difficulter et non sine magno labore obtinuimus.

Mille itidem pedites atque inter hos octingentos sclopetarios, ducentos vero alios magis exercitatos milites, brevioribus armis, venabulis nimirum ac bipennibus, quibus Regum ac Principum satellites utuntur, instructos, quos ego prae ceteris adversus eum hostem S. Regiae Vestrae Maiestati valde utiles futuros arbitror, idem Ernestus ut conscriberet, ex S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia perfecimus. Quae stipendia unicuique horum, deinde praefectis quoque ac capitaneis eorum danda fuerint, S. Regia Vestra Maiestas ex adiunctis literis B inscriptis abunde percipiet.

Non inconsultum vero mihi videretur, si S. Regia Vestra Maiestas ista militum duo millia ex equitibus ac sclopetariis tantum colligi iuberet, ac insuper adhuc ducenti isti, qui octingentis sclopetariis ad supplendum millenarium numerum a nobis additi sunt, seorsim reciperentur. Quod ex re S. Regiae Vestrae Maiestatis futurum plane confido. Quod si hoc meum consilium S. Regiae Vestrae Maiestati non improbatur, necesse erit id quam primum Ernesto significari. Ego quidem fines mandati S. Regiae Vestrae Maiestatis hic excedere non debui.

Quamvis autem, an certi aliquid de hac equitum peditumque conscriptione cum Ernesto concludendum esset, ego et praefatus Palatinus aliqua ex parte in dubium vocaremus, tamen cum id extremam necessitatem ratione impenduntium cum ab hoste Moscho²⁾, tum a Suecorum Rege³⁾ periculorum inevitabiliter quodammodo exigere videremus, de singulis, quae rubro colore cancellata non sunt, pro erectis super hac re literis, quas S. Regiae Vestrae Maiestati transmittito, convenimus. De illis vero, quae sunt cancellata, absque consensu S. Regiae Vestrae Maiestatis concludere non potuimus. Si vero S. Regia Vestra Maiestas in haec quoque vult consentire, tum quam primum poterit ea literis a me missis inserere et manu ac sigillo suo ratificare. Sive autem in cancellata haec S. Regia Vestra Maiestas consentiat sive non consentiat, pernecessarium est, ut illa, de quibus S. Regiae Vestrae Maiestatis nomine conclusum est, manu S. Regiae Vestrae Maiestatis subscripta et sigillo eiusdem confirmata ipsi Ernesto citra omnem remoram die nocteque transmittantur. Nisi enim testimonium et literas S. Regiae Vestrae Maiestatis quas ostendat habeat, nec equitem nec peditem ullum recipere potest. Interim autem, ne conscriptio exercitus longius differretur, de iis rebus, de quibus inter nos conventum est, et quae cancellata non sunt, testimonium ipsi a me et Palatino id petenti dedi, manu mea subscriptum et sigillo meo confirmatum, quod interea, donec S. Regia Vestra Maiestas suam horum tractatum confirmationem (id autem ut quam celerrime fiat, plurimum interest) ei reddi curet, exhibere militibus posset.

Verum nec hoc praetereundum hic esse existimavi, ut S. Regia Vestra Maiestas clementer curet, ne miles, ubi in Livoniam venerit, necessario commeatu, veluti cibariis, stramine, faeno, avena atque id genus aliis rebus cum ad se, tum ad equos alendos necessariis, destituatur. Alias inopia rerum necessariarum compulsus, non absque dedecore S. Regiae Vestrae Maiestatis dilabatur. Hunc commeatum, si per commissarios S. Regia Vestra Maiestas provideret militibusque vendi curaret, ea in re suum etiam commodum quaerere posset. Sin minus, utique de commeatu pro necessitate per rusticos vel alios advehendo vendendoque erit providendum.

Necessum item est peditibus arrham militarem dari. De eo conventum est, ut cuilibet pediti unus thalerus, sed de stipendio eorum non subducendus, detur.

Singulis equitibus vero sex thaleri, sed hi rursus vel de stipendio ipsorum vel de viatico, quod ipsis more militari dari solet, ubi ad locum monstrationis vel delectus perventum fuerit, subtrahendi, dandi sunt. Ad hoc igitur Ernestus sufficientem pecuniae summam, videlicet septem vel octo millia thalerorum, sibi tradi petit. Cum autem certior factus sim S. Regiam Vestram Maiestatem ea de re thesaurario Mariaeburgensi⁴⁾ mandasse, meis quoque literis hanc S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntatem Generositati eius significavi ipsique, ut thalerorum octo millia Ernesto traderet, scripsi.

Cumque quidam equites haud dubie ex longinquiore locis adventuri sint, quibus, cum illis sex thaleri, donec ad locum delectus veniant, vix suffecerint, aliquid mutuo dandum fuerit, quod itidem de stipendio cuiuslibet

postea detrahitur, hanc etiam ad rem necessaria pecuniae summa ipsum Ernestum S. Regia Vestra Maiestas ut instruat, eamque omni mora dempta Dantiscum vel Stolpam transmittat oportet, ut equites gregatim ducere possit, nec ipsi inopia ad praedandum vel vim illis, per quorum fines ducentur, inferendam adigantur.

Petit quoque ipse Ernestus, ut S. Regia Vestra Maiestas monstrationum praefectos et militiae consiliarios vel natione Germanos, vel Germanicam linguam callentes, ut et ipsi milites intelligant et a militibus intelligantur, constituat, quo tanto rectius exercitus gubernetur. Cum autem S. Regia Vestra Maiestas et Germanos et Germanicae linguae peritos in aula sua non paucos habeat, arbitrio illius relinquendum esse duxi, quos ipsa utilibus hisce ac pernecessariis officiis praeficiendos existimet. Maxime autem idonei ad ea iudicati sunt Magnifici, Nobiles ac Generosi Domini, Martinus Zborowski, Castellanus Cracoviensis, Iohannes Lasski et Stanislaus Saremba. Hos et alios quosdam ad officia praedicta S. Regia Vestra Maiestas potest deputare.

Quandoquidem etiam absque dubio variarum nationum milites confluent, omnino in id invigilandum erit, quomodo pax et concordia pro adiunctis hisce articulis militaribus inter illos conservetur.

Petiit porro idem Ernestus, ut equitatum horum mille equitum in quatuor distribuere turmas, Germanice Schwader vel Fanen vocatas, et ita adhuc ducentos insuper equites ad suppletionem quartae turmae, cum sub qualibet turma trecenti equites comprehendantur, recipere liceret, ut totus equitatus mille ducentis equitibus constaret. Sed de hoc sententiam et voluntatem S. Regiae Vestrae Maiestatis, an illud concessura sit nec-ne, expectabit.

Veretur idem Ernestus se officiorum praefectos inter milites destinato illis stipendio vix impetraturum, impense orans, ut egregio exercitatoque alicui militi, cuius prae ceteris usus in bello esse possit, stipendium unum addere ipsi integrum sit, in quo ut utilitas et emolumentum S. Regiae Vestrae Maiestatis quaeratur, operam se daturum pollicetur.

Cupit item, ut aliqua pecuniae summa in oppido Cauna, unde militibus stipendia dari possint, deponatur.

Deinde hoc etiam providendum suadet, ne sclopetarii unquam vel plumbo vel pulvere tormentario destituantur, utque ad minimum quinque exiguae et leves bombardae, quas campestris vocant, quaeque duobus vel tribus ad summum equis ubivis circumduci, ipsumque exercitum semper subsequi possint, a S. Regia Vestra Maiestate deputentur, ac insuper exercitui fossores, quotquot opus fuerint, fabri lignarii vero si non plures, tamen vel sex tantum addantur.

Pariter vexilla tot, quot suffecerint, paranda sibi transmittenda, aut si ab ipso ut parari curentur, S. Regia Vestra Maiestas vult, tum se, si quo modo ea fieri debeant, a S. Regia Vestra Maiestate ipsi significatum fuerit, id provisurum esse.

Postremo rogat saepe nominatus Ernestus, cum apud alios Reges et Principes Romani Imperii consuetum sit, ut supremus exercitus praefectus equitumque magistri, quoniam in conscribendo exercitu multiplices sumptus facere coguntur, vicissim dignis muneribus donentur, ut S. Regia Vestra Maiestas hac quoque in parte clementer ipsius meminisse, vel interim saltem duo millia florenorum, quae deinde S. Regia Vestra Maiestas de stipendio illius (nisi ea potius donanda ei existimet) rursus possit subducere, ad id mutuo dare velit.

Quod reliquum est, S. Regiam Vestram Maiestatem obnixe et unice rogo, cum res per me et Dominum Palatinum Mariaeburgensem ad leviores sump- tus redigi nequiverit, ut S. Regia Vestra Maiestas studium ac diligentiam nostram (quae pro officio nostro summa fidelique adhibuimus) aequi boni consulat, nec quicquam de sua in nos gratia ac benevolentia remittat. His S. Regiam Vestram Maiestatem Christo Servatori salvam ac florentem con- servandam commendo eandemque omnibus modis hostibus suis superiorem esse exopto. Datae.

Cedula

Serenissime Rex, Domine Clementissime etc.

Scripsi quidem de tradendis Ernesto ex sententia S. Regiae Vestrae Maiestatis octo millibus thalerorum ad thesaurarium Mariaeburgensem. Ve- rumtamen cum Ernesto conveni, si is se difficiliorem hac in re praeberet, me effecturum, ut eam pecuniam si non citius, tamen ad diem Dominicam Cantate⁵⁾ proxime venturam Dantisci vel Stolpae a S. Regia Vestra Maiestate certo acciperet. Id itaque S. Regia Vestra Maiestas ut faciat, cum alias ne unum quidem militem accipere possit, etiam atque etiam peto hortorque. Datum ut in literis.

Regi Poloniae

In folio separato: Regi Poloniae, XXI Aprilis anno LXIII.

1) Comitatus Regni Petricoviensis, 25.III.1563
conclusa.

2) Ioannes IV Basilides.

3) Ericus XIV.

4) Ioannes Kostka, thesaurarius terrarum Prus-
siae.

5) 9.V.1563.

N. 5532.

S.l., 21.IV.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*nuntiat se voluntati regiae libentissime obtemperaturum et, cum de loco conven-
tus certior factus fuerit, una cum palatino Marienburgensi regem conventu-
rum esse; rogat, ut rex Conventus generalis terrarum Prussiae, cui palatinum
interesse oportet, rationem habeat et opportuno tempore utrumque ad se
venire iubeat.*

Cfr. El. XXXII, N. 882.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Significatum mihi est per Magnificum ac Generosum Dominum Acha- tium a Czema, Palatinum Mariaeburgensem, S. Regiam Vestram Maiestatem velle, ut eam ex Comitibus iam finitis⁵⁾ discedentem in loco aliquo opportuno colloqui et seriis quibusdam de rebus conferendi causa conveniam. Huic S. Regiae Maiestatis Vestrae voluntati, per S. Regiam Vestram Maiestatem, quo in loco se conveniri velit, certior factus, si Deus omnipotens salvum et

incolumem me conservaverit, oboedientissimi Principis officio libentissime parebo. Cumque praeterea ex eodem Palatino perceperim S. Regiam Vestram Maiestatem eius quoque Magnificentiam una mecum tum sibi adesse velle, Conventus vero generalis terrarum Prussiae Mariaeburgi ad diem Stanislai proxime venturum²⁾ institutus sit, S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum peto, ut huius Conventus, cui Dominum Palatinum interesse oportet, rationem habeat meque cum Domino Palatino opportuno tempore ad se venire iubeat. Quod S. Regiam Vestram Maiestatem, quam felicem diutissimeque superstitem esse exopto, subdite celare nolui. Datae.

Relatio Cancellarii³⁾
Idem et Princeps audivit

In folio separato: Regi Poloniae, 21 Aprilis.

1) *Comitia Regni Petricoviensia 25.III.1563 finita sunt.*

2) *8.V.1563.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5533.

S.l., 24.IV.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Stanislao Gerlicki, Francisci a Baisen genero, qui in rixa «inopino vulnere» interfecit Ludovicum Troski, subditum et servitorem suum, intercedit et rogat, ut «consideratis casus huius circumstantiis, regiam hanc clementemque moderationem adhibere dignetur, ut dictus Gerliczki imprudenter et sui defendendi causa commissae caedis alia quacunque ratione, absque vitae periculo, convenientes luat poenas, negotiumque hoc cum occisi cognatis placide transigatur».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5534.

S.l., 1.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,

pro Matthaeo Richter, concionatore in Wschowa [Fraustadt], negotium quoddam ad parochiam in Wschowa pertinens apud regem habente, intercedit et rogat, ut ei, in aula regia prorsus ignoto, aditum ad regem faciliorem reddat; eundem concionatorem laudat («wir gnugsam bericht, das dieser ehr Matheus der reinen rechten lehr Christi zugethan und durch sein predigen und lehren viel nutz in der christlichen gemein schaffen kan»).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5535.

S.l., 1.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Bernardo Pohibel, secretario Gabrielis Tarlo, consilium eius Vilnae usque ad regis istuc adventum morandi improbat et nuntiat se eius reditum in dies exspectare.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5536.

S.l., 2.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

refert responsum Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, Achatio a Dohna, suo ad eundem coadiutorem legato, datum, cuius summa haec est: coadiutorem paratum esse regi Poloniae in omnibus gratificari, quae honorem suum et fidem S.R. Imperio debitam non laedant, subiectionem vero archiepiscopatus Rigensis, regi a defuncto archiepiscopo Gulielmo factam, varias ob rationes, quas enumerat, agnoscere non posse; consilium suum in hac causa regi suggerit; in classe bellica instruenda se regi, ob facultatum suarum angustiam, gratificari non posse ponderet.

(Schedula: nondum peractae sepulturae fratris sui, archiepiscopi Gulielmi, et non persolutorum stipendiorum, servitoribus defuncti debitorum, regem admonet).

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Celare S. Regiam Vestram Maiestatem non possum Generosum Achatium Burggrabium et Baronem de Donen, Capitaneum in Morungen, consiliarium meum, perfuncta apud Illustrem Dominum Christophorum, Coadiutorem archiepiscopatus Rigensis, legatione, citis itineribus ex Livonia ad me rediisse idque responsi ab eodem Domino Coadiutore retulisse, quod Sua Illustritas in omnibus S. Regiae Vestrae Maiestati gratificare parata esset, quae citra laesionem honoris sui et fidei, quam S. Romano Imperio deberet, praestare posset. Subiectionem autem eam, quam Reverendissimus Dominus Archiepiscopus¹⁾ S. Regiae Vestrae Maiestati et inclito Poloniae Regno fecisset, agnoscere se non posse. Primo propter terna imperialia mandata, quibus Illustritas Sua admonita est, ne quid Romano Imperio in administranda archidioecesi Rigensi alienaret. Haec Illustritati Suae sancte observanda esse, ne alias possessiones suas, quas in Germania habet, discrimini exponeret notamque aliquam ipse sibi aspergeret, si se cum archiepiscopatu Rigensi sine consensu S. Romani Imperii alterius dominio subiiceret. Alteram causam, cur se Regiae Vestrae Maiestati submittere non posset, esse hanc, quod iuxta inita pacta cum Livonibus ea praestita non essent omnia, quae S. Regia Vestra Maiestas de tuenda Livonia recuperandisque per Moschum occupatis promississet. Quam crudeliter enim non Moschum modo a tempore pactorum et foederum in Livonia grassari, verum etiam militem suum praesidiarium

longe graviolem saevitiam ipso hoste exercere passa esset, testari illud quotidianas eius provinciae hominum lachrimas et querelas. In conspectu denique esse omnium, praesidia S. Regiae Vestrae Maiestatis non ad propulsandam, sed ad inferendam vim istic degere, pro arbitrio omnia agere ac rapere, nec Deum neque homines vereri. In castris etiam munitioribus frangi ab ipsis cancellos ferreos, perfodi etiam aggeres ac demoliri eos pleraque, quae potius conservanda sarciendaque essent, idque in nullum alium usum illos facere, quam ut via illis ad deambulandum sit compendiosior. Commeatus denique maximam partem, quae a S. Regia Maiestate Vestra praesidiis Livoniensibus mittitur, a praefectis praesidiorum corradī ac denique distrahi et divendi, magno cum praesidiariorum incommodo, ita ut plerique ex militibus partim ex rapina tantum miserorum subditorum vivere, partim fame perire coacti sint. Pisces omnes aliaque ad victum quotidianum pertinentia, quae flumine Rigam vehuntur, a Dunemundensibus militibus intercepti, magna cum civium Rigensium animorum exacerbatione. Effrenesque esse eos S. Regiae Vestrae Maiestatis homines ad omnia facinora perpetranda libidinesque crudelissimas exercendas, ut incolae Livoniae ipsos Moschos longe illis praeferant eorumque subesse iugo malint, quam insolenter ita ab iis, a quibus defendendi essent, premi et enervari. Ad haec nullam ibi esse disciplinam militarem maximamque militum illorum partem militiae ignaram esse.

Cum tamen commeatus ille, quem S. Regia Maiestas Vestra per mensem in militem eiusmodi unum impendit, si computetur, stipendium illud excedat, quod Germanico datur scolopetario, itaque cum ex cuiusque arbitrio omnia agi Illustritas Sua animadvertisset, graviusque provinciam eam a milite S. Regiae Vestrae Maiestatis quam ab ipso hoste affligi audisset, coactam fuisse Illustritatem Suam, ne funditus perdi archidioecesim pateretur, aliunde defensionem suorum conquirere. Non autem esse animo, quod foedus aliquod cum Sueco pepigisset, aut vim ullam S. Regiae Vestrae Maiestati inferre cogitaret, sed ut vim iniustam repelleret suosque, quos non desertos modo, sed rapinis a milite S. Regiae Vestrae Maiestatis ad stipem fere redactos cerneret, pro officio Coadiutoris et successoris in archiepiscopatu Rigensi tueretur.

Quia vero post mortem Reverendissimi Domini Archiepiscopi pia memoriae successionem archiepiscopatus sibi competere omnes scirent, graviter Illustritatem Suam ferre, quod S. Regia Vestra Maiestas Rigensibus et plerisque aliis edixisset, ne Illustritatem Suam in civitatem seu castra reciperent. Neque parum offensam esse, quod S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatarii, qui Rigam ad consignanda ea, quae Reverendissimus Dominus Archiepiscopus moriens post se reliquerat, missi erant, seris appressa Illustritatis Suae sigilla avulsissent, pedibus conculcassent multisque contumeliis in Suam Illustritatem iniurii fuissent. Quod cum in maximum dignitatis suae vilipendium cederet, et iuri, quod in archiepiscopatu Rigensi per ordinariam electionem consequuta esset, plurimum derogaret, indulgere quidem Illustritatem Suam nonnihil tempori. Illud vero omnino constituisse, quod eos, qui Suam Illustritatem pro domino agnoscere nollent, portasque ei praecluderent, armis ad oboedientiam et officii debitum compulsurus esset. Iussisse etiam eam ad rem tormenta iam aliquot bellica Parnovia sibi adduci.

Haec cum internuntii mei argumentis appositis et convenientibus ita diluissent, ut ab obstinato proposito Suam Illustritatem in mitiorem sensum per aliquot dierum habitos tractatus inflexissent, eo tandem Illustritas Sua adduci se passa est, quod indutias ad trium mensium decursum tractatibus secum suscipiendis dederit, ea tamen conditione adiecta, ut interea temporis S. Regia Vestra Maiestas militum seu praesidiariorum suorum crudelem

tyrannidem compescat, Illustritasque Sua in possessionem et administrationem archiepiscopatus mittatur. Quod si S. Regia Vestra Maiestas hoc trium mensium spatio consensum quoque S. Imperatoriae Maiestatis obtinere posset, quo libera S. Regiae Vestrae Maiestati potestas fieret subiiciendi sibi Livoniam, tum quidem Illustritatem Suam omnia facturam esse, quae sibi integra esse existimaret.

Haec summa est, Serenissime Rex, responsi Illustrissimi Domini Coadiutoris. Restat nunc, ut pro fidelitatis meae obsequio consilii mei tenuitatem S. Regiae Vestrae Maiestati eo in negotio paucis aperiā. Quod ut S. Regia Vestra Maiestas, prudentia me longe superans, boni consulat, etiam atque etiam oro.

Gravem esse Livoniensium querelam de violentia praesidiariorum S. Regiae Vestrae Maiestatis nemini obscurum est. Exerceri quoque ab illis tyrannidem hostili non inferiorem per homines fide dignos mihi relatum est. Meminitque S. Regia Vestra Maiestas me iam pridem per literas ea de re ad illam perscripsisse, utque praefectis suis in Livonia serio violentiam illam et rapinas ediceret, rogasse. Iam cum Illustris quoque Dominus Coadiutor idem queri audiatur, videtur mihi ante omnia S. Regia Vestra Maiestas rem pernecessariam factura, ut de corrigenda militum insolentia et consuetis in militia legibus emendanda eorum disciplina cogitet, talesque viros, qui versati in bellis aliquando fuerint, et in officio milites continere norunt, praeficiat.

Quod vero ad tractatus cum Domino Coadiutore celebrandos attinet, in eo videretur mihi illud ex re fore, si per internuntium aliquem gravem S. Regia Vestra Maiestas Suam Illustritatem commonefaceret, qua benevolentia illam prosequuta esset, quantosque in provehendis Suae Illustritatis commodis sumptus fecisset. Cumque nihil ab eo amore suo adhuc remisisset, sperare S. Regiam Vestram Maiestatem, Suam quoque Illustritatem non alieniore a S. Regia Vestra Maiestate animo factam esse. Quia vero rumor ad S. Regiam Vestram Maiestatem perlatus esset militem Suedicum ab Illustritate Sua ali, ipsamque a Rege Suecorum²⁾ in Livoniam rediisse, permotam fuisse S. Regiam Vestram Maiestatem, quod literas in Livoniam ad suos misisset, ut pro horum temporum qualitate periculosissima rebus omnibus invigilarent, ne quid provincia ea, quae in fidem S. Regiae Vestrae Maiestatis cecisset, detrimenti aliquid inopinati acciperet. Hoc vero non eo S. Regiam Vestram Maiestatem animo fecisse, quod de studio et amicitia Illustritatis Suae dubitaret, aut de persona illius sinistri aliquid erga se suspicaretur, sed ut pro iure protectorio officium suum faceret. Itaque non putare S. Regiam Vestram Maiestatem hac vel alia quapiam in re Illustritatem Suam offensam esse.

Si vero tecti aliquid esset, quod Illustritatem Suam moleste haberet, aut si quid in S. Regia Vestra Maiestate desideraret Illustritas Sua, petere S. Regiam Vestram Maiestatem illud sibi significari. Daturam enim se esse operam, ut ad colendam amicitiam propensissimam esse illam intelligeret, ita ut amicis tractatibus facile omnia componi passura esset. Quia vero illud quoque ad aures S. Regiae Vestrae Maiestatis pervenisset, praesidia Livonica praeter omnem S. Regiae Vestrae Maiestatis opinionem multa insolenter agere, graviter hoc S. Regiam Vestram Maiestatem ferre. Quod si Illustritatem Suam ea fortassis res offendit, curaturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem, ut qui ad regimen minime apti videntur, ab officio deponantur et in locum illorum aliis substitutis emendatio disciplina inter illos propediem instituat legesque tales ferantur, ut in officio omnes contineantur.

Cumque administratio archiepiscopatus post mortem Reverendissimi Domini Archiepiscopi nunc ad Suam Illustritatem devoluta esset, non invidere S. Regiam Vestram Maiestatem Illustritati Suae occupationem archiepiscopatus. Sed quia traditio illius non in manu S. Regiae Vestrae Maiestatis, sed in nobilitatis et capitularium potestate esset, qui in plerisque cum Illustritate Sua adhuc dissiderent, hortari S. Regiam Vestram Maiestatem, ut Sua Illustritas amicis tractatibus ad sopiendas terminandasque eas controversias locum det, quibus et ipsam possessionem deinde necessario sequi oporteret. Quod si S. Regia Vestra Maiestas iuvare concordiam eam posset, pro sua parte se illi minime defuturam.

In hanc sententiam putarem instruendum esse S. Regiae Vestrae Maiestatis oratorem. Talem autem esse oportebit eum, qui linguam calleret Germanicam et non ad exulcerandum Domini Coadiutoris animum, sed ad depredicandam et contestandam ei S. Regiae Vestrae Maiestatis summam gratiam orationis suae scopum semper dirigeret, obiectaque concinne, amice et composite dilueret, salva tamen his in omnibus S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia et meliore et prudentiore.

Ego interim ad praedictum Dominum Coadiutorem literas hortatorias dedi, ne animum mutet, tractatusque etiam ante traditam possessionem ne abnuat, cum occupatio seu traditio possessionis effectus sit tractatum, fierique non possit nisi semotis controversiis, quae Suae Illustritati cum nobilitate et capitularibus intercedunt. Eas ad literas quid responsi accepero, ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscribam.

Ceterum latere S. Regiam Vestram Maiestatem non possum me literas S. Regiae Vestrae Maiestatis accepisse, quibus a me postulat, ut de classe aliqua instruenda ad prohibendos hostium conatus cogitem. Qua in re, sicut aliis in omnibus, libenter studium meum deditissimum, hactenus non paucis, ut spero, argumentis comprobatum, S. Regiae Vestrae Maiestati declararem. Sed cum S. Regiae Vestrae Maiestati facultatum mearum angustia obscura non sit, et quod, navibus fere omnibus littore meo iam solutis, sera S. Regiae Vestrae Maiestatis postulatio haec est, clementer in eo veniam mihi dare dignabitur. Curabo tamen, ut si quos ex subditis meis ad provinciam eam suscipiendam allicere potero, ne quid in me desideretur. Cum autem literis publicae securationis seu passuum, ut vocant, ad omnes portuum maritimarum dominos et praefectos opus sint habituri, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas literas eiusmodi ad me mittere, quibus inter alia ascripta quoque sit de praeda concessa clausula.

De Comitibus Imperii nihil mihi constat. Quam primum autem certi aliquid ea de re comperero, S. Regiae Vestrae Maiestati hoc ipsum significabo. Submonere quoque dignetur S. Regia Vestra Maiestas de eodem oratorem suum, quem apud S. Imperatoriam Maiestatem habet. Interea negotium meum quiescere facile patior. Ac cum eiusmodi negotia ad publica Imperii Comitum plerumque reiciantur, missionem privatam ad S. Imperatoriam Maiestatem³⁾, pro horum temporum rationibus, parum utilem fore arbitror. Summas autem S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago, quod tanta cura negotia mea provehenda suscipit, daturus operam, ut id ipsum debitis officiis meis demerear. Atque haec ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscribenda esse duxi. Quam feliciter etc.

Cedula

Latere quoque S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, internuntium meum mihi retulisse neminem adhuc ex S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatariis Rigae esse, qui sepulturam Reverendissimi fratris mei piae memoriae iuxta

S. Regiae Vestrae Maiestatis promissionem curet, insepultumque adhuc iacere fratrem meum, servitores etiam Suae Illustritatis graviter ferre sibi stipendia non solvi. Itaque submisso eo nomine submonendam esse S. Regiam Vestram Maiestatem duxi, ut quod pro gratia sua se curaturam recepit, si id factum adhuc non est, confieri clementer iubeat. Stipendiorum quoque solutionem diutius propter graves causas, de quibus antea ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripti, differri ne patiatur. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem maxime necessariam.

Regi Poloniae, 2 Maii

- 1) *Gulielmus, archiepiscopus Rigensis, frater ducis Alberti († 4.II.1563).* 2) *Ericus XIV.*
3) *Ferdinandus I.*

N. 5537.

S.l., 2.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

notum facit Barnimum Pomeraniae ducem missionem oratoris sui in Daniam et Sueciam promississe; scribit etiam, quo casu idem dux regem summa aliqua pecuniaria iuvare paratus sit (scil. si non contra Suecum, sed contra Moscum expeditio moveretur); nuntiat per totam Germaniam cogi exercitum et imperatorem quoque landgraviumque Hassiae copias insignes conscribere, multosque suspicari imperatori secretum aliquod consilium cum rege Sueciae intercedere; a rege edoceri cupit, an internuntio suo in Sueciam destinato, difficilem illuc aditum et difficiliorem inde reditum habituro, iter pergendum sit nec-ne.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Internuntius meus, quem ad Illustres Dominos Pomeraniae¹⁾ et Megapolenses Duces²⁾ ablegavi, ad me perscripsit, quod Illustris Dominus Barninus Pomeraniae Dux missionem oratoris sui in Daniam et Sueciam benigne pollicitus sit, authoremque et suasorem se fore iunioribus suis ex fratre nepotibus, ut ipsi quoque non gravatim consiliarium aliquem ei legationi adiungant.

Quia vero idem internuntius meus inter cetera quoque in mandatis a me habuit, ut Suam Illustritatem amanter meo nomine compellaret de summa aliqua pecuniaria S. Regiae Vestrae Maiestati in mutuum danda, aut ut equitum turma Illustritas Sua S. Regiae Vestrae Maiestati auxilium ferret, ad ea sic Illustritas Sua responderat:

Si contra Suetiae Regem³⁾ cum auxiliis Suae Illustritatis facienda esset expeditio, in eum casum obstare Illustritati Suae arduas rationes, cur certi ad eam postulationem aliquid respondere pro hac vice non posset. Si autem summa necessitas exigeret Sueciaeque Rex aperto bello infestare S. Regiam Vestram Maiestatem non cessaret, tum quidem Illustritatem Suam omnia ea facturam esse, quae integra sibi duceret, praehabita tamen ea de re cum nepotibus ex fratre et Ducatus sui subditis deliberatione. Ubi vero non contra Suecum, sed Moschum expeditio moveretur, in eo casu Illustritatem Suam pro facultatibus suis S. Regiam Vestram Maiestatem iuvare, quocumque tempore vellet, paratissimam esse.

Idem internuntius meus inter cetera et hoc suis in literis adiecit, per totam Germaniam ab omnibus fere Electoribus et Principibus cogi exercitus, Imperatorem⁴⁾ quoque et Landtgravium Hassiae⁵⁾ equitum peditumque insignes copias conscribere ac suspicari plerosque latentis aliquid consilii Imperatori cum Sueco intercedere. Haec ita, ut ad me perlata sunt, S. Regiae Vestrae Maiestati, ne ignara eorum esset, communicanda esse duxi.

Ceterum quandoquidem subvereor sine fructu futuram legationem in Suetiam, rebusque sic, ut novit S. Regia Vestra Maiestas, iam constitutis, aditum ad Suetiam internuntio meo difficilem fore, reditum vero multo difficiliorem, submisso S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut rebus iam ita, ut scit, stantibus, me doceat, quid ei videatur de hac missione internuntii mei, an progrediendum illi sit vel revocandum eum ad me S. Regia Vestra Maiestas censeat, ne illo legatione in Suecia perfungente suboriretur illud, quod S. Maiestati Vestrae Regiae constat, reditus ei praeccluderetur a Sueco. Enixe itaque peto, dignetur S. Regia Vestra Maiestas his secum examinatis, quid expedire hoc in casu ducat, ad me perscribere. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet incolumem et felicia ei omnia largiatur. Datae.

Princeps audivit

In folio separato: Regi Poloniae, 2 Maii anno etc. 63.

1) Barnimus IX et eius nepotes.

3) Ericus XIV.

2) Ioannes Albertus et Ulricus III.

4) Ferdinandus I.

5) Philippus I.

N. 5538.

S.l., 3.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,

nuntiat se de custodibus teloneorum ad praefectum suum Jurborgensem mandatum dedisse, ut inspecto inventario, commissariis suis dato, se ita gerat, ne quis de illo iuste conqueri possit; se quoque mandasse, ut in districtu Jurborgensi contributio colligatur et ad thesaurum regium mittatur; rogat, ut iustam et aequam subditorum suorum hypothecariam rationem habeat.
(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5539.

S.l., 3.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

pro benevolentia, subditis suis, in confinio Jurborgensi damno affectis, exhibita, gratias agit; nuntiat Achatium baronem a Dohna, consiliarium suum et capitaneum in Morungen, sibi questum esse servitores fratris sui Henrici, qui ex Livonia cum canibus venaticis, litteris aliisque rebus ad se pertinentibus missi erant, «in Samogitia circa oppidum Schauken (quod heredita-

rium esse dicitur Melchioris Schemioth et Potzstolly) gravi iniuria affectos esse»; rogat, ut rege absente auctoritatem suam pro eis interponat, quo facinoris auctores debito modo puniantur et res ablatae ad capitaneum suum Ragnetensem mittantur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5540.

S.l., 4.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

negotium Lucae Marchowitz, proconsulis Vlnensis, qui cum quibusdam senatoribus Vlnensibus, collegis suis, controversiam habet, commendat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5541.

S.l., 4.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Francisco Lismanino

de dissidiis in reformatis Poloniae ecclesiis, per Stancarum excitatis, et de valetudine eius affecta facultatumque angustia dolet; centum florenos dono mittit; litteras commendaticias pro eo ad regem se scribi iussisse, scriptum vero eius de Trinitate theologis suis examinandum dedisse nuntiat, qui tamen, licet eiusmodi opus probent, editionem eius in Ducatu suo gravissimis rationibus dissuadent; Lucam Mundium propter intercessionem eius sibi commendatum esse scribit.

El. XLV, NN. 166, 167.

Conc., H B A, B, K. 1185

Albertus etc.

Venerande et Erudite, nobis sincere dilecte.

Binas a vobis accepimus literas unius argumenti et tenoris, diversis vero temporibus scriptas. Ac primo quidem pro pietate christiana dolenter intelleximus dissidia in reformatis Poloniae ecclesiis per Stancarum¹⁾ excitata esse. Quia vero in propaganda Dei gloria et purioris doctrinae evangelicae assertione suis Sathan utitur organis, quibus crescentem Christi honorem et aeternae beatitudinis cognitionem impediat, non mirum vobis videatur, si et in vestris ecclesiis mille artifex iste verbi divini semen lolio inseminato extinguere conetur. Sed cum spes nostra sit in Domino, qui suam gloriam pudefieri minime patitur, orandum illum esse censemus, ut lucem Evangelii erroneum talium vel ambitione vel opinionum vanitate obscurari non sinat, sed fluctuantem instar Petri naviculae Ecclesiam in hac decrepita mundi senecta a procellis eiusmodi Sathanae conservet protegitque.

Quod ad valetudinem vestram affectam et facultatumstrarum angustiam attinet, in eo vicem vestram non possumus non commiserando dolere. Optamus autem a Domino Deo, ut recuperata priore valetudine ad aedificandam Christi Ecclesiam in seros adhuc annos vobis vita incolumi frui concedatur. Quia vero clementer vos gratia nostra complexi sumus, pro qualicunque significatione eiusdem propensissimae voluntatis nostrae cum Luca Mundio²⁾, harum latore, centum vobis florenos Polonicales dono mittimus, clementerque postulamus, ut exile hoc aequi bonique consulatis ac de nobis omnia ea, quae a Principe gratiose proficisci solent, pro rationumstrarum qualitate omni tempore vobis persuadeatis.

Literas commendaticias ad S. Regiam Vestram Maiestatem pro vobis scribi iussimus, quas cum proprio tabellione perferri ad S. Regiam Maiestatem Suam ac responsum ad eas vobis transmitti curabimus.

Scriptum de Trinitate theologis nostris examinandum dedimus, qui nobis retulerunt recte et catholice vos in eo articulo sentire, sed excudi scriptum illud in nostro Ducatu rationibus arduis dissuadent. Primo, ne contentiosa ingenia Sathanae instinctu ex eo scripto disputandi sibi materiam sumerent et erroris Stancariani flammulam aliquam excitarent. Deinde, quod in eo scripto totus contextus symboli Niceni non recitetur. Quod cur omissum sit, ipsi nescirent. Cum tamen integrum eum ascribi oporteret, si typis publicandum esset hoc scriptum, consultius autem arbitrantur, ut editio eius scripti per vos Basiliae, Witebergae vel alibi prelo committatur, ita eum maiore cum auctoritate et existimatione proditurum putant, quam si in nostra hac qualicunque officina typographica excuderetur.

Lucam Mundium propter intercessionem vestram commendatum habuimus negotiumque illius de meliori nota apud S. Regiam Vestram Maiestatem literis nostris iuimus. Faxit Deus, ut et vobis et bono illi viro nostrae intercessionibus plurimum prosint. Atque haec vobis ad binas literas vestras respondenda esse duximus. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi vos, tanquam salutare organum Ecclesiae suae, conservet, Spiritu Sancto suo regat et Sathanae praestigias frangat pro nominis sui gloria, addatque vobis et corporis et animi robur diuturnum. Quod nos precibus pro vobis ad Deum nostris exorare non cessabimus. Interim nos nostraque omnia orationibus quoque vestris commendatos esse cupimus. Datae.

Princeps audivit

Francisco Lismannino, 4 Maii anno LXIII.

1) *Franciscus Stancarus, Mantuanus.*

2) *Lucas Martinides Mundius, proconsul Vilnensis, Arianus.*

N. 5542.

S.l., 9.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de condicionibus, ab Ernesto Weiher propositis, equites peditesque regi conscribendi refert et consilium in hac re suum suggerit; nuntiat genero suo, Ioanni Alberto duci Megapolensi, videri nullam commodiorem viam ad rem celeriter et bene gerendam regi obtingere posse, quam si Erii ducis Brunsvicensis opera uti vellet; item significat ab eodem duce Megapolensi sibi scriptum

esse de necessitate disponendi cursores seu postas pedestres ex Ducatu Megapolensi in Ducatum Prussiae; addit praeterea Riga sibi perscriptum esse Livoniam in summo periculo versari propter auxilia a rege tam diu procrastinata; de voluntate regis, quod ad suum cum ipso congressum attinet, temporius edoceri cupit.

Cfr. El. XXXII, N. 874.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Responsum S. Regiae Vestrae Maiestatis ad literas meas, 21 Aprilis Regiomonti datas, quinto die huius mensis Warschoviae scriptum, octavo eiusdem sub horam primam postmeridianam accepi. Ex quo intellexi rationes de comparando milite Germanico partim cum Weiiero¹⁾ iam conclusas, partim ad arbitrium S. Regiae Vestrae Maiestatis remissas, S. Regiae Vestrae Maiestati non probari. Cumque ob magnitudinem stipendii et ob conditionum difficultatem proposita impedimenta quomodo e medio tollere possit S. Regia Vestra Maiestas, non intelligeret, velle se de re tota amplius adhuc deliberare. Ad ea celare S. Regiam Vestram Maiestatem non possum, venissee huc non ita pridem Magnificum Dominum Palatinum Marieburgensem²⁾, legatum S. Regiae Vestrae Maiestatis, cum fidei literis iussuque et mandato illius a me postulasse, ut in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis cum Weiiero de equestri et pedestri milite conscribendo convenirem, ratamque enim habituram esse S. Regiam Vestram Maiestatem per omnia conventionem eam. Confirmavit illud ipsum quoque Eximius Doctor Christophorus Jonas, consiliarius meus etc., qui Petrocovia reversus eam S. Regiae Vestrae Maiestatis sententiam esse idemque per se, quod per Dominum Palatinum praedictum postularet, velle et cupere illam mihi retulit.

Ego etsi rebus in omnibus possibilibus libentissime S. Regiae Vestrae Maiestati obsequium meum contestor, tamen subire eam provinciam nonnihil difficile mihi videbatur, propterea quod rationes eiusmodi conventionum militarium uti arduae et graves mihi non incognitae sunt. Tamen ne quid S. Regia Vestra Maiestas de observantia et fideli obsequio meo desideraret, onus illud cum Domino Palatino praedicto subii, egimusque uterque ad mandatum S. Regiae Vestrae Maiestatis in negotio eo sedulitate, studio et diligentia qua maiore potuimus, multaque leviori et minore stipendio pacti sumus atque a Weiiero persuasionibus nostris obtinuimus, quae ab alio Germanico equitum peditumque praefecto hisce temporibus obtineri poterunt, quemadmodum ex conventionis formula ad S. Regiam Vestram Maiestatem missa apparet. Quia vero ita convenimus, ut exceptis conclusis, quae a S. Regia Vestra Maiestate, uti receperat, ratificari debebant, pauca saltem (quae tamen ex mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis a nobis concludi, sicut alia, potuissent) ad S. Regiae Vestrae Maiestatis declarationem reiecta sint. Equidem praeter omnem opinionem mutatam esse S. Regiae Vestrae Maiestatis sententiam intellexi. Non ita pridem (ut dixi) iubere et mandare S. Regia Vestra Maiestas dignata est, ut cum Weiiero de comparando milite agerem concluderemque, ratumque hoc omne, quod per me ageretur, illam habituram esse.

Nunc vero difficiles militis eius alendi rationes sibi fore ampliusque ea de re deliberandum esse ostendit. Haec, ut solita cum S. Regiae Vestrae Maiestatis venia mihi dicere liceat, praemeditanda fuissent, antequam conveniendi et concludendi potestatem mihi S. Regia Vestra Maiestas committeret. Quia vero res amplius non est integra, sumptusque iam in equestres et pede-

stres milites tam a Weiero, quam aliis suis vicepraefectis facti sint, diesque hac in re Veiero per me et Dominum Palatinum praedictum, sicut proximis ad S. Regiam Vestram Maiestatem literis meis perscripsi, ad accipiendam Gedani vel Stolpae³⁾ pecuniam pro arris militaribus dictus et assignatus sit, prudenter S. Regia Vestra Maiestas secum cogitet, quanta cum S. Regiae Vestrae Maiestatis indignitate prioris sententiae suae mutatio futura sit. Taceo impensarum militarium refusionem, quam urgere praefecti conductorum iam militum non desinent. Novi enim, quae sit Germanicae militiae consuetudo et quam magni aestimentur eiusmodi in casibus sumptus, in comparandum militem frustra facti.

Ipse quoque hac in re mihi nonnihil metuo, cum Weierus literas a me habeat conventionis, iussu et mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis conclusae, ne sumptus praedictos sibi per me reponi postulet, tametsi iis literis meis eam clausulam adiecerim, quod ex mandato S. Regiae Vestrae Maiestatis omnia egerim, et quod ratificaturam se illa esse S. Regia Vestra Maiestas recepisset. Id quod ex literis quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis ad Veierum ea de re datis patet.

Itaque pro hac vice aliud S. Regiae Vestrae Maiestati respondere non possum, quam quod longiores S. Regiae Vestrae Maiestatis deliberationes Veiero detrimentosas, S. Regiae Vestrae Maiestati autem et mihi quoque, tanquam S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatario et negotiorum illorum commissario, parum honorificas fore dubium nullum est, tum quod populis illis, quibus S. Regia Vestra Maiestas protectionem et defensionem recepit, procrastinatio ea valde periculosa, hostibus autem ad rem bene gerendam opportuna et commodissima futura est.

Ad Veierum itaque in hanc sententiam dandas esse literas censeo, ne militem ullum in procinctu esse iubeat et, si quos conduxerit, ut missionem illis det, propterea quod nihil a S. Regia Vestra Maiestate ad tractatus cum illo habitos adhuc mihi rescriptum sit. Eas autem literas tandiu quiescere apud me sinam, donec ad decursum sex dierum citissimum, quidnam hoc in negotio S. Regia Vestra Maiestas constituerit, responsum accepero. Quam ob rem submisce oro, ut S. Regia Vestra Maiestas deliberationes suas maturaret, ne quid incommodi ex parte non cogitata ei emergat, praesertim cum maximi per Germaniam sint apparatus bellici milesque pro S. Regiae Vestrae Maiestatis usu fortassis iam conductus, ab illa repudiatus, in verba alterius iuret atque ita pro defensore hostis ei fiat acerbior.

Latere enim S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, me de variis rebus per Illustrem Dominum Ioannem Albertum Ducem Megapolensem, generum meum, admonitum edoctumque esse. Cumque Illustritas Sua earundem suarum ad S. Regiam Vestram Maiestatem literarum [exemplar] ad me quoque miserit, officiosissime peto, dignetur S. Regia Vestra Maiestas celeri responso suam voluntatem eius Illustritati aperire. Quod si S. Regia Vestra Maiestas meae licet parum prudenti in rebus tam arduis sententiae subscribere vellet, consulerem ei, ut ne oblatam eam occasionem, quantum rationes illius ferunt, negligeret, aut Principis illorum benevolentiam a se alienaret. Maiore enim semper cum fructu et alacritate miles Principem virum, in exercitu ductorem, quam tribunos militum sequitur. Id quod multorum praeclare res gestae testantur. Quanquam haec non eo animo S. Regiae Vestrae Maiestati consulo, quod magnis illam sumptibus gravatam velim, sed quod unius viri praestantis in re militari auctoritatem et experientiam multis aliis praeferendam esse censeo, tum quod ad reprimendos S. Regiae Vestrae Maiestatis hostes non cunctatione seu deliberatione longa, sed summa celeritate ad rem bene gerendam opus esse iudico. Quam istam faventis fortunae opportunitas in

Principem S. Regiae Vestrae Maiestati oblata ultronea inserviendi promptitudine, uti ex literis Domini Ducis Megapolensis apparet, instare velle videtur. Eam, si militis Germanici opera uti volet, ut ne S. Regia Vestra Maiestas magno cum terrarum, tam quae in clientelam illius concesserunt, quam hereditiarum damno, elabi sibi patiatur, iterum atque iterum suadeo. Praestat enim praevenire quam praeveniri, nimisque serum illud non putaram, plerumque esse consuevit. Tamen haec omnia prudentiori S. Regiae Vestrae Maiestatis iudicio relinquo. Hoc saltem peto, ut citis itineribus Hassiae genero meo rescribat, cum rationes Illustritatis Suae hoc flagitare videantur.

Illud quoque S. Regiam Vestram Maiestatem minime celandam esse duxi, generum meum praedictum inter cetera suis in literis et hoc asscripsisse, quod commodior via ad rem celeritate bene gerendam S. Regiae Vestrae Maiestati obtingere non posset quam ea, quae per Dominum Ducem Ericum⁴⁾, si uti eius opera vellet, se offert. Quam si S. Regia Vestra Maiestas excuteret, vix illi similem hoc tempore obventuram esse. Metuendumque, quandoquidem pax in Regno constituta esset, ne Landgrafius Hassiae⁵⁾ (si quidem moliri illum iam pridem hoc cognovisset) Sueciae Regem⁶⁾, tanquam generum suum, milite et armis iuaret.

Hoc quoque S. Regiae Vestrae Maiestati significandum esse duxi, Landgrafium Hassiae a Principibus Megapolensibus⁷⁾ petiisse, ut in Ducatu ipsorum liceret filiae suae, celebrandis nuptiis in Suetiam navigaturae, die 20 Maii Rostochii cum comitatu Principum, Comitum, Baronum et aliorum sub publica securatione naves conscendere. Ea in re non dubito Dominos Duces Megapolenses id facturos, quod sibi integrum esse duxerint.

Illustris quoque Dominus Megapolensis Dux, gener meus, inter cetera ad me perscripsit, quandoquidem armis nunc perstrepunt omnia, praecipue autem in parte inferiore Saxoniae exercitus ingens colligatur, operae pretium Suae Illustritati videri, ut in omnes eventus cursores seu postae pedestres ex Ducatu Megapolensi in Ducatum hunc usque meum disponantur, sic sane, ut singulis tribus milliariibus unus praeficiatur eiusmodi pedester veredarius, dandumque singulis esse per septimanam ad victum dimidium thalerum, singuli quoque ad manum habeant cornu, quali utuntur veredarii Italici, ut statim signo dato alter alterius adventum audiens, accinctusque in momento itineri, literas recipiat et ad proximum perferat. Hac ratione per decursum quadridui ex Ducatu Megapolensi ad me perferri posse literas Sua Illustritas asserit, promittitque ex Ducatu Megapolensi eam postarum dispositionem Stetinium usque sumptibus suis curaturam. Quod mearum erit partium, non gravabor similes alere postas ex Ducatu meo Gedanum usque. Quod si S. Regia Vestra Maiestas consilium hoc non improbaverit, posset a Dominis Pomeraniae Ducibus⁸⁾ petere, ut illi ab urbe Stetinensi Gedanum usque cursores eiusmodi quoque disponi iuberent sumptusque in alendos eos pro communi commodo non difficulter in se reciperent. Quae res cum hisce periculosis tempestatibus apprime necessaria videatur, plane confido Ducis Megapolensis consilium S. Regiae Vestrae Maiestati non displiciturum.

Riga ad me literas dedit consiliarius meus Wenceslaus Schack, quem nomine meo cohonestandae sepulturae Reverendissimi fratris mei, Archiepiscopi Rigensis⁹⁾, praefeci. Quibus inter cetera scribit in summo periculo Livoniae provinciam versari propter procrastinata tamdiu S. Regiae Vestrae Maiestatis auxilia, metuendumque, esse, ne rebus sic stantibus in aliorum fidem et protectionem urgente necessitate nobilitas cum plebe sit defectura. Summam enim esse ibi desperationem atque ita afflictam esse provinciam eam, ut maiore a Moscho cruciatu, excepta internecone, affici non possit.

Hac de re cum S. Regia Vestra Maiestas aliquoties iam per literas a me submonita sit, non dubito illam commodis suis invigilaturam esse, iamque curasse ea, quae et temporum qualitas et hostium machinatio requirit.

Quod ad congressum cum S. Regia Vestra Maiestate meum attinet, percuperem me ea de re temporius de sententia et voluntate S. Regiae Vestrae Maiestatis edoctum fuisse. Nunc vero, cum per temporis angustiam et propter absentiam Domini Palatini Marieburgensis, quem una mecum adesse S. Regia Vestra Maiestas voluit, tam cito in loca assignata ad S. Regiam Vestram Maiestatem excurrere non possim, veniam mihi in eo S. Regia Vestra Maiestas clementer dare dignabitur. Sequetur autem has literas per currus dispositos citissimis itineribus Eximius Doctor Christophorus Jonas, ut his de rebus nomine meo cum S. Regia Vestra Maiestate pluribus agat mentisque meae sententiam ei submisce aperiat. Si vero S. Regia Vestra Maiestas posthac opus meae praesentia habuerit, vocatus, quantum sane per aetatis et valetudinis meae rationem licuerit, fidelem ad obsequia S. Regiae Vestrae Maiestatis vasallum et sanguine iunctum Principem me exhibebo. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati properanter rescribenda esse duxi. Quam felicissime valere exopto.

Commissio Principis propria
Idem audivit praesente D[octore] Jona

In folio separato: Regi Poloniae, 9 Maii etc.

- | | |
|---------------------------------|--------------------------------------|
| 1) Ernestus Weiher. | 5) Philippus I. |
| 2) Achatius Czema. | 6) Ericus XIV. |
| 3) Shupsk. | 7) Ioannes Albertus et Ultricus III. |
| 4) Ericus II dux Brunsvicensis. | 8) Barnimus IX et eius nepotes. |
| | 9) Gulielmus. |

N. 5543.

S.L., 11.V.1563.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,
pro Valentino Stoll, servitore suo, intercedit et rogat, ut promissionis regiae ei
factae litteras, regio sigillo roboratas, ipsi impetret.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5544.

E Regio Monte, 13.V.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
consulit sibi videri nuntiat, ne internuntius suus cum legatis ducum Pomera-
niae in Sueciam progrediatur; pacis cum rege Sueciae incredulum se esse
scribit; admonet regem, ut edicta, ad compescendam militis praesidiarii*

in Livonia insolentiam edita, severe observentur; litteras passuum pro navibus sibi mitti et sepulturam fratris sui, archiepiscopi Rigensis Gulielmi, tandem celebrari petit.

(Schedula: Ernestum Weiher maximam partem equitum iam conscripsisse significat regemque commonet, ne pacta cum Weihero irrita fieri patiatur).

Cfr. El. XXXII, NN. 867, 875.

Conc., H B A, B, K.1185.

Serenissime Rex etc.

Quod S. Regia Vestra Maiestas internuntio meo cum legatis Pomeraniae Ducum¹⁾ in Suetiam omnino pergendum esse censet, speratque sine incommodo illorum hanc legationem fore, in eo cogitationes meae nonnihil ambiunt. Nam cum Serenissimus Daniae et Suetiae Rex²⁾ aperte iam inter se bello dissideant, omnesque portus et aditus in Suetiam a Rege Daniae praeclusi sint, non facturum esse Daniae Regem potestatem ullam navigandi in Suetiam oratoribus subverendum est. Inconveniens quoque videtur legatio ista, rebus, uti novit S. Regia Vestra Maiestas, in alium finem apud Serenissimum Daniae Regem Ducesque Pomeraniae iussu S. Regiae Vestrae Maiestatis iam constitutis. Itaque providendum esse arbitror, ne in duobus pugnantibus negotiis impingamus alterumque alteri obsit. Metuendum quoque est, si Domini Pomeraniae Duces intellexerint abnuere S. Regiam Vestram Maiestatem auxilia gravis armaturae, ne animi illorum ab eo, quod antea praestare ipsos S. Regia Vestra Maiestas voluit, abducantur, quemadmodum S. Regia Vestra Maiestas ex internuntio meo, Doctore Christophoro Jona, quousque iam consilia mea ad provehenda S. Regiae Vestrae Maiestatis commoda instituta processerint, intellectura est. Consultius itaque mihi videtur, ne internuntii in Suetiam progrediantur, sed tantisper in eo acquiescendum esse, quod ex voluntate S. Regiae Vestrae Maiestatis apud Daniae Regem, Pomeraniae aliosque Duces constitutum est, salvo tamen in his iudicio S. Regiae Vestrae Maiestatis prudentiore. Petoque, ut quid ipsa rebus sic iam stantibus expedire existimet, me edoceat.

Quod spes S. Regiae Vestrae Maiestati de Sueco bonae amicitiae facta sit, optarim non falso ad S. Regiam Vestram Maiestatem hoc perferri. Contrarium autem a Sueco agi, miles illius in Livonia satis testatur. Astipulari me querelis Illustris Domini Ducis Christophori³⁾ ne suspicetur S. Regia Vestra Maiestas, submitte oro. Narrando enim eas saltem et non asseverando ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi. In quo ut minime peccasse me existimo, ita pro fidei meae debito crebris rumoribus et responso tandem Domini Ducis Christophori adductus, hoc fecisse me arbitror. Idem quoque ex Domino Duce Curlandiae⁴⁾ S. Regiam Vestram Maiestatem intellecturam esse minime dubito. Emendata autem et curata, de quibus submitte monui, esse a S. Regia Vestra Maestate iam pridem omnia libenter audiavi, eritque id ipsum ex re et commodo tam S. Regiae Vestrae Maiestatis, quam totius provinciae Livoniae. Invigilandum autem erit mandatariis S. Regiae Vestrae Maiestatis, ut quae in Livoniam ad compescendam militis praesidiarii insolentiam edicta S. Regia Vestra Maiestas dedit, severa animadversione observentur. Quid enim internuntius meus Venceslaus Schak non ita pridem et nudius quoque tertius Riga ad me scripserit, ex Doctore Jona S. Regia Vestra Maiestas cognoscet.

Indutiae trimestres ab eo tempore inceperunt, quo Dux Christophorus internuntio meo, Baroni de Donen, responsum, quod S. Regiae Vestrae Maiestati missum est, dedit. Quod vero missionem nuntii ad eundem Ducem non ex dignitate sua futuram S. Regia Vestra Maiestas existimat, facile quidem S. Regiae Vestrae Maiestatis iudicio hac in re cedo, siquidem prudentiae illius iudicanda et pro arbitrio constituenda omnia remissa a me sunt.

Literas passuum pro navibus, quas se mittere S. Regia Vestra Maiestas scribit, nullas accepi. Curabit itaque S. Regia Vestra Maiestas illas ad me perferri.

Sepulturam Reverendissimi Domini Archiepiscopi, fratris mei piae memoriae⁵⁾, ita extrahi, in eo excusata habeo S. Regiam Vestram Maiestatem. Imputandam autem moram eam illis esse censeo, quibus negotium hoc demandatum est, petoque enixe, ut se S. Regia Vestra Maiestas Regem clementissimum, uti benignissime recepit, porro praebeat, funusque insepultum diutius iacere ne patiatur. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem quovis officii genere mihi demerendam. Regiomonti, 13 Maii anno 63.

Cedula

In harum consignatione literas accepi, quibus mihi significatur Veierum maximam iam partem militis sui equestris conscripsisse. Accurrere etiam iam militem pedestrem. Dignabitur itaque S. Regia Vestra Maiestas in eas cogitationes incumbere, ne cum aliqua dignitatis et suae et meae macula deliberationes suas diutius extrahat, aut pacta cum Weiery irrita fieri patiatur. Opus enim non iis tantum militibus, sed pluribus etiam S. Regiam Vestram Maiestatem habituram esse animus mihi praesagire videtur. Referet enim S. Regiae Vestrae Maiestati Doctor Christophorus Jonas, in quem finem tantus in Germania exercitus sit comparatus, ut si antea unquam, certe hisce temporibus invigilandum sit. Datum ut in literis.

1) Barnimus IX et eius nepotes.

2) Fridericus II et Ericus XIV.

3) dux Megapolensis, coadiutor Rigensis.

4) Gottardus Kettler, dux Curlandiae ab 5.III.1562 (antea magister Livoniae).

5) Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.

N. 5545.

S.l., 14.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

respondet, cur postulationi regis, ut labores silvestres per mare dimitti permittat, satisfacere non possit.

Cfr. El. XXXII, N. 871.

Conc., H B A, B, K.1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Redditae mihi sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, in quorundam compendia a S. Regia Vestra Maiestate (ut ego suspicor) extortae. Quibus novam et antea nunquam usitatam silvestrium laborum per mare dimissionem concedi sibi petit. In eo, sicut rebus in omnibus possibilibus, libenter S. Regiae Vestrae Maiestati gratificarer. Sed cum S. Regiae Vestrae Maiestati obscurum non sit pacta et foedera, quae inter inclitum Poloniae Regnum

Magnumque Lithuaniae et hunc Prussiae Ducatum constituta sunt, diserte prohibere, ne novae viae quaerantur, sed ut solitis itineribus terra et aqua libera quidem sint mercimonia, salvis tamen per omnia veteribus theloneis et emporiorum libertatibus, plane confido non passuram esse S. Regiam Vestram Maiestatem, ut pactis foederibusque aut libertatibus, mihi et subditis Ducatus mei concessis, quicquam derogetur, nec minore clementia ac divus S. Regiae Vestrae Maiestatis parens, me subditosque meos in iis conservaturam esse.

Dabit itaque S. Regia Vestra Maiestas mihi veniam, quod postulationi illius non satisfacio, cum sine consensu omnium Ducatus mei ordinum, quorum hac in re, non minus ac mea privilegia, libertates tangantur, concedendi potestas hoc in casu mihi nulla sit. Quod si factor S. Regiae Vestrae Maiestatis, Ioannes Kopp, sumptus eos, qui iam in dimissionem eam lignorum certis navibus ad hoc conductis facti sunt, exaggerabit, ipse sibi imputet et hos sumptus suae crumenae ascribat. Tempestive enim satis ipsum sub hiemis initium, cum ligna ea fluminibus demittere vellet, praemonui, ne hoc faceret. Me enim nullo modo asportationem lignorum per mare illi propter privilegia huius Ducatus concessurum esse. Indultum autem illi hoc est (tametsi, ut fatear id, quod res est non sine subditorum meorum gravi querimonia subsequuta), ut, si vellet, in districtu Memelensi ligna ea deponeret et cum civibus Mimatensibus aequo pretio distraheret. Si vero distrahere non posset, ut recta huc Regiomontem, tanquam in vetus et privilegiatum Ducatus Prussiae emporium, demitteret. Factor autem is S. Regiae Vestrae Maiestatis ab eo tempore nihil mihi respondit. Quam ob rem excusatum ut me S. Regia Vestra Maiestas habeat, enixe oro. Libenter enim aliis in rebus, salvis pactis, foederibus et libertatibus meis meorumque, quoad rationes meae patiuntur, debitum obsequium ei meum contestabor. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati respondenda esse duxi. Quam feliciter valere exopto.

Princeps audivit

In folio separato: Regi Poloniae, 14 Maii.

N. 5546.

S.L., 14.V.1563.

Albertus dux in Prussia

commissariis regiis Varsaviae congregatis

pro subdito suo Thoma Cossio (Koss), cive Regiomontano, causam cum Sigismundo Wolski habente, nunc vero per affectam valetudinem impedito, quominus Varsaviam (quo negotium eius a praeteritis Regni Comitibus remissum est) se conferat, intercedit et rogat, ut causam eius ad futura usque Comitibus reicere velint.

(Latine)

Conc., H B A, B, K.1185.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

notum facit se litteras ab Ernesto Weiher accepisse sibi nuntiantes, a rege ei iniunctum esse, ut a militum conscriptione desisteret; obsecrat igitur regem, ne sententiam suam mutet et ut milites colligi permittat.

Cfr. El. XXXII, N. 879.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

S. Regiam Vestram Maiestatem subdite celare non possum, hac ipsa hora, quinta nimirum pomeridiana, epistolam mihi Ernesti Weiher esse redditam, qua se literas S. Regiae Vestrae Maiestatis accepisse scribit, quibus ipsi, ne in militum conscriptione, de qua ex S. Regiae Vestrae Maiestatis iussu et voluntate a me et Domino Palatino Marienburgensi cum ipso conventum est, pergat, sed ab ea desistat, iniungatur. Cum tamen maximis sumptibus maximaque cum difficultate eo iam ab eo elaboratum sit, ut pedites iam ad locum delectus confluant et equites idem incipiant, quam ob causam hoc negotium vel factum mutari nullo modo nullaue ratione possit, submisso orans, cum ego ex S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia hoc negotium transigerim, ipseque literis meis, manu et sigillo meo confirmatis, inductus eam cogendi militis provinciam susceperit, ut itidem ne sibi aliisque quam plurimis strenuis egregisque militibus non ignominiae solum, verum detrimento etiam hoc esset, providerent. Cum itaque eo iam res, volente et mandante S. Regia Vestra Maiestate, devenerit, ut prorsus non sit mutabilis, nec milites dimitti iam honeste ullo pacto queant, aut sumptibus suis, quos se instruendo et adversus hostem firmando ferrent, tamen non sint carituri, S. Regiam Maiestatem Vestram etiam atque etiam oro obtestorque, ut regiae dignitatis hac in re suae, tum mei quoque rationem habere velit, nec existimatione sua indignum quicquam (quod certo futurum esset, si S. Regia Maiestas Vestra consilium suum post factum demum mutaret) committere.

Opus enim S. Regiam Vestram Maiestatem non illis tantum militibus Germanicis, sed pluribus habituram esse antea ad illam perscripsi. Quid enim sibi velit tantus S. Romani Imperii apparatus belli, prudens facile iudicare potest. Huc accedit, quod hisce diebus Lipsia ad me perscriptum est, esse ibi quendam Suetiae Regis¹⁾ praefectum, Diprandum Gelhorn nuncupatum, qui ante biennium hac in Suetiam proficiscens se Imperatoriae Maiestatis²⁾ legatione fungi aiebat (eratque tum quidem Imperatoriae Maiestatis aulicus non postremus). Ille equitum peditumque copias, iuramento contra S. Regiam Vestram Maiestatem in fidem Suetiae Regis obstrictas, in Germania iam complures conscripsit. Itaque pro mea fide S. Regiae Vestrae Maiestati consulo, ne pacta cum Veiero, iussu S. Regiae Vestrae Maiestatis per me confirmata, rescindat, quandoquidem opus milite Germanico S. Regiam Vestram Maiestatem habituram esse apparatus in Germania contra S. Regiam Maiestatem Vestram magna ex parte, ut mihi videtur, suscepti non obscure ostendunt. Ego hac in re fidem S. Regiae Vestrae Maiestati debitam contestor. S. Regiae Vestrae Maiestatis erit prudentius ista secum examinare et quid expedire ducat, constituere. Talia enim nunc sunt tempora, quae vigilantiam requirunt. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati submisso communicanda esse duxi. Quam feliciter valere exopto. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, XV Maii. Rursus per D. Doctorem in Cancellariam nostram restituendum.

1) *Ericus XIV.*

2) *Ferdinandus I.*

N. 5548.

S.l., 15.V.1563.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
litteras eius, Vilnae 9.IV. datas, de negotio Elisabeth, filiae Melchioris Pruski,
civis Vilnensis, quod ei cum quodam Ioanne Buchholtz (Pucholtz), in
Monte Regio nunc degente, intercedit, se accepisse nuntiat; miratur, cur
consistorium suum in causae huius cognitione neglecti officii accusetur.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5549.

E Regio Monte, 17.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*rogat, ut rex «cathgorico et celeri responso» duci Erico Brunsvicensi animi
sui sententiam declaret, utrum opera eius in conscribendo milite uti velit
nec-ne; nuntiat praeterea navibus aliquot Sueticis liberam per portum Gedanensem in Sueciam navigandi potestatem a Gedanensibus factam esse.*

Cfr. El. XXXII, N. 880.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, etc..

Rogatu Illustris Domini Ducis Megapolensis, generi mei¹⁾, inclusas hasce ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas mitto. Quarum exemplum cum descriptum mihi Sua Illustritas miserit, intelligo inde et Suae Illustritatis et Domini Ducis Erici²⁾ rationes citissimam S. Regiae Vestrae Maiestatis responsionem exposcere, praesertim cum ex literis Ducis Erici ad Dominum Ducem Megapolensem scriptis cognoverim, Suam Illustritatem magnam eius militis partem in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis iam conduxisse. Quod tamen cur Illustritas Sua, antequam de S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntate edocta sit, fecerit, satis mirari non possum. Itaque dignabitur S. Regia Vestra Maiestas cathgorico et celeri responso Illustritati Suae animi sui sententiam declarare, utrum opera illorum militum uti velit nec-ne. Minime autem dubito, deliberatione cum prudentissimis consiliariis suis habita, ita S. Regiam Vestram Maiestatem responsuram esse, ne animos eorum Principum a se alienet. Quia vero negotia eiusmodi, pro horum temporum qualitate, celerem expeditionem requirunt, dignetur S. Regia Vestra Maiestas in Magno Lituaniae Ducatu diurnas et nocturnas postas in castris, oppidis et villis constituere. Idem ego quoque in meo Ducatu curabo, ne quid mora in eiusmodi negotiis incommodet.

Ceterum latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, naves aliquot Suedicas non ita pridem Gedani appulisse, liberamque navigandi illis in Sueciam per portum Dantiscanum potestatem factam esse. Inde facile S. Regia Vestra Maiestas colligere potest, qua in autoritate mandata illius, de classe

contra Swecum³⁾ apparanda edita, habeantur. Idcirco indicandum hoc esse S. Regiae Vestrae Maiestati putavi, ut et hac in re, quid ei placeat, constituat. Atque haec habui, quae propter scribenda ad S. Regiam Vestram Maiestatem videbantur etc. Datae Regiomonti 17 Maii anno 63 etc.

In folio separato: Regi Poloniae, 17 Maii, hora 7 vespertina.

1) Ioannes Albertus.

2) Ericus II dux Brunsvicensis.

3) Ericus XIV.

N. 5550.

S.L., 18.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

suadet regi, ut tum per legatos suos, tum per litteras duces Megapolensem et Brunsvicensem certiores reddat se opera ipsorum in re militari uti velle.

Cfr. El. XXXII, N. 881.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Nullum mihi est dubium S. Regiam Vestram Maiestatem illa, quae hesterno die ab Illustri Domino Iohanne Alberto Duce Megapolitano, genero meo, ad me perscripta [sunt], una cum consilio meo, antea S. Regiae Vestrae Maiestati de non alienanda Brunsvicensis¹⁾ et Megapolensis aliorumque Principum benevolentia communicato, satis percepisse. Iam vero altius mihi rem omnem consideranti in mentem venit, operae pretium S. Regiam Vestram Maiestatem facturam, cum nunc provincialis conventus ordinum circuli Inferioris Saxoniae ad diem Iunii proxime venturum decimum tertium in urbe Brunswicensi, quo omnes ordines statusque eius circuli convenient, sit institutus, egoque non obscure animadverterim non paucos Principes ac status ad inserviendum S. Regiae Vestrae Maiestati haud difficiles, Illustrissimos vero Megapoliae et Brunswigii Duces ad id paratissimos esse, si S. Regia Vestra Maiestas subito citraque longiorem moram legatos eodem suis cum instructionibus sufficientibus literisque fidei mitteret, perque dictos suos Principes, Megapolensem scilicet et Brunsvicensem, ordines ac status singulos de auxilio vel certo militum numero, vel aliqua pecuniae summa ferendo amanter rogaret, atque ita deinde ex singulorum militibus (si quos promisissent) unus fieret exercitus atque hi duo Principes generales illius duces constituerentur, utque pecunia, quae contributa esset, ipsis traderetur, cum hac clausula S. Regiam Vestram Maiestatem vicissim omnibus ac singulis in pari casu, si aliquando id opus esset, operam suam auxiliumque contra quosvis eorum hostes, exceptis tamen iis, qui S. Regiae Maiestati Vestrae adversus immanissimum hostem Moschum subvenissent, ultro citroque deferre.

Imo neque hoc inconsultum mihi fore visum est, si S. Regia Vestra Maiestas eosdem duos Principes cum per litteras, tum per legatos etiam suos, in hanc forte sententiam amanter rogatos haberet, S. Regiam Vestram Maiestatem benignam Illustritatum eorum pollicitationem officiorumque delationem, pro quibus ingentes eorum Illustritatibus ageret gratias, abunde intel-

xisse et non solum promptissimae voluntatis illorum studium magni eam facere, verum etiam propterea sibi valde gratulari maximaeque laudi ducere, quod eos Principes ad obsequia sua tam faciles paratosque esse videat. Cum autem S. Regia Vestra Maiestas secum reputaret, Moschovitica haec pericula S. Regiae Vestrae Maiestati atque inclyto Poloniae Regno non tantum, verum etiam vicinis finitimisque regionibus ac terris imminere metuendaque esse, ideo tanto minus S. Regiam Vestram Maiestatem dubitare status ac ordines Inferioris Saxoniae circuli ad coniungendas cum S. Regia Vestra Maiestate suas vires adque ferenda adversus communem hostem auxilia (quae ratio impendentium non solum Orbis Christiani, sed et ceteris Principibus periculorum expeteret), non fore difficiles. S. autem Vestrae Maiestati Regiae viam ad expedienda haec commodissimam visam esse, ut opera Illustritatum illorum, quarum fidem et animi propensionem erga se singularem perspexisset, uteretur, petens, ut Illustritates eorum pro industria ac prudentia sua, quibus a Deo valde excellentibus ornatae essent, haec in eo conventu studiose fideliterque proponerent, singulosque ordines de auxilio non solum ad Regni Poloniae, sed totius etiam Christianae Reipublicae salutem ferendo diligenter sollicitarent, ea annexa pollicitatione, S. Regiam Vestram Maiestatem idem quoque in pari casu semper facturam atque vel auxiliariis copiis vel pecunia et belli sumptibus pro rationum S. Regiae Vestrae Maiestatis conditione ipsis subventuram esse.

Haec ego, cum in mentem mihi venissent, et ex re S. Regiae Vestrae Maiestatis fore mihi videbantur, eandem celare pro mea in illam fide non potui, etiam atque etiam petens, ut S. Regia Maiestas Vestra aequi bonique ista consulere studiaque mea sibi commendata habere et harum exhibitorum celeri responso expedire dignetur. Quam Christo Salvatori ab omnibus periculis salvam ac felicem conservandam commendo. Datae.

Principi audienti placuit

In folio separato: Regi Poloniae, XVIII Maii anno etc. 63 etc.

1) *Ericus II.*

N. 5551.

S.l., 19.V.1563

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vlnensi, M.D.L. cancellario, pro Thoma Coss (Koss), cive Regiomontano, intercedit et rogat, ut ei scriptum testimonium perhibeat litteras telonei, quas ducentis florenis Hungaricis ab altero subdito suo, Hieronymo Enwaldt, emerat, «ulterius quam Iudaei thelonio Caunensi praeffecti fuissent, non valuisse».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5552.

E Regio Monte, 21.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

per celerem nuntium mittit exemplar scripti sui, ante triduum per nuntium ducis

Megapolensis iam missi, incertus, an nuntius iste ad regem accessurus sit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185

N. 5553.

S.l., 22.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

consilium regis ad duces Megapolensem et Brunsvicensem scribendi probat;

diem sui et palatini Marienburgensis cum rege congressus temporius sibi communicari petit; refert responsum Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, ad hortatorias suas de trimestribus indutiis litteras.

(Schedula: significat se litteras regis, quibus sententiam suam de non conscribendis a Weihero militibus confirmat, accepisse; Achatii Czema in Daniam missionem dissuadet et in eius locum Achatium a Dohna suggerit).

Cfr. El. XXXII, NN. 879, 882.

Conc., H B A, B, K. 1185

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Ea, quae S. Regia Vestra Maiestas internuntio meo, Eximio Doctori Christophoro Jonae, respondere dignata est, ipso referente submissee intellexi. Gratumque audire mihi fuit qualemcunque iudicii mei tenuitatem S. Regiae Vestrae Maiestati non usque adeo displicuisse. Quia vero ipsam S. Regiam Vestram Maiestatem ad Dominos Megapoliae¹⁾ et Brunsvigiae²⁾ Duces scripturam esse inter cetera cognovi, reverenter in eo S. Regiae Vestrae Maiestatis consilio subscribo. Factura enim mihi videtur esse rem se maxime dignam, Principibus vero illis non ingratam. In iis vero, quae postulare S. Regia Vestra Maiestas a me dignata est, quantum rationum mearum conditio patietur, studium S. Regiae Vestrae Maiestati meum contestari annitar. Quod si facultas me in plerisque deficiet, boni tamen aequique voluntatem meam promptissimam S. Regiam Vestram Maiestatem facturam esse plane confido.

De congressu utriusque nostrum illud submissee peto, ut si S. Regia Vestra Maiestas me vocare ad se constituerit, iubeat una quoque adesse Magnificum Palatinum Marieburgensem³⁾, diemque temporius aliquanto dicat.

Praeterea latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, Illustrem Dominum Ducem Christophorum, Coadiutorem archidioecesis Rigensis, ad hortatorias meas de indutiis trimestribus litteras ita respondisse: Nihil se attentaturum esse, in quo de violatis indutiis accusari possit. Maiorem se autem in modum id vicissim petere, ut S. Regia Vestra Maiestas, per me rogata, suis praesidiariis in Livonia severe iniungat, ne et ipsi aliquid alieni a pace

durante indutiarum tempore inceptent. Graves enim Suam Illustritatem non iniuriarum modo ab iisdem praesidiariis, sed subditorum summam afflictionem non sine offensione indies experiri. Quae res cum antea S. Regiae Vestrae Maiestati per me indicata sit, ac Maiestas Vestra Regia se severis mandatis insolentiam suorum militum compescuisse non ita pridem scripserit, supervacaneum quidem esse arbitratus sum toties S. Regiae Vestrae Maiestati una eademque in re nauseam quasi movere. Tamen cum petenti hoc Domino Duci Christophoro honeste abnuere non potuerim, plane confido S. Vestram Maiestatem Regiam militi suo Livoniensi indutias eas trimestres iam publicasse vel publicaturam primo quoque tempore esse, ne stantibus indutiis hostile aliquid vel agant vel moliantur. Ego interea Dominum Ducem Christophorum ad colendam et observandam S. Regiam Vestram Maiestatem praestandaque ei ea, quae Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Rigensis, frater meus piae memoriae⁴⁾, cum S. Regia Vestra Maiestate pactus est, hortari et monere non cessabo. Deus Optimus Maximus res omnes ad salutarem finem perducatur et tranquillitatem Reipublicae diutius turbari ne permittat. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati scribenda esse putavi. Quam feliciter valere exopto. Datae.

Cedula

In harum consignatione redditae mihi sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, 19 die Salati scriptae. Quibus cum S. Regia Maiestas de conducendo milite Weierano in priori sententia, per Doctorem Jonam mihi renuntiata, se acquiescere scribat, statim hac ipsa hora literas S. Regiae Vestrae Maiestatis Weiero inscriptas misi, nullumque mihi est dubium postulatis illum S. Regiae Vestrae Maiestatis in omnibus satisfacturum esse. Quod vero S. Regia Vestra Maiestas Magnificum Dominum Palatinum Marieburgensem in Daniam mittendum esse censet, in eo libenter S. Regiae Vestrae Maiestati sententiae ass stipularer. Sed cum S. Regia Vestra Maiestas me toties de conquirenda insigni aliqua pecuniae summa admonere non cesset, eiusdemque Domini Palatini opera mihi tam hac in re, quam in congressu cum S. Regia Vestra Maiestate meo necessaria sit, illique non secundum in pecuniario negotio conficiendo habeam, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas secum deliberare, utrum praestet proficisci illum in Daniam, me vero in belli nervo conflando et S. Regiae Vestrae Maiestati et mihi suam operam navare. Quod si mihi constarent ea, quae per internuntium S. Regiae Vestrae Maiestatis in Dania sunt acta, quidve porro aut cuius momenti negotia in Dania peragi S. Regia Vestra Maiestas constituerit, possem et magis apposite quaecunque hac in re consilium S. Regiae Vestrae Maiestati meum communicare. Sed cum de actis et adhuc agendis umbram vix saltem ab aliis intellexerim, clementer S. Regia Vestra Maiestas mihi ignoscat, quod de non mittendo Domino Palatino Marieburgensi aliud quam S. Regia Vestra Maiestas sentire adducar.

Quod si negotia Danica usque adeo ardua vel implicata non essent, censerem Henricum Burggrabium et Baronem de Donen cum Illustris Domini Senigaliae et Curlandiae Ducis⁵⁾ Cancellario, data illis tractandorum omnium instructione, in Daniam recte mitti posse. Ita enim Dominus Palatinus Marieburgensis a me commode ad conquirendam pecuniam adhiberi et in congressu cum S. Regia Vestra Maiestate meo de copiis Weieranis in expeditionem mittendis rebusque aliis consilio S. Regiae Vestrae Maiestati praesto esse posset. In arbitrio itaque S. Regiae Vestrae Maiestatis erit, quid hac in

re expedire magis ducat. Petoque submisce, ut ne aegrius ferat, quod ignorantia negotiorum Danicorum me scribere haec cogat. Prudentiori autem S. Regiae Vestrae Maiestatis iudicio libenter acquiesco.

Regi Poloniae, 22 Maii.

1) Ioannes Albertus.

3) Achatius Czema.

2) Ericus II.

4) Gulielmus.

5) Gottardus Kettler.

N. 5554.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

regi postulanti, ut «de comparando belli nervo» (de conquirenda pecunia ad bellum gerendum necessaria) operam suam navet, respondet se ob aerarii sui angustiam hac in re ei gratificari non posse, nuntiat tamen subditos suos communi consensu statuisse praefecturam Preuschmark, hucusque Ioanni a Werden a se obligatam, redimere; suadet itaque, ut rex cum eodem a Werden per mandatarium agat, quo sibi aliquam pecuniae summam mutuo dare velit.

(Schedula: hortatur regem, «ut sui rerumque suarum diligentem et cautam rationem habere dignetur»).

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quandoquidem S. Regia Vestra Maiestas tam per literas quam internuntium meum, Doctorem Christophorum Jonam, clementer a me postulare dignata est, ut de comparando belli nervo operam ei meam navarem, nihil sane aequae vellem, quam ut voluntati S. Regiae Vestrae Maiestatis recte satisfacere possem. Quae autem facultatum mearum, praecipue vero aerarii mei exhausti, angustia sit, scire illam non dubito. Ut autem intelligat S. Regia Vestra Maiestas me rationibus illius non nisi optime consultum velle, latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, subditos Ducatus mei communi consensu recepisse in se redemptionem praefecturae Preuschmark, quam iure hypothecario ad 20 circiter florenorum millia Ioannes a Werden a me obligatam sibi habet. Quia vero praedicti subditi mei pecuniae mutuatae solutionem per contributionem ad mensem proximum Augusti eidem Ioanni a Werden facturi sunt, arbitrio S. Regiae Vestrae Maiestatis relinquo, an per Magnificum Dominum Palatinum Mariaeburgensem¹⁾, vel Dominum Thesaurarium terrarum Prussiae²⁾, vel aliquem alium, Ioannem a Werden conveniri velit, ut summam aliquam pecuniariam S. Regiae Vestrae Maiestati mutuare ne gravetur.

Caute autem S. Regiae Vestrae Maiestati agendum erit, ne redemptionis praefecturae meae mentio fiat, ut ipse Ioannes a Werden vel is, cui S. Regia Vestra Maiestas mandatum agendi cum eo dederit, intelligat subornatum hoc per me esse. Ego interea non cessabo cum dicto Domino Palatino de conquirendo aere sedulam S. Regiae Vestrae Maiestati operam navare.

Utinam talis mihi esset facultas, qualis voluntas, sane et mensae meae in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis contrahendae minime parcerem. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati secretius perscribenda esse duxi. Quam et feliciter valere et felicissime diu regnare exopto. Datae.

Relatio Cancellarii³⁾

Schedula:

Ceterum quandoquidem post Deum mihi et fidelibus S. Regiae Vestrae Maiestatis subditis in persona S. Regiae Vestrae Maiestatis et salutari illius gubernatione summum solatium situm est, submissee S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut sui rerumque suarum diligentem et cautam rationem habere dignetur. Scit enim, quam in hac mundi perversitate integritas humanorum animorum langueat et fucata coeperit esse fides virtutumque honestas, ut quid cui fidendum sit, non facile pateat. Datum ut in literis.

In folio separato: Regi Poloniae, 26 Maii anno etc. 63.

1) *Achatius Czema.*

2) *Ioannes Kostka, castellanus Gedanensis.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5555.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro regia benevolentia, in expediendo negotio Casparis a Münster, provincialis olim Livoniae marscalci, promissa, gratias agit, causam eius denuo commendat et rogat, ut «velit tandem calamitatis et miseriae illius, in quibus constitutus est, misereri clementerque de solutione debitae pecuniae, ne in tanta ipsi inopia perpetuo vivendum sit, ipsi prospicere».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5556.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Fridericum ab Aulack, consiliarium suum, in quibusdam negotiis suis ad regem mittit et orat, ut eum benigne audiat et nomine suo loquenti plenam fidem tribuat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5557.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
litterae credentiales pro Friderico ab Aulack, consiliario suo, in quibusdam
negotiis suis ad regem misso.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5558.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz
pro Caspares a Münster, provinciali olim Livoniae marscalco, ut causam eius
apud regem promoveant (cfr. N. 5555).*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5559.

S.l., 26.V.1563.

Albertus dux in Prussia

*Petro Myszkowski, R.P. viceducellario,
litterae credentiales pro Friderico ab Aulack, consiliario suo (cfr. N. 5556).*

*(Schedula: pro studio in negotiis suis, a doctore Christophoro Jona ei exposi-
tis, gratias agit; rogat, ut regi «submonitor esse velit, ut sui negotiorumque
suorum accuratam rationem habeat, ne in hac mundi perversitate, ubi
frigere fidem et callidis omnia consiliis plena esse videmus, fucus illi
fiat, magno cum Regiae Maiestatis ac Reipublicae detrimento»).*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5560.

S.l., 28.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*nuntiat se litteras Ernesti Weiher, una cum exemplo litterarum eiusdem ad
regem datarum, quibus quo die se Caunam ad delectum militum adventu-
rum scribit, accepisse; suadet, ut rex summam aliquam pecuniae Weihero
ad stipendia militi persolvenda Frauenburgum et Caunam mittat; consilium
dat regi, ut ipse res militi necessarias coemendas curet et eidem deinde cum
lucro, maiore pretio quam emptae sunt, vendat.*

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

*Accepi hoc ipso die litteras ab Ernesto Weihero, una cum litterarum ad
S. Regiam Vestram Maiestatem datarum exemplo, quibus quo die Caunam,
ubi delectus militum habebitur, divino favente numine venturum se speret,*

ad literas meas hac de re ipsi scriptas respondet. Etsi autem prius ipsi serio scripseram, ut quantum posset ad dictum monstrationis locum properaret, optassemque id citius, quam ipse futurum scribit, fieri potuisse, tamen breviusculam hanc moram, cum aliter res se habere nequiverit, aequi bonique consulendam esse censeo, idque ut S. Regia Vestra Maiestas faciat, enixe peto.

Porro S. Regiam Vestram Maiestatem recenti adhuc in memoria habere non dubito, quid de pecunia, quam milites mutuatitiam vocant, Ernesto Weiero Dantiscum vol Stolpam transmittenda, unde equitibus, quibus, donec ad locum delectus venirent, sex thaleri fortasse non sufficerent, mutuo aliquid dare posset, quod postea de stipendio cuiuslibet detraheretur, XXI die proxime praeteriti mensis Aprilis S. Regiae Vestrae Maiestati scripserim. Cum autem id hucusque factum non sit, atqui tamen ut fiat, ne eques viatico destitutus diutius in via haereat, vel etiam ad inferendam illis, per quorum fines ipsi transeundum est, vim adigatur, sit necesse, egoque huius rei spem Veiero fecerim, rogavit me Veierus, ut de tali pecunia Frauenburgum, quo ad XIII diem Iunii se venturum scribit, ipsi transmittenda apud S. Regiam Maiestatem Vestram instarem. Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem adhuc submisso oro, ut de hoc Veiero clementer provideat, ipsique a Thesaurario Mariaeburgensi¹⁾ thalerorum hanc ad rem sex millia Frauenburgum sub id tempus mitti iubeat. Erit postea eo facilius stipendiorum, detracta hac pecunia, ratio. Similiter Caunam quoque aliqua pecuniae summa, unde pediti paulatim eo confluenti ad tempus usque instituti delectus aliquid, quo se interim sustentet, quodque de stipendio uniuscuiusque postea subducatur, mutuo detur, alicui, quem ad hoc munus Weierus constituerit, conferenda est.

De scolopetis etiam, quod scolopetariorum aliqui illis non sint instructi, item pulvere tormentario ac plumbo, providendum Veierus monet. Atqui haec ipsa res, si Dantisci scolopetorum aliquem numerum, nisi vel Mariaeburgi vel alibi mox sunt in promptu, comparet militibusque postea vendi iubeat, S. Regiae Maiestati Vestrae maximopere proderit. Sic est id usitatum apud omnes Germaniae Principes, ut militibus suis de omni armorum genere prospiciant eoque belli rationibus maxime consulant. Maiore enim pretio, quam empti sunt, militibus quaeque concedunt, et quod duobus florenis ipsi emerunt, tribus vel pluribus vendunt. Iam S. Regia Vestra Maiestas aestimare facile potest, quantum in hac re providenda situm, quantumque commodi ex ea ad S. Regiam Vestram Maiestatem rediturum sit, si mille bombardae duobus millibus forte thalerorum emptae, tribus vicissim millibus vendantur, et pretium de stipendiis militum, non quidem integrum simul et semel, sed ita singulis mensibus, prout de eo conventum fuerit, subtrahatur. Perspicuum certe est efficere hanc rem sumptuum rationem multo tolerabiliorem. Postulat itaque ipsa hoc utilitas, quae certe in hoc genere maxima esse solet, ut S. Regia Vestra Maiestas, si sunt iam prae manibus scolopeta vel longiores bombardae, de illis Caunam confestim transmittendis, sin minus, Dantisci quam primum comparandis, Thesaurario Mariaeburgensi mandet, ut hoc pacto S. Regia Vestra Maiestas faciliorem aliqua ex parte belli rationem habeat, militesque armis pro necessitate instruantur.

Necessarium quoque est, et Veierus id rogat, ut tam equitum quam peditum stipendia, quemadmodum antea quoque hac de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem scripsi, literis S. Regiae Vestrae Maiestatis, quam primum Caunam ad delectum perventum fuerit, confirmentur. De quo S. Regiam Vestram Maiestatem interim provisuram non diffido. Sic petit etiam Veierus, si plures forte equites peditesve, et ipsi quidem instructi, ultra constitutum duorum millium numerum convenerint, ut a S. Regia Maiestate Vestra

admittantur. De hac re quid S. Regia Vestra Maiestas statuere velit, liberum eidem relinquo, et ipse delectus, quid faciendum hic sit, docebit. Ego quidem, si tolerabilis eorum sit numerus, id non dissuadeo. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem, quam aeterno Deo clementer conservandam commendo, pro officio ac fide mea celare nolui. Datae.

Princeps et Cancellarius²⁾ audientes
approbaverunt

In folio separato: Regi Poloniae, 28 Maii anno etc. 63.

1) *Ioannes Kostka.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5561.

S.l., 29.V.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

explicat rationes, ob quas frumentorum regionum et laborum silvestrium dimissionem in flumine Niemen sine telonei solutione permittere non possit; pro hac tantum vice id regi concedit.

Cfr. El. XXXII, N. 878.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quod S. Regia Vestra Maiestas et frumentorum suorum et laborum silvestrium dimissionem in flumine Nemen sine thelonei solutione sibi concedi postulat, in eo sane libenter S. Regiae Vestrae Maiestati gratificarer, nisi ea res in maximum meum detrimentum vergeret. Cum enim iis in locis, per quae naves et merces dimittuntur, firmandis et reparandis annuatim magni a me sumptus fiant, clementer S. Regia Vestra Maiestas cogitet maximam me proventuum illorum, qui destinati sunt ad locorum praedictorum conservationem, iacturam esse facturum. Labores enim silvestres, qui nunc per factores S. Regiae Vestrae Maiestatis administrantur, cum olim communes subditis S. Regiae Vestrae Maiestatis essent, plurimum in dimissionem ad eam pecuniam conferebant, quae annuatim exstructioni dictorum locorum impenditur. Quod si nunc ea mihi carendum esset, sane cum ab aliis paucissimae ex Lithuania merces dimittantur, magna accessionum illarum necessariorum pars gravi cum aerarii mei dispendio attenuaretur.

Praeterea et hic mos apud omnes christianos Reges et Principes observatur, quod alter alteri eas tantum res liberas sine vectigalibus esse permittit, quae ad aulae seu culinae illius necessitatem spectant. De mercibus autem divenditis aut ad usum proprium non pertinentibus debitum omnes (ipse Imperator quoque) tenentur solvere theloneum. Ut autem intelligat S. Regia Vestra Maiestas me hoc tempore provehendis S. Regiae Vestrae Maiestatis commodis studiosissimum esse, pro hac vice merces et labores illius silvestres libere dimitti concedo. In posterum vero clementem S. Regia Vestra Maiestas rationem praedictarum impensarum mearum habere dignabitur, praecipue cum factores S. Regiae Vestrae Maiestatis vel mercatores plus privata sua compendia, quam S. Regiae Vestrae Maiestatis lucrum ea in

libertate quaerere videantur. Itaque non eo me oneraturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem confido, quo ego S. Regiae Vestrae Maiestati libenter, ut debui, hactenus peperci parcamque porro etiam. Quod ut ne aegrius S. Regia Vestra Maiestas a me accipiat, sed necessitati meae ascribat, submisso oro. Libenter enim rebus in omnibus, quoad rationum mearum conditio patitur, obsequium meum, cum observantia debita coniunctum, illi contestor. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

Relatio Cancellarii¹⁾

In folio separato: Regi Poloniae, XXIX Maii anno etc. 63.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5562.

S.l., 5.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

ex litteris regiis, 31.V.datis, sententiam regis de suo et palatini Marienburgensis cum ipso congressu se intellexisse nuntiat et sperat se 22 die Iunii Caunam perventurum esse.

Cfr. El. XXXII, N. 882.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, ultima iam elapsi mensis Maii Vilnae datas, hoc ipso die accepi atque ex iis, quae S. Regiae Vestrae Maiestatis de congressu cum S. Regia Vestra Maiestate meo sententia sit, probe intellexi. Cum autem S. Regia Vestra Maiestas diem, quo exercitus Veierani delectus habendus sit (ad quem se conveniri S. Regia Vestra Maiestas a me postulat) me latere non arbitretur, deque eo certiore se a me fieri cupiat, huius rei apud me computationem instituens, video ante divi Iohannis diem, qui 24^{us} Iunii futurus est, equites Caunam omnes convenire vix posse. Constitui itaque, divino favente numine, nono huius mensis die Ragneta discedere, ut eo ipso die in Schwaben, altero vicesimo nimirum in Velun, vicesimo primo in Vilchenhofen pernoctem, die autem vicesimo secundo Caunam perveniam. Magnifico etiam Domino Palatino Mariaeburgensi, Achatio a Czema, ut id iter ex S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia mecum ingredia-tur, literis meis significavi. An vero per negotia Gedani expedienda, de quibus S. Regiae Vestrae Maiestati constat, hoc integrum ipsi fuerit necne, tempus ipsum declarabit. Quod S. Regiam Vestram Maiestatem subdite celare non debui. Quam in multos annos salvam ac felicem conservari exopto. Datae.

Princeps audivit

In folio separato: Regi Poloniae, V Iunii anno LXIII.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

studium eius magistro Weigelio exhibitum gratum sibi fuisse scribit; significat se exemplum ducis Wirtembergensis secutum esse et constituisse, ut in Ducatu suo religionis concordia et unanimitas conservetur; de rebus Gallicis recentiora nova ad se perlata esse nuntiat, sed eius in scribendo diligentiam probat; quae sibi per nepotem referri voluit, ea se intellexisse asserit et rogat, ut nepotem suum Ludovicum hortetur, «ne se negotiis, a quibus facile alienus esse potest, immisceat»; pro libello sibi inscripto gratias agit.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Reverende atque Eximie, Amice nobis singulariter dilecte.

Binas Reverendae Dominationis Vestrae literas, alteras in mense Martio, alteras in Aprili datas, accepimus. Quod ad priores attinet, gratum nobis fuit Reverendae Dominationis Vestrae studium Magistro Weigelio¹⁾ exhibitum. Gratissima autem, ipso referente, Reverendae Dominationis Vestrae in nos veteris observantiae testificatio.

Quod vero ad negotium Weigelianum attinet, in eo Illustris Domini Ducis Wirtembergensis²⁾, consanguinei nostri charissimi, iudicium sequuti ita constituimus, ut in Ducatu nostro religionis concordia et unanimitas conservetur. De rebus Gallicis, etsi recentiora ad nos perlata sint, probatur tamen nobis Reverendae Dominationis Vestrae benevola in perscribendis ad nos iis affectio. De valetudine Pontificis³⁾ nihil tale, ut habent Reverendae Dominationis Vestrae literae, antea ad nos perlatum fuit. Gratulamur autem in eo communi patriae nostrae Germaniae, optamusque, ut illi, penes quos summa nunc rerum est pontificiarum, in colligendis (ut scribit Reverenda Dominatio Vestra) thesauris ardentiores sint quam in turbandis Christi ecclesiis. Faxitque Deus, ut Respublica Christiana optata pace diu perfruatur.

Quae referri ad nos Reverenda Dominatio Vestra per nepotem suum Ludovicum voluit, ea intelleximus. Cumque alteris in literis eius quoque negotii Reverenda Dominatio Vestra mentionem faciat et de libro Regiomonti excuso queratur, in eo sic Reverenda Dominatio Vestra accipiat, parum ad nos illa. Ipsi viderint, qui libros edunt, quomodo editionem suam excusent et defendant. Non enim aliorum facta nobis imputari posse existimamus. Illud vero submonendam esse Reverendam Dominationem Vestram censuimus, ut nepoti suo Ludovico hortator sit, ne se negotiis, a quibus facile alienus esse potest, immisceat. Quod si in numero servitorum nostrorum diutius esse voluerit, moneat, ut sibi temperet ab iis, quae nobis displicere intelligit. Decet enim hominem integrum in rebus transactis non nova contentionum seminaria movere.

De libello nobis inscripto gratias habemus Reverendae Dominationi Vestrae, daturi operam, ut prostrarum rationum conditione benevolentiam aliquando nostram ei vicissim testemur. Quod vero stipendium Regis Gallicae⁴⁾ sarcire Reverendae Dominationi Vestrae facultatis nostrae non fuit, in eo excusationi nostrae locum esse facturam Reverendam Dominationem Vestram plane confidimus. Si enim aerarii nostri alia tum quidem fuisset vel

adhuc esset conditio, clementiam erga illam nostram claudi non passuri fuisset. Atque haec Reverendae Dominationi Vestrae respondenda esse duximus. Quam feliciter valere optamus. Datae.

Commissio Principis propria
Idem audivit et probavit

In folio separato: Petro Paulo Vergerio, 8 Iunii anno 63.

- | | |
|---|-----------------------|
| 1) <i>agitur fortassis de Georgio Weigel (cfr. El. LXXII, N. 5426).</i> | 3) <i>Pius IV.</i> |
| 2) <i>Christophorus.</i> | 4) <i>Carolus IX.</i> |

N. 5564.

S.l., 9.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

«castellanis, dignitariis et officialibus, generalibus iudiciis terrestribus Varsoviae praesidentibus»,

in negotio Thomae Coss (Koss), cum Sigismundo Wolski de non soluto debito ei intercedente, cum ipse Coss propter affectam valetudinem Varsaviae comparere non possit, servitorem suum, Conradum Lanckau, istuc mittit et rogat, ut diuturnam hanc controversiam tandem dirimant, quo subditus suus huius defensoris opera iustitiam consequatur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5565.

Insterburgi, 14.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

se ab internuntiis suis ad coadiutorem Rigensem missis litteras accepisse nuntiat, quibus de atrocitate praesidiariorum regionum in Livonia scribunt, et rogat, ut rex huic malo tempestive occurrat; hortatur eum, ut cum Weieranis copiis milites quoque Polonos in expeditionem ire iubeat; rogat, ne assignatum conventui cum rege Daniae diem ad societatem armorum ineundam diutius proroget; indutias cum milite Suetico a praesidiariorum regionum praefecto initas parum ex dignitate regis esse iudicat; persolvendorum servitoribus defuncti fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, stipendiorum eum iterum admonet; ducem Christophorum, coadiutorem Rigensem, optime erga regem affectum esse scribit.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Cum ad S. Regiam Vestram Maiestatem profecturus iter ingressus essem, accepi internuntiorum meorum, ad Illustrem Dominum Ducem Christophorum in Livoniam ablegatorum, litteras. Quibus illi inter cetera tam atrocia de praesidiariis S. Regiae Vestrae Maiestatis militibus ad me perscribunt, ut milites eos depopulationibus, rapinis et omnis generis insolentia, si non

crudeliores Moschis, sane non inferiores illis esse asserant. Miserosque Livones ita affligi, ut quotidianis clamoribus omnes oppidorum et pagorum vici de crudelitate illorum queri audiantur. Metuendumque esse, quandoquidem Moschus se ad novam Livoniae invasionem armare et Rigam obsidere velle dicitur, ne S. Regia Vestra Maiestas maxima cum existimationis et dignitatis suae attenuatione iacturam aliquam insignem in ea provincia patiat, vel calliditate Moschi ad excutiendum crudele hoc praesidiariorum iugum animi Livoniensium ad defectionem alliciantur. Dignabitur itaque S. Regia Vestra Maiestas huic malo tempestive occurrere, ne inopinatum aliquod detrimentum accipiat.

Denique in eas quoque iam cogitationes S. Regia Vestra Maiestas clementer incumbat, quandoquidem Weierum¹⁾ cum copiis suis accelerare hortatus sum, ut Polonicos S. Regia Vestra Maiestas suos milites in expeditionem quoque ire iubeat, atque ita coniunctis viribus hostibus S. Regiae Vestrae Maiestatis obviam eatur.

Ad haec intelligo Serenissimum Daniae Regem²⁾ magno teneri desiderio societatis cum S. Regia Vestra Maiestate confirmandae ac mirari Serenitatem Suam magnopere, negotium hoc a S. Regia Vestra Maiestate ita protrahi. Quod cum maturari expediat maxime, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas ita constituere, ut ne assignatum conventui diem diutius proroget, ne Rex Daniae per moram S. Regiae Vestrae Maiestatis sumptuum magnitudine in conducto iam milite oneretur, aut remissiore factam esse S. Regiam Vestram Maiestatem suspicetur.

Indutias cum milite Suedico pactum esse audio praesidiariorum S. Regiae Vestrae Maiestatis in Livonia praefectum. Quod parum ex dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis esse iudico, praesertim cum et inscia S. Regia Vestra Maiestate et inconsulto Illustri Curlandiae Principe³⁾ (quod neutiquam ipsi permittendum, sed ne S. Regiae Vestrae Maiestatis existimationem macula aliqua aspergat, serio inhibendum adeoque iniungendum censeo, ne quid inscio aut non consentiente Livoniae Gubernatore attentet, verum ex consilio atque consensu illius rem omnem gerat) illud fecisse eum credam, quod concessum ab eo fuit, cum milites Suedicos remissioribus ac magna iam ex parte factis quasi animis esse intelligam, ut salutares eas sibi indutias esse in omnem eventum facile coniiciam.

Ceterum quandoquidem Reverendissimum fratrem meum piaae memoriae⁴⁾ sepultum iam esse spero, non dubito curasse S. Regiam Vestram Maiestatem, quemadmodum se facturam esse recepit, ut servitoribus Suae Illustritatis debita stipendia persolvantur, ne quid et hac in parte, non solutis stipendiis, S. Regiae Vestrae Maiestati incommodetur.

Ducem Christophorum optime erga S. Regiam Vestram Maiestatem affectum esse internuntii mei (a praefecto S. Regiae Vestrae Maiestatis Polubinski sic edocti) scribunt, ita ut Sua Illustritas omnia amicitiae studia S. Regiae Vestrae Maiestati deferat.

De his autem spero me coram certiora a S. Regia Vestra Maiestate intellecturum esse. Atque haec congressui utriusque nostrum praemittenda esse duxi precorque, ut S. Regiam Vestram Maiestatem salvam incolumemque conspiciam. Quam hisce peroptime valere cupio. Datae.

Relatio Cancellarii⁵⁾
Idem audivit

In folio separato: Regi Poloniae, datae Insterburgk XIII^o Iunii anno etc. 63.

1) Ernestus Weiher.

2) Fridericus II.

3) Gottardus Kettler.

4) Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.

5) Ioannes a Kreitzen.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

suadet, ut Curlandiae ducem, «situs, qualitatis et opportunitatis totius provinciae Livoniae» peritum, Caunam advocet, ut consilio suo expeditionem bellicam iuvet; nuntiat palatinum Marienburgensem summam operam daturum esse, ut pecuniam ab Elbingensibus et Toruniensibus regi conquirit; significat praeterea eundem palatinum ad 23 diem Iunii Caunam perventurum esse, et rogat, ut ei hospitium ad 15 equos parandum curet; de pecunia a rege Sueciae Rastenburgi deposita se ad consiliarios suos scripsisse, ut expiscentur, ubinam conservetur.

Cfr. El. XXXII, N. 883.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

Quamquam S. Regiae Maiestati Vestrae paucos ante dies ea, quae necessaria iudicavi, perscripsi, tamen pro debito meo officio et fide eandem celare non potui eorum, quae interea temporis mihi succurrerunt. Quae ut S. Regia Maiestas Vestra aequi bonique faciat, subdite et amanter peto. Principio quoniam negotia bellica, quae Deo Optimo Maximo volente et fortunante Caunae tractanda erunt, non exiguam variarum rerum et circumstantiarum notitiam flagitabunt, itaque consultum mihi omnino videtur, si qua ratione in hac temporis angustia fieri possit, ut S. Regia Maiestas Vestra Illustrem Curlandiae et Senigalliae Ducem¹⁾ Caunam advocet, qui situm, qualitatem et opportunitatem totius provinciae Livoniae prae ceteris exacte novit, et quomodo quave commode ducendus sit exercitus intelligit. Is certe hanc expeditionem bellicam suo consilio multum iuvare potest, ne propter ignorantiam locorum occasio rei bene gerendae negligatur, aut exercitus in uno loco commorando frustra tempus terat.

Alterum est, quod S. Regiae Maiestati Vestrae nunc quoque significandum duxi, nempe quod Magnificus Dominus Palatinus Marienburgensis²⁾, acceptis literis et instructione S. Regiae Maiestatis Vestrae, ex Regio Monte confestim retrocessit ac operam summam daturus, ut S. Regiae Maiestati Vestrae pecuniam colligat et conficiat. Ad eam rem autem melius et facilius expediendam consultum eius Magnificentiae videtur, ut S. Regia Maiestas Vestra literas ei perscribat ac celeriter transmittat, quibus illi iniungatur, ut cum Elbingensibus et Torunensibus nomine S. Regiae Maiestatis Vestrae diligenter agat, ne se ab aliis terrarum Prussiae incolis et parvis civitatibus seiungant, aut si hoc minus illis integrum sit, ut interim S. Regiae Maiestati Vestrae honorario munere in hac necessitate subveniant, deinde ut S. Regiae Maiestati Vestrae aliquot centenarios pulveris tormentarii suppeditent, praesertim vero Elbingenses, qui S. Regiae Maiestati Vestrae ultro id obtulerunt.

Scripsit mihi praeterea idem Magnificus Dominus Palatinus, quod expeditis hisce negotiis me Caunam sequi statuerit. Quare illi tempus assignavi, videlicet 23 diem Iunii, quo Deo volente Caunam perventurum ibique ad dies 8 aut 10 commoraturum me existimo. Peto itaque S. Regiam Maiestatem Vestram submisce et officiose, ut si consultum eidem videtur, eas literas, quas Magnificus Dominus Palatinus expetit, per quas cum Elbingensibus et Torunensibus agat, celeriter mittat, eique etiam Caunae de hospitio ad equos 15 perspicendum curet.

Quod eam pecuniam attinet, quae Regis Sweciae³⁾ esse et Rastenburgi deposita dicitur, de ea scripsi ad consiliarios meos domi relictos, ut omni diligentia perquirant et expiscentur, ubinam ea sit et apud quem deposita teneatur, et siquidem contigerit eam ibi esse, dabitur opera sedulo, ne S. Regia Maiestas Vestra aliquo modo defraudetur. Haec habui, quae S. Regiae Maiestati Vestrae scribenda duxi. Quae ut boni consulat, iterum subiectissime oro. Commendo. Datae Insterburgi 16 Iunii 63.

1) Gottardus Kettler.

2) Achatius Czema.

3) Ericus XIV.

N. 5567.

S.l., 16.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Konarski, aulico regio,

litteras, a palatino Marienburgensi [Achatio Czema] acceptas, mittit; rogat, ut sibi, ad postulationem regis Caunam profecturo, et comitatui suo (cum circiter 200 equis) non solum commoda hospitia apparanda curet, sed etiam rates suppeditet, quibus fluvios et flumina Lithuaniae tuto et secure transire possit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5568.

Ragnetae, 18.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

congressu suo cum rege dilato, nuntiat se voluntati regiae acquiescere et ad primam Iulii diem Caunae adfuturum esse; grave damnum subditis manaturum esse arbitratur, si Ernestus Weiher, voluntati regiae oboediendo, cum copiis suis subsistat vel lentius procedat; rogat, ut aliquot viros rei bellicae peritos sine mora Caunam mittat, qui una cum consiliariis suis statuunt, quomodo milites disponendi sint; de modo agendi Erii ducis Brunsvicensis miratur; aliquam pecuniae summam ad stipendia militi persolvenda secum Caunam afferre pollicetur.

Cfr. El. XXXII, N. 885.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

S. Regiae Maiestatis Vestrae literas, Vilnae 13 Iunii datas, hodie ad 17 diem mensis eiusdem sub horam 5 pomeridianam debita cum submissione accepi. Ex quibus S. Regiae Maiestatis Vestrae sententiam, ut me adhuc diutius domi contineam et ad primam diem Iulii demum Caunae compaream, intellexi. Quod ad me quidem attinet, quanquam hoc ipso die Ragnetam Deo favente accessi, ut saltem quatruidi iter ad Caunam mihi conficiendum supersit, tamen facile S. Regiae Maiestatis Vestrae voluntati acquiesco et ad praestitutam primam diem Iulii, mediante divina gratia, praesto esse volo.

Verum quod ad Veieranas copias spectat, ut is suorum itinerum rationes moderetur et vel alibi cum copiis subsistat, vel lentius procedat, non video, quomodo id citra magnam difficultatem et sine gravi tam S. Regiae Maiestatis Vestrae subditorum, quam meorum etiam damno fieri possit. Nam cum tam ipse Veierus¹⁾, quam etiam Dominus a Dohna cum suis equitibus in itinere iam existant, et hic quidem constituerit circiter 20 diem Iunii Ragneti esse, alter autem, Veierus, etsi cum eo conventum fuerat, ut per dioecesim Varmiensem et districtus meos in deserto proficisceretur, tamen cum etiam hac via per Ragnetum iter facere cogitet, considerare S. Regia Maiestas Vestra potest, quod subita hac mutatione illis non modo rationes itinerum turbabuntur, sed etiam si aut lentius procedere, aut uno in loco diutius subsistere debent, quomodo id ipsum sine gravi incommodo subditorum futurum sit, ut taceam interim, quod isti milites, qui iam Caunae lustrationem aliquandiu expectant, satis onerosi civibus et incolis circumquaque erunt. Melius itaque et consultius, meo quidem iudicio, esset, si postposita omni mora miles recensitus contra hostem duceretur. Perscripsi tamen S. Regiae Maiestatis Vestrae mentem et sententiam ipsi Veiero quam potui celerrime eumque hortatus sum, ut rationem inveniat, qua S. Regiae Maiestati Vestrae, si quo modo fieri potest, gratificetur.

Illud quoque inprimis necessarium est, ut S. Regia Maiestas Vestra aliquos ex aula sua industrios et bellorum peritos viros confestim ac sine mora Caunam ableget, quibus meos quoque consiliarios, quos S. Regia Maiestas Vestra expetivit, nempe Wolfium a Kreitzen et Andream Packomorum, quam primum adiungam, qui communi consilio statuant, quomodo et quo loco tam equites quam pedites disponendi sint. Nam ut equites in urbe diversoria habeant, non est consultum ullo modo. Quare illis de alio loco extra urbem commodo prospiciendum operaque danda erit, ut comeatum omnis generis pro pecunia sua nanciscantur, ne occasionem habeant subditos S. Regiae Maiestatis Vestrae iniuriis et damnis afficiendi.

De Illustrissimo Duce Brunswicensi Erico etc., qui ad S. Regiam Maiestatem Vestram se venire et copias militum adducere scribit, non venit mihi in mentem neque plane statuere possum, qua ratione id agat, cum S. Regia Maiestas Vestra antea eius Illustritati scripserit, quod hoc quidem tempore ipsius opera et auxiliis non indigeat. Quod ipsum, pro mea etiam persona, Illustrissimo Duci Megapolensi, Domino Iohanni Alberto etc., perscripsi petens, ut Sua Illustritas Ducem Brunswicensem amanter dehortari et a proposito suo abducere vellet. Quod Illustritatem Suam diligenter fecisse certo mihi persuadeo.

Consilium, quod S. Regiae Maiestati Vestrae in hac re faciendum existimem (quemadmodum in schedula literis imposita postulat), nullum aliud habeo, nisi quod antea quoque S. Regiae Maiestati Vestrae per literas communicavi et quod eidem tum temporis faciendum videbatur. Cuius haud dubie clementer recordabitur. Ac videtur mihi consultius coram in praesentia de his rebus conferre, quam scriptis prolixius agere.

Ad pecuniam quod attinet, quam S. Regia Maiestas Vestra mutuo a me petit, quo iis saltem necessitatibus prospicere per tempus possit, quae videntur moram pati non posse, equidem non dubito, quin S. Regia Maiestas Vestra studii et voluntatis meae propensissimae et officiosissimi erga S. Regiam Maiestatem Vestram animi evidentia habeat documenta, quod eidem omnibus in rebus, quae recte a me praestari hactenus potuerunt, libentissime gratificatus fuerim. Quod porro etiam Deo Optimo Maximo favente, quantum rationes meae ferunt, ad extremum usque halitus facturus sum, non dubitans S. Regiam Maiestatem Vestram officiosissimam hanc meam voluntatem

grato animo accepturam. Et quia nunc aliquam pecuniae summam confeci mecumque allaturus sum, quae ad unius mensis stipendia militi persolvenda, uti spero, sufficiet, omnino mihi persuasum habeo S. Regiam Maiestatem Vestram vicissim curaturam, ut idonee mihi de ea caveatur, ne damnum mihi aliquod inde emergat. Hoc ipsum S. Regiae Maiestati Vestrae subditis meis officiis et studiis sedulo rependere conabor. Quam Deo aeterno Patri longis temporibus salvam, incolumem et felicem conservandam committo. Datae Ragneti, 18 Iunii anno 1563.

1) Ernestus Weiher.

N. 5569.

Ragnetae, 18.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Melchiorum a Lesgewang (Leskewang), servitorem suum, in negotiis quibusdam suis («de quibus bona ipsi spes a S. Regia Vestra Maiestate facta sit») ad regem proficiscentem, commendat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5570.

Ragnetae, 18.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

«praefectis Welunensi, Wilkenhofensi, Caunensi»

rege ita postulante propediem Caunam profecturus, servitorem suum praemittit et rogat, ut eum iuvare velint, quo pro equis suis avenam, faenum et stramen comparare et in usum suum seponere possit («Veremur enim, ne equites stipendiarii, qui nunc Caunam proficiscuntur, pabulum nobis praeripiant. Det quoque Generositas Tua operam, ut sub adventum nostrum panem, cerevisiam, carnes et reliqua victui necessaria istic pro pecunia consequi possimus»).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5571.

Ragnetae, 20.VI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de actione Erii ducis Brunsvicensis indignatur, qui non requisitus operam suam et auxilium ad bellum offerre statuit, et nuntiat se eum admonuisse, ne sumptus inutiles faceret, priusquam de sententia regis certior factus

esset; timet, ne magistri Ordinis Theutonicorum instinctu has copias ducat, et regi consulit, ne eiusmodi rumores contemnat subditosque commonefaciat, ut cum armis in procinctu sint.

Cfr. El. XXXII, N. 886.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

Quod S. Regiae Maiestati Vestrae proximis meis literis nullum aliud consilium de incepto Illustrissimi Ducis Brunswicensis Erici etc. impertientium duxi, nisi quod antea quoque per literas eidem communicaram, quod quidem cum sententia S. Regiae Maiestatis Vestrae congruebat, id eo factum est, quod tutius esse iudicarem cum S. Regia Maiestate Vestra coram de hoc negotio colloqui, quam literis rem late dispergi. Iam autem S. Regiam Maiestatem Vestram pro debita mea fide et observantia celare non possum, hac die quendam Vilna huc Ragnetum venisse, qui se Ducis Erici servitorem iactitat, cum quo capitanei mei bellici sermones varie contulerunt, in quibus non obscure se declaravit Ducem et Dominum suum cum exercitu iam iter ingressum ac militi stipendia dimidii mensis numerata esse. Quae res miranda mihi plane obvenit, nec quo tendat, satis statuere possum, cum ex literis responsoriis S. Regiae Maiestatis Vestrae intellexerit et certo sciat suam operam et auxilium ad hoc bellum non requiri, et a me quoque, quam primum de Suae Illustritatis mente et voluntate cognovi, amanter admonitus sit, ne inutiles sumptus et impensas non necessarias faceret, priusquam de sententia S. Regiae Maiestatis Vestrae certior factus esset. Equidem quod Illustritas Sua, nihil attentis his rebus, in proposito suo pergit et se perrecturam dicit, ut audio, sive stipendia a S. Regia Maiestate Vestra ei numerarentur, sive minus, id varias mihi cogitationes non immerito suggerit. Nam tanta se vi ingerere et nolenti obtrudere velle tantum exercitum, cui nulla stipendia decreta, nec ulla conventio aut promissio saltem facta sit, non videtur mihi suspicione, ut aliud non dicam, carere.

Quare S. Regiae Maiestati Vestrae pro debita mea fidelitate consulo, ne hos rumores contemnat, cum mundus his extremis temporibus plenus sit fraude et omnis generis machinationibus. Quid si aliorum potentatum et Magistri Ordinis Teutonic¹⁾ instinctu, communicatisque eorum viribus, has copias ducat? Audio enim hunc ipsum Ducis Brunswicensis servitorem nuper Venetiis fuisse. Quales autem practicae, tum in Italia, tum aliis crebro locis agitentur, non est obscurum, et mihi vetera animo revolvendi, quantis machinationibus Prussia a multis annis impetita sit, plus satis cognitum est. Ne igitur S. Regia Maiestas Vestra hanc rem aut negligere, aut parvipendere velit, sed primo quoque tempore tam Polonos, quam Prutenos et alios suos subditos, commonefacere, et ut in armis adeoque in procinctu sint, mandare, vehementer et subdite oro. Non enim aliud de Duce Brunswicensi (qui se tanta vi, contra voluntatem S. Regiae Maiestatis Vestrae, ingerere conatur), praesumere possum, quam ipsum hostile quiddam in animo habere?

Haec S. Regiae Maiestati Vestrae, pro debito meo officio, celare non potui, quam etiam atque etiam subiectissime oro, ne has literas meas late spargendas, sed secreto servandas, aut potius discerpendas igni-ve tradendas clementer curet. Id ego debitis meis officiis et subditis studiis demereri omni-

bus viribus contendam. Deus Optimus Maximus S. Regiam Maiestatem Vestram salvam, incolumem et florentem longis temporibus conservet. Datae Ragneti, 20 Iunii.

Commissio Principis propria
Idem audivit praesentibus
Marschalco, Wikwitz, Andrea Packmor

1) *Volfgangus Schutzbar.*

N. 5572.

Ragnetae, 21.VI.1563.

*Albertus dux in Prussia
Holowicki, praefecto Caunensi,
petita a rege tormenta bellica et pulverem bombardicum per servitores suos
Caunam mittit et rogat, ut ea a servitoribus suis acceptanda et in tuto
aliquo loco deponenda et custodienda curet («ne quid periculi aut incom-
modi sive a pluvia, sive ab igne illis accidat, donec S. Regia Maiestas
ea inde avehere atque asportare mandet»).*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5573.

Ragnetae, 22.VI.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
Ioannem Adelhauser, aurifabrum et civem Parisiensem, ad regem «cum artifi-
ciosissimis armaturis», a se elaboratis, iter suum dirigentem, commendat
et opera eius, artificio et pulchritudine commendata, laudat.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5574.

Vischwillae, 27.VI.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
nuntiat se iam in itinere Caunam esse et sperat una cum consiliariis suis, ad
conscribendos milites ablegatis, circa 30 diem Iunii istuc adventurum esse;
hortatur regem, ut diutius quam biduum lustrando et videndo exercitui
adsit, neve tam cito Cauna decedat, ut etiam cum duce Curlandiae variis
de rebus conferendi occasionem habeat; includit responsum Christophori
ducis Megapolensis, ab Achatio a Dohna ex Livonia allatum; significat se
legatis electoris Brandenburgensis et ducum Megapolensium consuluisse,*

ut ducem Christophorum eo adducant, quo voluntati regiae se accomodet; regem iterum admonet stipendiorum servitoribus defuncti archiepiscopi Rigensis nondum persolutorum.

Cfr. El. XXXII, N. 886.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

S. Regiae Maiestatis Vestrae literas, 23 Iunii Vilnae datas, ad 25 diem mensis eiusdem debita cum reverentia accepi et ex iis S. Regiae Maiestatis Vestrae voluntatem cognovi, nempe ut meos consiliarios, quos S. Regia Maiestas Vestra expetit, Caunam tempestive ad conscribendos milites ablegare vellem. Quare S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, me iam in itinere esse ac Caunam, Deo volente, cum iisdem meis consiliariis circa ultimum Iunii accessurum. Quod autem S. Regia Maiestas Vestra in iisdem literis scribit, se non plus quam biduum lustrando et videndo exercitui impendere posse, non immerito varie inde affectus fui. Nam cum multum adeo intersit ac referat, ut exercitus recte et ordine conscribatur et certo statuatur, qua iter instituere, ubi hostes adoriri et quomodo commeatus subministrari debeat, ne inutiles sumptus et inanes impensae fiant. Quae quidem S. Regiam Maiestatem Vestram cum suis Senatoribus statuere convenit. Itaque S. Regia Maiestas Vestra clementer et diligenter haec considerare velit et, nisi prius constitutis rebus necessariis, tam cito Cauna non decedat. Operae pretium erit etiam cum Domino Churlandiae et Semigalliae¹⁾ de rebus variis conferre. Quod tanta festinatione et tantum bidui spatio aegre fieri poterit.

Quod S. Regiae Maiestati Vestrae studium meum de oblata mutuo pecunia gratum est, libenter audio nec dubito, quin pro sua clementi pollicitatione curatura sit, ut idonee mihi caveatur. Quod ipsum mihi gratissimum accidit.

Praeterea S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, quod alter ex meis nuntiis, quos in Livoniam ad Ducem Christophorum Megapolensem ablegaram, nempe Achatius Burggravius et Dominus a Dohna, hesterno die ad me rediit. Quale autem responsum a Sua Illustritate attulerit, id S. Regiae Maiestati Vestrae his literis inclusum mitto, ex quo statum negotii clementer cognoscet. Retulit mihi quoque idem meus nuntius, quod S. Regiae Maiestatis Vestrae legatus simile quodammodo responsum obtinuerit.

Nolo etiam S. Regiam Maiestatem Vestram officiose celare, quod duo legati, habentes mandata tum ab Illustrissimo Electore Brandenburgensi²⁾, tum a duobus fratribus Ducis Christophori³⁾, nuper adeo, me Ragneti existente, per Regium Montem in Livoniam profecti sunt, quibus absens per literas consului, studerent adhibita omni diligentia Ducem Christophorum eo deducere, ut S. Regiae Maiestatis Vestrae voluntati sese accomodet ac tractatus archidioecesis Rigensis sua subscriptione roboret ac confirmet. Quid autem sua legatione expedituri sint, suo tempore patefiet.

Ceterum intellexi ex eodem meo internuntio, quod Reverendissimi olim Domini Archiepiscopi Rigensis etc.⁴⁾ felicitis memoriae servitores etiamdum Rigae haereant et solutionem stipendiorum suorum expectent, et quanquam aliqua summa pecuniae illuc missa sit, quo fiat, ut de die in diem expensae, quas isti servitores faciunt, immense crescant. Quas cum a S. Regia Maiestate Vestra tandem requiri videam, vehementer et subdite hortor, moneo et oro, ut S. Regia Maiestas Vestra, certa aliqua ratione inventa, ad vitandos gravio-

res et quidem inutiles sumptus istos servitores quam primum numeratis stipendiis absolvendos dimittendosve curet. Haec habui, quae S. Regiae Maiestati Vestrae pro fide et observantia mea hac vice celanda minime duxi. Quam etiam atque etiam submisso oro, ut ea in bonam partem interpretari dignetur. Id ego debita submissione et officiis sedulis demereri semper studebo. Commendo S. Regiam Maiestatem Vestram Deo Optimo Maximo longis temporibus salvam, incolumem et florentem conservandam. Datae Vischwilae, 27 Iunii anno 63.

1) Gottardus Kettler.

2) Ioachimus II.

3) Ioannes Albertus et Ulricus III, duces Megapolenses.

4) Gulielmus.

N. 5575.

Caunae, 3.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Vilnensi [Nicolao Radziwiłł «Nigro»]

nuntiat se non solum ex litteris eius, sed etiam ex eius secretario, Ioanne Mączyński, magno cum dolore intellexisse, eum ob infirmam valetudinem hoc tempore Caunae adesse non potuisse («cum eandem [Illuſtratem Vestram] videndi et alloquendi magno teneremur desiderio»); precatur a Deo, ut quam primum convalescat; rogat, ut Ioanni Mączyński ad eum redeunti in his, quae nomine suo dicturus sit, indubiam fidem adhibeat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1187.

N. 5576.

Caunae, 3.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Trocensi [Nicolao Radziwiłł «Rufo»]

nuntiat gratissimam sibi fuisse salutationem eius non modo per litteras, sed etiam per filium eius sibi oblatam, et vicissim «amicissimam benevolentiam et fraternum amorem» suum ei defert; pro diligentia in negotio suo apud regem procurando adhibita gratias agit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5577.

Caunae, 4.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Russiae [Nicolao Sieniawski]

certiorem eum reddit se causam eius (scil. «ut consideratis diuturnis servitiis, quae... Reipublicae summo studio, vigilantia et diligentia praestitit, ac praesertim quod illi in proximis Petricoviensibus Comitibus officium

Generalis Ducis impositum sit, quod sine gravi labore, molestia et impensa recte expediri non possit, dignaretur Magnificentiae Vestrae capitaneatum Samboriensem clementer conferre») *regi diligenter commendasse, regem tamen respondisse se non posse eum capitaneatum tam subito hoc tempore in alium conferre; tamen ut benevolentiam suam ipsi exhibeat, aliis rationibus ei prospecturum esse.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5578.

Caunae, 4.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Valentino Bakfark, fidicini regio,

nuntiat se dolenter audivisse eum in offensionem regis incurrisse; dolet se eum Caunae videre et audire non potuisse.

Ostpr. Fol., vol. 46.

An den lautenisten Valentin Backfarck, den 4 Julii anno 63 etc.

Wir mogen euch gnediger meinung nicht vorhalten, wie wir etwan in erfahrung kommen, als sollet ir bei ko.mt. zu Polan, unserm gnedigen herren und freundtlichen lieben ohmen, in ugnade gerathen sein, des wir, weil wir euch allewege mit allen gnaden wie auch noch zugethan gewesen, gantz ungerne und mitleidlichen gehoret. Wann wir aber hinwider berichtet, das gedachte konigliche ungnade widerumb in gnade gegen euch gewandelt, ist uns solches eur person halben umb so viel angenehmer und lieber. Nun hetten wir wohl vorhoffen, ir werdet euch auch ohne hochstermelter ko.mt. erforderung uns zu gnedigem gefallen, nachdem wir euch eurer kunst halben gantz gnedigst gewogen, domit wir euch vor unserm ende in diesem unsern durch Gottes gnedige vorleihunge erlangtem hohem alter noch einmahl hetten sehen und daneben auch horen mogen, anhero nach Cawen uns zu besuchen begeben haben. So haben wir doch zu unser ankunfft vielleicht, das ir unser numehr vergessen und wenig ingedenck seit. Welches auch sonderlichen wir daraus zu schlissen, weil wir bishero von dem furtreflichen bassisten, domit ir uns zu vorsehen zusage gethan, nichts ferners von euch vernohmen, das widerspiel erfahren. Doch haben wir dis ungeachtet nicht underlassen wollen, euch unsers gnedigen geneigten willens mit diesem unserm schreiben zu erinnern, mit gnedigem anhaft, do sich etwan auf ein ander zeit dergleichen oder ander gelegenheit zutruge, ir wollet uns zu besuchen unbeschwert sein. Sehen zwar gerne, do ir so nahendt und etwan uff dem wege wehret, das es vor dismahl gescheen konte. Weil wir aber nicht eigentlich gewiss, wie lange wir alhie verharren werden, können wir solches nicht an euch begeren, sondern stellen es euch eur gelegenheit nach anheims. Und wolten euch dis in gnaden nicht bergen etc.

Commissio Principis propria

E. Baumgartner

N. 5579.

Caunae, 6.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Gregorio Chodkiewicz, castellano Trocensi,

nuntiat se ex litteris eius, per Ioannem Gradowski sibi oblatis, dolenter cognovisse eum «propter valetudinis suae incommoda et Reipublicae negotia» Caunam hoc tempore accedere non potuisse («cum eandem [Magnificentiam Vestram] videndi et amanter conferendi non exiguo teneremur desiderio»); a Deo exoptat, ut cito convalescat; ex eodem Gradowski ipsum intellecturum esse scribit, quae in negotiis ab illo relatis sua sit sententia. (Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5580.

S.l., 8.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Henrico a Dohna

de stipendiis militibus Weieranis solvendis.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5581.

Caunae, 9.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de modis stipendia militibus persolvendi.

(Schedula: rogat, ut rex postas, non solum Caunae, sed etiam Vilnae, recte et accurate disponendas curet).

Cfr. El. XXXII, N. 888.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, me ex Generoso Stanislao Kostka certe comperisse, quod in usum S. Regiae Maiestatis Vestrae ad decem millia florenorum huc apportaverit, quam summam S. Regiae Maiestati Vestrae tradere et praesentare hic debuerat. Quoniam autem S. Regia Maiestas Vestra hinc iam discessit et fortasse ea pecunia, quam ipse attuli, ad persolvenda haec primi mensis stipendia non sufficiet, propterea quod ultra menstruum stipendium ad viaticum et nocturnas stationes equitibus persolvendas non exigua summa requiretur, quodque lustratio exercitus tam diu praeter omnem spem protracta est, necessarium itaque iudico, ut inde defectus solutionis, si quis forte incidat, compleatur, residuum vero Supremo Campiduci¹⁾ commendetur. Ipsa enim necessitas flagitat aliquam summam pecuniae in promptu haberi, qua militi egenti subveniatur,

et prae manu aliquid in mensem sequentem deducendum detur. Hac enim ratione subditorum damna et gravamina, quae illis alioqui ab egente milite inferuntur, praeveniri et vitari possunt.

Recte etiam S. Regia Maiestas Vestra meo iudicio fecerit, si de ea summa Supremo Campiduci aliquid donarit, ut diligentior et attentior ad omnia negotia reddatur, praesertim vero ut habeat unde exploratores emittat, qui nunc summe necessarii sunt, siquidem nuntiatur Suedica praesidia tam Revalia quam Perna abducta esse. Quae omnia S. Regiae Maiestati Vestrae pro fide mea celare non debui, cuius clementissimo arbitrio committo, quid ea pecunia actum velit, utque mihi celeriter suam sententiam in hac re perscribat, etiam atque etiam obnixi oro. Deus Optimus Maximus S. Regiam Maiestatem Vestram longis temporibus salvam, florentem et felicem conservet. Datae Caunae properanter IX Iulii sub vesperam.

Cedula

Praeterea S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, quod postae, ut vocant, valde negligenter in his locis procuratae sunt, praesertim hic Caunae nulla posta esse dicitur, sed ex Wilkenhöfen²⁾ usque ad Schismor³⁾ una duntaxat, ut audio, reperitur. Cum autem multum adeo referat diligenter haec provideri, S. Regiam Maiestatem Vestram obnixi rogo, ut postas recte et accurate disponendas curet, non modo hic Caunae, sed etiam Vilnae, ut si contingat S. Regiam Maiestatem Vestram aliquo proficisci ex Vilna, certo sciatur, quorsum literae, si quae subito adferantur, mittendae, et ut postae ad eam rem promovendam semper in promptu sint, ne quid hic per negligentiam peccetur. Datum ut supra in literis.

In folio separato: Regi Poloniae, 9 Iulii.

- | | |
|--|--------------------|
| 1) <i>Florianus Zebrzydowski, castellanus Lubl-nensis.</i> | 2) <i>Wilkija.</i> |
| | 3) <i>Zyżmory.</i> |

N. 5582.

Caunae, 10.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Iacobo Heraclidi Basilico, palatino Moldaviae,

Franciscum Lismanninum, ad eum permissu regis proficiscentem, commendat.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus Senior, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, in Prussia dux etc., Illustri ac Magnifico Domino Heraclidi Iacobo Basilico, Despotae Sami et Moldaviae Duci, salutem et omnia fausta precatur.

Illustris ac Magnifice Princeps, Amice nobis singulariter dilecte.

Dum hic Caunae, in oppido Lithuaniae, quo ad S. Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, profecti sumus, aliquot dies commoramur, aliquoties nos invisit Franciscus Lismanninus Corcyraeus, cum quo quantum inter tumultuosa haec negotia, quae Caunae nobis conficienda fuerunt, fieri potuit, multis de rebus familiariter sermones contulimus. Inter cetera vero intelleximus Illustritatem Vestram aliquoties per literas eum suas ad se invitasse. Quod autem Illustritatis

Vestrae voluntati non citius et ante hoc tempus satisfecerit, id nullam aliam ob causam nisi quod S. Regiam Maiestatem de impetranda ad eam protectionem venia nullibi, quam nunc Caunae commodius maioreque cum opportunitate convenire potuerit, factum esse Illustritas Vestra sibi persuadeat. Quandoquidem autem nunc permissu S. Regiae Maiestatis iter ingressurus et ad Illustritatem Vestram profecturus sit, nolumus committere, ut amicus hic noster ab annis plurimis, cum monasticam adhuc agens vitam cucullo indutus esset, nobis et notus et familiaris, absque literis ad Illustritatem Vestram nostris perveniret. Illustritatem itaque Vestram maiorem in modum pro mutua nostra amicitia rogamus, ut dictum hunc Lismanninum, cui alias Illustritatem Vestram optime cupere non est dubium, etiam nostri causa, quo ad priorem istam ac veterem benevolentiam propter commendationem hanc nostram, qua tamen minime opus esse arbitramur, novi aliquid accessisse intelligat, favore complecti eique benignam se praebere dignetur. Hoc modo Illustritas Vestra beneficia sua praeclare positura est et nos, quicquid benevolentiae amicitiaeque ab Illustritate Vestra in eum collatum fuerit, non secus ac si nobis id factum esset, accipiemus et paribus id studiis vicissim Illustritati Vestrae rependere conabimur. Quam diu feliciterque valere exoptamus, et ut per occasionem literis suis nos invisat, petimus. Datae Caunae, VI Idus Iulii anno recuperatae salutis humanae MDLXIII^o.

Commissio Principis propria
Idem audiens probavit

N. 5583.

Caunae, 11.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Franciscum Lismanninum, ad regem proficiscentem (qui « confessiones, a norma ac regula verbi divini non dissidentes, ex aequo recepturum et approbatum omnes, a sacris vero literis discrepantes repudiaturum esse constanter asserit »), commendat; nuntiat rumorem de morte illius viri, de quo cum rege in congressu Caunensi collocutus sit, augeri et pro certo haberi.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Dubium mihi plane nullum est S. Regiam Vestram Maiestatem eorum, quae de cum titulo Doctore Francisco Lismannino Corcyraeo cum S. Regia Vestra Maiestate hic Caunae collocutus sum, datique ad istam intercessionem pro ipso meam responsi (quod in praesentiarum prolixius hic repeti operae pretium non esse duco), necnon annexae regiae atque benignae pollicitationis suae, quae S. Regia Vestra Maiestas in notis illius negotiis clementer cum eo actura esset, adhuc esse memorem. Inductus igitur clementissimo hoc S. Maiestatis Vestrae Regiae responso, ipse Franciscus in istis negotiis suis ad S. Regiam Vestram Maiestatem proficiscitur. Cum autem interea temporis, dum hic Caunae commoror, ex conversatione mea cum ipso et habitis mutuo

colloquiis tantum mihi deprehendisse videatur, secus eum S. Regiae Maiestati Vestrae, quam decebat, depictum esse, non possum facere, quin ei ad S. Regiam Vestram Maiestatem iter ingredienti literas hasce commendaticias communicem.

Sacram itaque Regiam Maiestatem Vestram etiam atque etiam enixe humiliterque peto, ut se, pro clementi sua pollicitatione, benignissimum clementissimumque ipsi Dominum ac Regem, etiam mei causa, praebere clementer dignetur. Confessiones quidem, a norma ac regula verbi divini non dissidentes, ex aequo se recepturum et approbaturum omnes, a sacris vero literis discrepantes repudiaturum esse constanter asserit. Subscribere autem ulli ideo veretur et recusat, quod in Confessione sua propria, et quidem a multis aliis subscriptione approbata, non levem postea in gravissimo de Trinitate articulo errorem deprehenderit. Quare S. Regiam Vestram Maiestatem iterum submisce peto, ut ratione horum clementer habita commendatum sibi eum esse sinat ac gratia porro sua atque benevolentia complectatur. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem mihi gratissimam, quam ego debitis meis officiis subdite promereri enitar. Ipse vero Franciscus non prius pro hoc S. Regiae Vestrae Maiestatis beneficio gratus esse quam vivere desinet.

Deinde et hoc S. Regiam Vestram Maiestatem subdite celare non possum rumorem de obitu illius viri, de quo cum S. Regia Maiestate Vestra in conclavi meo hic Caunae sermones contuli, subinde augeri et pro certo haberi. Graves vero ob causas id occultari. Atque his S. Regiam Vestram Maiestatem in seros annos Christo omnipotenti salvam, felicem atque florentem conservari ac hostibus suis omnibus modis superiorem esse ardentibus votis exopto. Datae Caunae, V Iulii anno etc. LXIII.

Ex mandato Principis proprio praesente Scalichio
Idem audivit et approbavit

N. 5584.

Caunae, 11.VII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
litterae credentiales pro consiliario suo, doctore Christophoro Jona, in negotiis
quibusdam regi referendis misso.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5585.

Caunae, 11.VII.1563.

*Albertus dux in Prussia
palatino Vilnensi [Nicolao Radziwiłł «Nigro»], palatino Trocensi [Nicolao Radziwiłł «Rufo»], castellano Trocensi [Gregorio Chodkiewicz]
litterae credentiales pro consiliario suo, doctore Christophoro Jona.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5586.

Caunae, 12.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Stanislao Wierski, subdito regio, intercedit, ut notariatum Caunensem, privilegio olim regis Sigismundi ei concessum, a quo postea remotus est, denuo ipsi concedat («si ad eam functionem idoneus videbitur»).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5587.

Caunae, 12.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Lucae, Andreae, Stanislao a Górka et aliquot aliis proceribus Polonis

Franciscum Lismanninum commendat.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Cum ex praesentium exhibitore, Francisco Lismannino, amico nostro pervetere, qui Caunae nobiscum erat, intelligeremus eum Magnificentiae Vestrae et notum et familiarem esse ac eandem nunc invisere constituisse, noluimus committere, quin ad contestandam benevolentiam ac favorem nostrum, quo eum ab annis hinc multis complectimur, commendatione eum nostra (etsi ea opus esse minime videbatur) ad Magnificentiam Vestram prosequeremur. Quam ob rem Magnificentiam Vestram amanter rogamus, ut hunc communem amicum nostrum, iam ante Magnificentiae Vestrae satis commendatum, propter nos eo commendatiorem sibi habere velit, ita ut benevolentiam Magnificentiae Vestrae erga ipsum non parum incrementi et virium ab hisce literis nostris accepisse experiatur. Factura nobis Magnificentia Vestra rem pergratam, quam vicissim per omnem occasionem Magnificentiae Vestrae compensabimus. Ipsum Lissmanninum, quicquid beneficii a Magnificentia Vestra in eum collatum fuerit, debita animi gratitudine prosecuturum esse neutiquam dubitamus. Quam feliciter valere optamus. Datae.

Commissio Principis per Scalichium

Idem legit

In folio separato: Lucae, Andreae, Stanislao a Gorka; Iacobus, Stanislaus ab Ostrorog; Iohanni Thomitzki, Raphaeli Lieschinski, Nicolao Olyesnietzki. Pro Francisco Lismannino. Caunae 12 Iulii.

N. 5588.

Caunae, 12.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Woltowicz, M.D.L. thesaurario,

negotium de sepultura fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, et de solvendis defuncti debitis ei commendat et rogat, ut consiliario suo, doctori Christophoro Jonae, ad regem misso, in conficiendo hoc negotio adsit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5589.

Caunae, 16.VII.1563.

Albertus dux in Prussia
Eustachio Woltowicz, M.D.L. curiae magistro,
queritur de quodam Friderico, cubiculario regio, qui hesterno die ab hospite
suo Caunensi avenam per vim extorsit, eundem hospitem suum contumeliis
ac maledictis affecit, et mendacii eum accusare minatus est (quod diceret
se inopia avenae laborare).
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5590.

Caunae, 17.VII.1563.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Henrico Volkensan, Livoniensi, intercedit et rogat, ut rex captivos duos aut
tres Moscoviticos, Vilnae in vinculis custoditos, ei concedat, quos pro duo-
bus patruelibus suis, in captivitate Moscovitica degentibus, commutare
possit, et ut pro meritis eius in bello Livonico praedium aliquod illi dare di-
gnetur.
(Schedula: regesta monstrationum equitum et peditum mittit).
Cfr. El. XXXII, N. 891.
Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Ex incluso supplici libello S. Regia Vestra Maiestas, quid de captivis apud immanissimum hostem Moscum in hunc usque diem duobus suis patruelibus, deque ratione a captivitate redimendi, facta nimirum per Ruthenos Boiaros captivos commutatione, praesentium exhibitor, Nobilis ac Generosus Henricus Volkensan, Livoniensis, mihi supplicaverit, abunde intellectura est. Cum autem ultra unius integri anni spatium, nec labori nec sumptibus parcens, multis itineribus per totam Livoniam eiusmodi Boiaros, per quos patruelles suos (quibus id, quando et ipse in hunc modum liberaretur, sancte pollicitus est) redimat, hucusque tanto temporis intervallo nondum sit consecutus atque audiverit S. Regiam Maiestatem Vestram in vinculis quosdam Vilnae habere, supplex me hic Caunae convenit atque, ut non solum de duobus vel tribus Ruthenicis Boiaris ad redimendos patruelles suos consequendis, verum et de impetrando aliquo praedio in Livonia, cuius rei sibi spes ab Illustri Duce Olycensi, amico et fratre meo singulariter mihi dilecto, facta esset, apud S. Regiam Vestram Maiestatem pro se intercederem, obsecravit. Etsi autem S. Regiam Vestram Maiestatem fortes huiusmodi viros, qui patriae salutem et libertatem saluti et libertati propriae anteferunt, per se amare, ac deinde peculiari quadam erga hanc familiam, ex qua exhibitor harum natus est, animi propensione ferri non ignorabam, ut eum quod petiisset etiam absque mea intercessione consecuturum non dubitarem, tamen cum de literis meis eam spem concepisset, per eas se felicius sua negotia apud S. Regiam Vestram Maiestatem perfecturum, nolui committere, ut ipsi officium hac in parte deesset meum.

Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem huius Henrici Volkersam caussa submisso oro, ut considerato eo, quod pro Livonia fortiter pugnans in hostium manus delapsus et toto fere triennio ibidem in captivitate detentus multa mala pertulerit ac hoc modo omnia bona sua amiserit, precibus illius benignas aures adeoque se clementissimum Dominum ac Regem ipsi praebere dignetur. Id ego subditis obsequiis meis erga S. Regiam Vestram Maiestatem humiliter promereri studebo et ipse Volkersam perpetua hoc regium beneficium animi gratitudine prosequetur. Datae Caunae, XVII Iulii anno MDLXIII.

Commissio Principis propria

In folio separato: Regi Poloniae, XVII Iulii anno etc. 63.

Schedula:

Mitto etiam S. Regiae Maiestati Vestrae cum his literis Regesta monstrationum, ut vocant, ex quibus S. Regia Maiestas Vestra cognoscet, quomodo Caunae tam equites quam pedites lustrati et quantum cuique stipendium decretum sit.

Deinde adiuncta est summa rationum, ex qua manifestum fit, quantum pecuniae ad menstruum stipendium huic exercitui solvendum requiratur. Separatim denique, quantum equitibus pro nocturnis stationibus usque ad lustrationem sit solutum.

Quae omnia ut S. Regia Maiestas Vestra clementi animo suscipiat, vehementer etiam atque etiam oro et porro S. Regiam Maiestatem Vestram divinae protectioni fideliter commendo. Datum ut supra in literis.

N. 5591.

Caunae, 17.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Casparem ab Aldenbock, equitum in Livonia praefectum, viarum et semitarum istic peritum et linguae Germanicae gnarum, commendat et rogat, ut inter regios equitum praefectos numeretur.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 891.

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5592.

Caunae, 17.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito suo Volfgango Nimptsch, qui ante annos aliquot uxorem Caunae duxerat, et nunc divisionem hereditatis, ad uxorem eius devolutae, Caunae per longum tempus expectare cogitur, intercedit et rogat, ut ei immunitatis litteras impertiri velit, quibus a muneribus et oneribus publicis tam diu liber sit, donec divisio hereditatis peragatur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

perscribit novitates sibi recens allatas: de Erico duce Brunsvicensi, cum collecto exercitu progrediente, de rege Daniae copias suas augente, de rege Sueciae, qui fratrem suum Ioannem exercitu undique cinxit etc.; de litteris a se ad ducem Curlandiae datis, ipsum hortantibus, ut se in suscepta expeditione diligentem exhibeat etc.; de dissidio inter senatum Elbingensem et Michaellem Fridevaldum.

Cfr. El. XXXII, N. 891.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Serenissime Rex etc.

Dum profectionem hinc ex Jurgenburgo adorno, hae ad me novitates perferuntur. Etsi non satis constet, quonam Dux Ericus Brunsvicensis cum collecto exercitu, 25 vexilla peditum aliquotque equitum turmas continente, pergere constituerit, atque hactenus in dioecesi Osnabrugensi substiterit, tamen de eo hunc esse sermonem, ad Lotharingos eum plus quam ad alios declinare atque Illustritatem eius a Magistro Theutonico¹⁾ frequentius ac perquam familiariter per litteras invisi.

Rex Daniae²⁾ in dies copias suas militares augere atque in id sumptus incredibiles fere impendere dicitur. Quis exitus huius rei futurus sit, successu temporis videbitur. Ad haec rumor est Daniam cum Suecia ad controversiam hanc placidis tractatibus componendam consensisse atque ad id Illustrissimos Electores, Saxonicum³⁾ scilicet et Brandenburgensem⁴⁾, utrinque commissarios constitutos et electos esse. Lantgravium⁵⁾ vero ad hanc societatem Duces Pomeranicos⁶⁾ quoque persuadere conari. Locus huius actioni Rostochium deputatum est. Quid hic effectum fuerit, pariter tempus docebit.

Ferunt etiam Serenissimi Daniae Regis exercitum omnem iam convenisse, Comitem a Schwartzburg cum mille quingentis equitibus Holsatiam apulisse et Lubecenses cum omnibus navibus suis in mare egressos, atque adeo ingentes in hoc sumptus collatos esse, ut non putetur Daniam cum Suecia pacis conditiones facile inituram.

Ab aliis asseritur iam modo pacem inter hos duos Reges constitutam et has omnes militares copias adversus Prussiam ab Imperio Romano receptas esse. Aeternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, imminetia haec pericula clementer avertere dignetur.

Rex Sueciae⁷⁾ Illustrissimum Finlandiae Ducem, fratrem suum Iohannem, undique cinxisse ac viginti quattuor navibus eius aditum omnem prohibuisse perhibetur. Item Ducem Holsatiae Adolphum^{a)} Regi Sueciae sponsam suam abalienare in animo habere. Atque haec sunt nova, quae S. Regiae Vestrae Maiestati pro fide mea communicanda esse duxi.

Porro cum S. Regiam Vestram Maiestatem non lateat navem Suedicam unam ab aliquibus captam et Regiomontem deductam esse, deinde alteram quandam ultro eo apulisse, S. Regiam Vestram Maiestatem submisso peto, ut animi sui sententiam, quid hac in re fieri velit, mihi quam primum significet.

Verum nec hoc S. Regiam Vestram Maiestatem celandum esse putavi, me ad Illustris Curlandiae Ducem⁸⁾, ut diligentem in suscepta expeditione curam adhiberet adeoque provideret, ne qua ex re S. Regia Maiestas damnum

caperet, scripsisse. Ad hoc autem praecavendum inprimis consultum mihi videri, ut Illustritas eius die, habendum delectum praecedente, semper nova illa registra monstrationis futurae ab equitum praefectis et peditum capitaneis exigeret, eaque cum originalibus praeteritae monstrationis diligenter conferret videretque, ne qua mutatio aut nominum transpositio (quae plerumque fraudulenta et detrimentosa esse soleret) admitteretur. Quod ne equitum praefecti vel peditum capitanei attentarent, praemoneri eos hac de re oportere. Item etiam pernecessarium esse, si quando, dum copiae lustrantur, aliqui aegrotare dicuntur, ut semper hanc ad rem aliqui constituentur, qui imperfecta et durante adhuc lustratione de aegrotis inquirant, loca, ubi decumbere dicuntur, adeant atque an etiam res se revera ita habeat, explorent, ne postea, peracta monstratione, firmi et validi pro aegrotis se exhibeant. Haec autem si a S. Regia Maiestate iterarentur, non praeter rem fore existimo.

Postremo, S. Regiam Vestram Maiestatem in recenti adhuc memoria habere non diffido, qua ratione exortum inter senatum Elbingensem et Michaellem Fridvaldum dissidium iussu S. Regiae Vestrae Maiestatis, facta utrinque compromissione, a me compositum sit. Iam vero ad me defertur dictum Fridvaldum nescio quid novi non solum contra ius et aequitatem, verum et contra initos prius tractatus, literis et sigillo a me, consentiente utraque parte, roboratos, adversus senatum Elbingensem attentare. Cum autem S. Regiam Vestram Maiestatem hoc illius propositum haud approbatum esse certo sciam, S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum peto, ut ipsi Fridvaldo serio mandet, ne quid contra semel initos tractatus (in quo autoritas mea periclitaretur) temere attentare ausit. Si vero id iam factum est, nihilominus S. Regiam Maiestatem vehementer oro, ut alteram quoque partem, ipsos nimirum Elbingenses, clementer audire dignetur. His S. Regiam Vestram Maiestatem in seros annos salvam ac felicem esse prosperrimisque rerum omnium successibus perfrui exopto, eidemque me et obsequia mea qualiacunque humiliter commendo.

In folio separato: Regi Poloniae, 19 Iulii.

a) in ms. Adolpho

1) Wolfgangus Schutzbar.

2) Fridericus II.

3) Augustus.

4) Ioachimus II.

5) Philippus I, landgravius Hassiae.

6) Barnimus IX et eius nepotes.

7) Ericus XIV.

8) Gottardus Kettler.

N. 5594.

Georgenburgi, 19.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi [Georgenburgensi]

nuntiat se negotium eius apud regem diligenter egisse et promovisse, sed propter celerem regis Caena discessum finale certumque responsum obtinere non potuisse, itaque idem negotium consiliario suo, doctori Christophoro Jonae, qui nunc Vilnae est, commissum a se esse; rogat, ut servitori suo, ad ducem Curlandiae cum litteris misso, viae ignaro, aliquem ex suis addat, qui eum deducat viamque rectam demonstret.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus dux in Prussia

Procopio Sieniawski, dapifero Leopoliensi,

de apparatusibus suis bellicis in conflictu bellico amissis ei condolet et aliquot pelles alcium dono mittere pollicetur; puerum Casparem, in Academia sua Regiomontana bonis litteris ediscendis diligenter operam navantem, ad parentum ipsius postulationem domum remittit; notum facit palatinae Lanciciensi et castellanae Covaliensi se iam ante iustitiam administrari iussisse; immaturam mortem Stanislai Ostroróg Lwowski magno cum maerore se audivisse scribit; adversam valetudinem eius, propter quam ad se venire non poterit, dolet; regi Hungariae pro benevolentia sibi exhibita gratias agi petit.

Cfr. El. XLI, NN. 1888, 1889, 1890.

Conc., H B A, B, K. 1185.

Albertus etc.

Nobilis ac Generose, sincere nobis dilecte.

Ternas Generositatis Vestrae accepimus literas, eodem loco ac tempore datas. Ex quibus primum intelleximus Generositatem Vestram in conflictu bellico, quem Serenissimus Hungariae Rex¹⁾ cum Caesarea Maiestate Romana²⁾ habuit, arma et apparatus suos bellicos perdidisse, ideoque petere, ut illi loricas et cutes promissas cum equo aliquo mittere dignemur. Quod igitur Generositati Vestrae tantum infortunium in bello oblatum est, id nos dolenter sane cognovimus, ac meliorem Generositati Vestrae fortunam optaremus, sed quia Generositas Vestra novit fortunam belli ambiguum et ancipitem Martem esse, haud dubie hanc rem aequo animo ferre poterit. Et quamquam nunc extra consuetam aulam nostram hic in Lithuaniae finibus versamur, quo in loco nec armorum nec cutium copiam habemus, tamen mandavimus nostris Regiomonti relictis Vicegerentibus, ut huic exhibitori, Themefarski Hungaro, aliquot pelles alcium ad Generositatem Vestram perferendas traderent. Quas ut Generositas Vestra boni consulat, clementer postulamus.

Alteris literis petit Generositas Vestra, ut puerum Casparum, quem nobis praeterito tempore commendavit, quique hactenus in Academia nostra Regiomontana bonis litteris diligenter, quantum nobis constat, operam dedit, vicissim in patriam cum hoc ipso nuntio remittere vellemus. Hoc ipsum Generositati Vestrae, quoniam parentes pueri vehementer eum expetunt, denegare non potuimus.

Quod ad negotium Generosarum Palatinae Lanciciensis et Castellanae Covaliensis³⁾ attinet, iam ante mandavimus iudici et assessoribus iudicii terrestris Hohensteinensis, ut illis iustitiam debitam administrarent. Ad eam rem etiam ex consiliariis nostris aulicis unum deputavimus, non dubitantes ipsos hanc causam competenti tempore, siquidem nondum transacta est, uti decet et par est, legitime terminaturos.

Tertiis literis scribit Generositas Vestra, quod Serenissimus Rex Hungariae exactis aliquot annis mandavit Generositati Vestrae nos Suae Maiestatis nomine invisere, verum Generositatem Vestram morte olim Magnifici ac

Generosi Stanislai Comitis ab Ostrorog etc.⁴⁾ piae memoriae impeditam et suis quoque infirmitatibus detentam fuisse. Itaque per literas nunc id facere, quod praesentia sua expedire non potuerit. Quantum igitur ad obitum Magnifici Domini Comitis ab Ostrorog pertinet, sane eius viri casum et immaturam mortem magno animi cum maerore audivimus. Erat enim nobis magna familiaritate et arcta quadam necessitudine coniunctus et inprimis charus. Sed cum Deo Optimo Maximo sic visum sit Suam Magnificentiam ex hac aerumnarum valle evocare, necesse est, ut nos quoque eius divinae voluntati accommodemus et hunc similesque acerbos casus moderate feramus, donec ad nos ceteros quoque haec sors inevitabilis perveniat. Similiter etiam Generositatis Vestrae vicem dolemus, quod propter adversam valetudinem ad nos accedere non potuerit. Speramus tamen eandem pristinam sanitatem iam recuperasse. Quam illi ex animo favemus.

Quod autem Serenissimus Rex Hungariae nos tanta benevolentia prosequitur, ut nos cum Illustrissima coniuge⁵⁾ et tota prosapia nostra salvere et incolumitatem ac felicitatem diuturnam nobis precari dignatus sit, pro hac regia clementia magnas merito Suae Maiestati Regiae gratias agimus ac vicissim ei longaevam sanitatem, incolumitatem omniumque rerum prosperimos successus optamus et a Generositatem Vestra petimus, ut cum ad aulam S. Regiae Maiestatis Suae pervenerit, nostro nomine et verbis haec omnia Suae Maiestati reprecari non gravetur. Hoc nobis inprimis gratum et nostra vicissim clementia Generositati Vestrae compensandum veniet. Quae bene feliciterque valeat. Datae Ragneti, 20 Iulii 63.

Procopio Sieniawski

1) Ioannes Sigismundus Zapolya.

2) Ferdinandus I.

3) Elisabeth de Sieprc Brudzevska et Ursula de Sieprc Lwowska.

4) aulicus regius, capitaneus Międzyrzecensis.

5) Anna Maria.

N. 5596.

Ragnetae, 21.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rege ad sumptus bellicos grandi pecunia indigente, nuntiat ad diem primam Augusti proxime futuram status et ordines Ducatus sui districtum suum Preuschmark, hactenus Ioanni a Werden, consuli et burgravia Gedanensi, nunc iam defuncto, postea autem filio eius Ioanni oppignoratam, pro summa 30 000 florenorum redempturos esse; suadet, ut cum Ioanne a Werden iuniore agatur, ut eam pecuniam, «mediante certa et idonea cautione», rege mutuo dare velit.

Cfr. El. XXXII, N. 894.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5597.

S.l., 21.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario, queritur de aliquibus teloneariis regiis, praesertim in Lithuania et Samogitia, qui contempto immunitatis privilegio et vectigalium libertate, sibi a rege concessa, de armentis et pecoribus, pro necessario usu suo comparatis et per dominia regis agendis, telonea «pertinaciter exigere non vereantur», et rogat, ut hanc rem regi referat et efficiat, quo in posterum concessa sibi vectigalium immunitas et libertas serio observetur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5598.

Ragnetæ, 23.VII.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Cracoviensi [Spytconi Jordan de Zakliczyn] et, mutatis mutandis, Stanislae Myszkowski, castellano Sandomiriensi, salutationem eius, per Stanislaum Vogt sibi allatam, eiusque in se studium et benevolentiam, ab eodem Vogt deprædicatam, iucundam sibi fuisse nuntiat et vicissim eum salutatur officiaque sua ei offert.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1185.

N. 5599.

S.l., 2.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

certiorem eum reddit de felici suo in Regium Montem reditu; de Ioanne Finlandiae duce a rege Sueciae obsidione navali graviter presso; de ferro Suetico, palatino Rheni a rege Sueciae donato, in navi quadam intercepta Gedani servato; de principum Germaniae conventu, Rostochii pacis inter reges Daniae et Sueciae constituendae causa celebrato; de S. R. Imperii consilio terras Prussiae et Livoniae armis occupandi; de rege Daniae inscio rege Poloniae nullas pacis condiciones accepturo; de internuntio suo ad Ericum ducem Brunsvicensem in Daniam misso; suadet, ut ipse quoque sententiam et consilium regis Daniae et ducis Erici per litteras aut legatum perquirat etc.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Salvum me et incolumem Regiomontem rediisse S. Regia Vestra Maiestas clementer scire dignetur. Cui fausta et felicia quoque omnia obvenire ex animo opto. De rebus novis illud inter cetera sub reditum meum accepi, Illustrem Dominum Finlandiae Ducem¹⁾ obsidione navali a Suetiae Rege²⁾

graviter premi. Sunt qui affirmant, Suam Illustritatem iam in captivitatem Suedicam redactam esse. Quam Illustritatis Suae sortem non possum non vehementer dolere, maeroremque inde Serenissimae S. Regiae Vestrae Maiestatis sorori³⁾ obortum compatiendo communem mihi facio, optarimque rumorem utrumque falsum et commenticium esse, aut auram Celsitudinibus earum primo quoque tempore sereniorum affulgere.

Illustris Dominus Georgius Iohannes Palatinus Rheni etc., qui in matrimonium duxit Suetiae Regis sororem⁴⁾, Gedano ad me literas dedit, quibus ad me scribit undecim lastas ferri Suedici ad concinnandos expediendosque Illustrissimae consortis suae suorumque currus, a Rege praedicto sibi donatas esse. Quae cum in navi illa, quam S. Regiae Maiestatis Vestrae mandatarium interceperunt, continerentur, penes Suam Illustritatem ferrum hoc sibi extradi, ut parandis expediendisque curribus adhiberi possit. Quia vero indies S. Regiae Vestrae Maiestatis animi sententiam, quid cum navi et mercibus illis interceptis factum volet, expecto, maiorem in modum oro, ut tandem clementer suam mihi hac in re voluntatem aperiat, et quid fieri velit, iubeat, praesertim cum intelligam Dominum Palatinum Rheni abitum suum Gedano maturare.

Rostochii in Ducatu Megapolensi conventum celebrare dicuntur Dux Elector Saxoniae⁵⁾, Elector et Marchio Brandenburgensis⁶⁾, Landtgrafius Hassiae Senior⁷⁾, Henricus Dux Brunsvicensis. Tractatur de pace inter Daniae⁸⁾ et Suetiae Regem constituenda. Etsi autem levis spes sit de pace, tamen contra spem sperare christianos convenit, cum pace nihil Reipublicae conducibilis magisque exoptandum sit.

Perfertur autem ad me, pace inter Reges praedictos confirmata, Sacrum Romanum Imperium quorundam instinctu utriusque Regis exercitum ad occupandas Prussiae et Livoniae terras conducturum esse. Quae res si sic se haberet, sane minore cum impensa et faciliore compendio stratagema ad invadendas hasce terras ab Ordine Teutonico seu ab illis, qui partibus eius patrocinantur, inveniri nullum commodius posset.

Dubium quidem mihi nullum est, Serenissimum Daniae Regem, inscisa S. Regia Vestra Maiestate, nullas aut pacis condiciones accepturum, aut certe pacificatione S. Regiam Vestram Maiestatem terrasque illius non exclusurum esse. Ne quid autem hisce periculosus temporibus negligatur, dedi ad Serenitatem Suam literas, quibus pro arcta necessitudine, quae cum Serenitate Sua mihi intercedit, officiose et amanter peto, ut si ad pacis condiciones eventum fuerit, rationem et S. Regiae Vestrae Maiestatis et mei quoque habeat provideatque et caveat benigne clementerque, ut dimissio exercitus ea lege fiat, ne cui miles iste fidem contra S. Regiam Vestram Maiestatem vel me in ea dimissione obstringat, neve transitum per Regnum aut dominia S. Regiae Vestrae Maiestatis quoquo modo instituat. Agatque insuper Sua Serenitas sedulo, ut si quid callidi consilii contra S. Regiam Vestram Maiestatem vel terras hasce strui animadverterit, modis omnibus illud impediatur irritumque reddat.

Ad Illustrem Dominum Ericum Ducem Brunsvicensem, qui cum exercitu suo (sicut hoc die ad me perfertur) stipendia Serenissimi Regis Daniae iam meret solemniterque sub ingressum civitatis Copenhagensis a Serenitate Sua exceptus est, internuntium misi. Cui hoc mandavi, ut meo nomine Suam Illustritatem amanter et pro arcta affinitatis coniunctione, proque summa S. Regiae Vestrae Maiestatis propensione, quam ex literis illius non ita pridem procul dubio praeclare cognitam haberet, submoneret, ne Illustritas Sua a studio in S. Regiam Vestram Maiestatem meque suo alieniorem se reddi pateretur.

Sed si pax inter Daniae et Suetiae Regem constitueretur, praedicta diligenter curaret ipse et per alios curanda sollicitus quoque esset. Certo autem ad me perfertur, exercitum Serenissimi Domini Daniae Regis constare ex 60 vexillis peditum, et sub singulis miliare quingentos milites. Equitum vero numerum esse sex millia bene armata et selectissima, ut medullam quasi militiae Germanicae dicere quis exercitum eum posset. Classem autem Serenitatem Suam habere triginta octo navibus validissime armatis instructam, prorsusque ac serio constituuisse tribus in locis Suetiae Regem adoriri bellique et fortunae aleam tentare. Aiunt autem Suetiae Regem externo milite plane destitutum esse, finibusque Regni sui tuendi collectam saltem illum indigenarum habere manum, 18 millibus hominum constantem. Naves triginta octo custodiae portuum suorum designatas. Faxit Deus, ut aut pax optata constitutur, aut Serenissimo Daniae Regi victoria laeta obtingat.

Cum autem in rebus eiusmodi fortuna volubilis sit, non incommode S. Regiam Vestram Maiestatem facturam esse arbitrarer, si et ipsa aut per literas aut legatum aliquem in praedictam sententiam et Serenissimum Daniae Regem et Ducem Ericum requireret, utereturque ad Ducem Ericum eo argumento, quod Sua Illustritas S. Regiae Vestrae Maiestati operam suam ultronee antea obtulisset, quam S. Regia Vestra Maiestas minime aspernata, sed summa benignitate complexa esset, ita etiam, ut in casu necessitatis non modo uti ea constituerit, sed multum fiduciae etiam in illam collocarit. Itaque plane confidere S. Regiam Vestram Maiestatem, Suam Illustritatem memorem fore oblatis ultronei studii sui, inque omnem eventum amicum se et necessarium Principem, non modo quod ad suum militem attineret, erga S. Regiam Vestram Maiestatem terrasque hasce exhibituram, verum etiam si quid pace, inter Daniae et Suetiae Regem parta, hostile contra eandem moliri quos intelligeret, modis illud omnibus impedituram esse. Quae tamen omnia S. Regia Vestra Maiestas, si consilium hoc meum ei non displicuerit, prudentius me amplificando facile ornare poterit.

Operae pretium quoque esset, ut pro regia vigilantia sua in Regno Poloniae ita rationes resque omnes S. Regia Vestra Maiestas constitueret, ut si pace, inter Reges praenominatos facta, periculi aliquid contra has terras emergeret, ut portus et civitatis Gedanensis ante omnia diligens ratio habeatur, utque in casu necessitatis citissima auxilia ad manum esse subitoque currere plura ex Regno Poloniae possint. Quod ad meum portum attinet, etsi non parvi sumptus in custodiendo eo mihi sunt impendendi, tamen ita a me curata et provisa sunt omnia, ut protectione ante omnia et auxilio Dei accedente impetus ex ea parte mediocriter validos arceri posse sperem. Idem ut S. Regia Vestra Maiestas in portu Gedanensi quoque curari iubeat, submisso consulo et suadeo.

Atque haec habui, quae pro hac vice S. Regiae Vestrae Maiestati scribenda esse duxi, petoque enixe, ut ne S. Regia Vestra Maiestas aegre id ferat, sed fidei meae debito horumque temporum qualitati asscribat. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu servet incolumem successusque illi et prosperos et secundos rebus in omnibus largiatur, sanisque consiliis actiones illius omnes regat ac gubernet. Datae.

Relatio Cancellarii⁹⁾

In folio separato: Regi Poloniae, 2 Augusti etc.

- 1) Ioannes.
- 2) Ericus XIV.
- 3) Catharina.
- 4) Anna Maria.

- 5) Augustus.
- 6) Ioachimus II.
- 7) Philippus I.
- 8) Fridericus II.
- 9) Ioannes a Kreitzen.

N. 5600.

E Regio Monte, 4.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Stanislao a Górka

pro Bartholomaeo Horn, tubicine suo, cuius filius Philippus ante aliquod tempus, fortassis ab aliquo seductus, patre inscio domo relicta discesserat et nunc apud eum (Stanislaum a Górka), ut ex litteris ab eodem Philippo acceptis constat, commoratur et una cum eo in militiam profecturus est, intercedit et rogat, «ut istum puerum a se dimittere et ad parentem (quem non est cur vehementer metuat) expedire... dignetur».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5601.

S.l., 8.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

significat binas litteras regias per internuntium suum, doctorem Christophorum Jonam, sibi allatas esse; antiquum negotium finium inter Magnum Lithuaniae et suum Prussiae Ducatum determinandorum commendat et rogat, ut missis ad festum s. Michaelis utriusque partis commissariis, negotium hoc, per tot annos agitatum et recens ob expeditionem bellicam contra Moscovitas ad aliud tempus reiectum et dilatum, tandem componatur et decidatur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5602.

S.l., 8.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

litteras eius, 27.VII. Vilnae datas, per internuntium suum, doctorem Christophorum Jonam, sibi redditas esse nuntiat et pro studio eius indefesso in promovendis apud regem negotiis suis adhibito gratias agit; negotium finium inter Magnum Lithuaniae et suum Prussiae Ducatum regundorum iterum commendat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5603.

S.l., 8.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sebastiano Czapski

rogat, ut veteris negotii finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae regundorum et terminandorum R.P. vicecancellarium [Petrum Myszkowski] submoneat.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1897.

Ostpr. Fol., vol. 46.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

pro studio et diligentia in negotiis suis apud regem promovendis adhibita gratias agit; «antiquum istud negotium» («toto tempore gubernationis nostrae agitatam, verum ne in hunc usque diem quidem confectum») de controversis finibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum suum Prussiae, recens «ob expeditionem bellicam contra Moschum, omnibus Lithuaniae incolis sub id tempus, quod huic controversiae diiudicandae destinatum erat, imperatam, iterum in aliud tempus reiectum» commendat et rogat, ut ad s. Michaelis festum commissarii ex Magno Ducatu et sui cum sufficientibus mandatis ad determinandam hanc finium controversiam mittantur.

(Schedula I: certiore eum reddit se consiliario suo Caspari a Nostitz mandasse, ut promissas 600 oves ex districtibus suis Neidenburgensi et Ortelsburgensi ei mittendas curaret.

Schedula II: nuntiat litteras eius, 29.VII. Vilnae datas, «de prolatis cum Moscho indutiis deque admonenda S. Regia Maiestate, ne hosti adeo fidat, quin primo quoque tempore in Poloniam se recipiat», se accepisse. Schedula III: se hoc tempore pellibus bisonum carere significat).

Cfr. El. XLI, NN. 1893, 1896.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum consulit regi, ut ad reprimendos regis Sueciae conatus non solum classem bellicam instruendam curet, sed etiam facultatem concedat quibusvis naves Sueticas in mari invadendi, capiendi, diripiendi; nuntiat se ex mandato regio eiusmodi potestatem Stanislao Wąsowicz et Michaeli Figenau eorumque sociis concessisse, sed admonet regem, in una ex navibus interceptis ferrum Sueticum comitis palatini Rheni inveniri; propterea se non videre, qua ratione ferri illius distractio interceptoribus concedi queat.

(Schedula: de nulla pecunia a Gedanensibus impetrata).

Cfr. El. XXXII, NN. 890, 896.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex etc.

Quae mea fuerit sententia, quodve consilium de reprimendis aut impediendis Suedici Regis¹⁾ violentis conatibus, non puto S. Regiae Maiestati Vestrae memoria excidis, nempe ut non modo classis aliqua contra hostem illum instrueretur, sed etiam facultas et libertas concederetur quibusvis naves Suedicas in mari invadendi, capiendi et diripiendi. A qua quidem

sententia necdum discedere aliterve consulere possum. Quoniam autem S. Regia Maiestas Vestra binis suis literis, una verborum forma scriptis, mihi mandat, ut nobili Stanislaŏ Wąsowicz ac Michaeli Figenau eorumque sociis ac consortibus liberam distractionem omnium rerum ac mercium, in capta navi Suedica contentarum, concedam, antea vero idem similiter mandavit, hac condicione apposita, ut tamen diligentius prius de rebus omnibus inquirerem, quod quidem non negligenter a me factum est, ideo mei officii esse putavi S. Regiam Maiestatem Vestram paucis nunc de hac re admonere. Re enim diligenter inquisita, comperi undecim lastas, ut vocant, ferri Suedici, quod Germani Osemundt appellant, ad Illustrissimum Ducem Palatinum Rheni²⁾, qui nuper cum uxore sua, Regis Sueciae sorore³⁾, Gedanum appulit, pertinere, quemadmodum Sua Illustritas mihi binis suis literis significavit. Quasdam vero merces civium Gedanensium esse, quas in solutum a debitoribus suis ex Suecia accipere debuerunt. Cum autem S. Regia Maiestas Vestra non ignoret Illustrissimum Palatinum Rheni sub salvo conductu S. Regiae Maiestatis Vestrae Gedanum venisse, ac sub eadem quoque fide publica haud dubie in navem illam ferrum suum imposuisse, non video, qua ratione ferri illius distractio interceptoribus concedi queat.

Quod ad merces vero Gedanensium attinet, audio ipsos mercatores praetendere, quod S. Regia Maiestas Vestra elapso tempore publice cives Gedanenses monuerit, ut quivis merces suas ex Suecia exportandas curaret. Cui monitioni attendentes, eas se merces exportasse dicunt. Quod si ita est, nec illas merces, quas civibus Gedanensibus ex Suecia in solutum missas esse doceri potest, pro spoliis habere aequum aut iustum videtur. Neque enim sine gravi iniquitate subditorum bona praedae obici possunt, idque eo praesertim tempore, quo nullum adhuc in civitatibus bellum publice denuntiatum aut proclamatum fuit.

Haec ad S. Regiam Maiestatem Vestram, pro fide et observantia mea, ideo nunc summa celeritate scribenda esse putavi, quod mihi per internuntium meum, Doctorem Christophorum Jonam, huius rei accuratiorem inquisitionem clementer commissam esse voluit. Itaque ad fidem et officium meum debitum spectare existimavi, omni cura circumspicere ac providere, ne quid inconsiderate aut temere in his rebus committatur. Nihil autem dubito S. Regiam Maiestatem Vestram, aequitate rei bene considerata, non facile permissuram, ut vel peregrini vel subditi contra ius et fas spolientur. Quicquid vero praeter dictas merces in navi rapta superfuerit, id omne interceptoribus liberum permitti aequum esse arbitror. Tamen haec omnia prudentiori S. Regiae Vestrae Maiestatis iudicio relinquo.

Quod autem S. Regia Maiestas Vestra praeterea postulat, ut supradictis Capitaneis liberum sit etiam alteram navem, quae a nullo rapta, sed suapte sponte in portum meum appulsa hic detinetur, illud nulla ratione Capitanei illi sibi vendicare possunt, nec illis iuste concedi potest. Nam postquam nautae eiusdem navis contra leges et harum terrarum constitutiones mercium non indicatarum distractione ita in portu meo deliquissent, ut navis cum mercibus fisco meo applicari meruerit, statim consilarii mei, re intellecta, eam navim cum mercibus arstarunt ac tamdiu eandem retinendam esse censuerunt, donec quid cum illa fieri vellem, a me iuberentur. Itaque cum Capitanei illi prorsus nihil pro illa navi praestiterint, eaque in arestum meo nomine accepta antea fuerit, quam illis de ea aliquid constiterit, non possunt aliquid sibi in illam asserere. Ex nautis autem illis tantum cognovi, eos bona amicitia et mutua vicinitate fretos huc appulisse et subditos esse non Regis Sueciae, sed Ducis Magni, Regis fratris, cum quo nullum bellum geritur. Quapropter eam navem cum mercibus et hominibus in mea custodia tamdiu

servabo, donec de toto negotio amplius et certius cognovero. Quod S. Regiae Maiestati Vestrae pro officio et fidelitate mea subdite scribendum duxi. Quam Deo Optimo Maximo ad longa tempora felicem, incolumem et prosperrimis rebus omnibus affluentem conservandam committo. Datae.

Ex relatione D. Jonae praesente
Cancellario⁴⁾

D. Jonas legit

In folio separato: Regi Poloniae, 13 Augusti.

Schedula:

Serenissime Rex, Potentissime Princeps, Domine Clementissime.

Expeditis iam hisce literis, certo ad me perfertur Magnificum Dominum Palatinum Marienburgensem⁵⁾, ad postulata S. Regiae Maiestatis Vestrae nomine facta, a Gedanensibus nihil impetrasse aut obtinuisse, siquidem ipsi priori suae sententiae acquiescunt, quemadmodum S. Regia Maiestas Vestra haud dubie ex responso, quod per celerem veredarium a Gedanensibus istuc mittitur, intelliget. Quoniam autem Gedanenses adeo prae fracti in sua sententia persistunt, nihilque contribuere volunt, consultum mihi videtur, ut et S. Regia Maiestas Vestra de sua sententia non decedat, sed serio ipsis mandet, ne se a reliquis parvis civitatibus seiungant, sed instar illarum de centum marcis tam mobilium quam immobilium bonorum 8 sl. citra ullam tergiversationem pendant et numerent. Neque enim S. Regiam Maiestatem Vestram ullam separationem aut inaequalitatem in suis ditionibus ferre aut pati velle, quemadmodum S. Regia Maiestas Vestra haec pro sua singulari prudentia amplificare et extendere clementer poterit. Hoc pro meo officio S. Regiae Maiestati Vestrae in hac festinatione significandum duxi. Cui me meaque omnia diligenter commendo. Datum ut supra in literis.

1) Ericus XIV.

2) Georgius Ioannes.

3) Anna Maria.

4) Ioannes a Kreitzen.

5) Achatius Czema.

N. 5606.

S.l., 13.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

suadet, ut erga Christophorum ducem Megapolensem, coadiutorem Rigensem, qui nunc in custodia regia Rigae tenetur et ius omne in archiepiscopatum Rigensem sua sponte regi cessit, se eo benigniorem exhibeat, quo maior illo est, et iniurias omnes oblivione ac clementia prosequatur; nuntiat ducem Curlandiae ad ferendum auxilium arcibus in episcopatu Osiliensi a rege Sueciae obsessis paratum esse, sed id obstare, quod miles rebus necessariis destitutus sit.

Cfr. El. XXXII, NN. 900, 902.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Renuntiatum mihi est Illustrrem Principem Dominum Christophorum, Ducem Megapolensem etc., deditione castri Dalen facta, in S. Regiae Vestrae Maiestatis custodia Rigae teneri, iusque suum omne, quod ei in archiepisco-

patum Rigensem competebat, ultronee S. Regiae Vestrae Maiestati cecidisse. Quod nuntium, quantum ad dictum Dominum Christophorum attinet, ut dolenter audivi, ita iucundissimum mihi fuit ex parte S. Regiae Vestrae Maiestatis, quod initia bellicae istius expeditionis feliciter successerint, minoribusque cum impensis quae voluit S. Regia Vestra Maiestas confecerit. Quia vero dubium mihi nullum est, praedicti Domini Ducis animum ad quaevis obsequia S. Regiae Vestrae Maiestati praestanda propendisse antea semper, a quo si Illustritas Sua fortassis alienior facta est, ardori iuvenili et praecipitatis quorundam consiliis id imputandum esse existimo. Itaque videretur mihi S. Regia Vestra Maiestas rem se suaque singulari prudentia et excellentia dignissimam esse factura, si quo maior excelsiorque illo est, eo faciliorem benignioremque se illi praeberet, neque acriore vindicta, sed magnorum Principum heroico exemplo oblivione iniurias omnes prosequeretur, proque clementia sua amicis adhuc tractatibus locum faceret, ne Illustritas Sua vel propinqui illius alieniores a S. Regia Vestra Maiestate reddantur, aut aliquid praeter opinionem inde emergat. De quo prolixius S. Regiae Vestrae Maiestati libenter scriberem, si literis committere illud auderem. Minime autem dubito, cum adolescentia sit lubrica, sanioribus fortassis consiliis Principis huius animum in viam rectiorem facile reduci atque eo permoveri posse, ut S. Regiae Vestrae Maiestati non modo reconciliaretur, sed voluntati illius per omnia subscriberet. Ne autem dignitas S. Regiae Vestrae Maiestatis in eo labefactetur, ipse motu proprio mediatorem me offeram, adiuncturusque mihi sum eam ad rem gerendam (si ita S. Regiae Vestrae Maiestati placuerit) Illustris Dominos Megapoliae Duces. Itaque clementer S. Regia Vestra Maiestas hac in re animi sui sententiam ad me perscribere dignetur. Interea autem custodiam eiusdem Ducis a S. Regia Vestra Maiestate clementer diligenterque provideri oro, ut Principe digna sit. Erit hoc S. Regiae Vestrae Maiestati in omnem eventum et honorificum et regia dignitate illius maxime conveniens, multisque occurrere rebus ea ratione poterit, quae alioquin S. Regiae Vestrae Maiestati Regnoque illius fortassis detrimentosae esse possent.

Ceterum latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, Illustris Dominum Curlandiae Ducem¹⁾ inter cetera ad me perscripsisse, quandoquidem castra quaedam in episcopatu Osiliensi a milite Suedico obsidione premerentur, libenter se pro ea societate belli, quae S. Regiae Vestrae Maiestati cum Serenissimo Daniae Rege²⁾ intercedit, obsessis subventum cupere, sed ad rem bene gerendam hoc obstare, quod iuxta promissionem S. Regiae Vestrae Maiestatis pecunia, commeatus, monstrationum reiue armamentariae et numerandorum stipendiorum praefecti, equi praeterea ac fossores ad iaciendos aggeres non submittuntur. Itaque cum primus iam mensis elapsus sit, pecunia rebusque necessariis deficientibus, milites ulterius non progressuros esse. Haec etsi a S. Regia Vestra Maiestate, uti promisit, curata iam esse spero, submonendam tamen de iis, rogante ita Domino Curlandiae Duce, S. Regiam Vestram Maiestatem esse duxi. Facile enim S. Regia Vestra Maiestas existimare potest, militem rebus necessariis destitutum ad obeundum fidelitatis suae munus signiorem reddi. Itaque si ea, quae submissuram se copiis illis S. Regia Vestra Maiestas recepit, curata adhuc non sunt, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas primo quoque tempore eas rationes inire, ne cum dispendio militem eum in terras Livoniae misisse videatur, sed ut cum S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitate praeclari aliquid egisse illum omnes intelligant, laetamque ab hostibus victoriam reportent. Atque haec pro fidei meae debito ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscribo, quae ut ne aegrius

ab illa accipiantur, submisso oro. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet incolumem actionesque illius omnes fortunet ac salutaribus consiliis regat. Datae.

Relatio Cancellarii³⁾ et D. Jonae
Princeps cum Cancellario et
Canitio audivere

In folio separato: Regi Poloniae, 13 Augusti anno 63 etc.

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Fridericus II.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5607.

Insterburgi, 18.VIII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
notum facit se ab Eustachio a Knobelsdorff, custode et canonico Frauenburgen-
si, certiore factum esse, palatinum Culmensem [Ioannem Działyński]
«iterum praestitutum terminandae pervetustae finium controversiae
diem servare non velle».*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5608.

Insterburgi, 19.VIII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
nuntiat se libenter intellexisse, consilium suum de protectione in Poloniam regi
non displicuisse; de duce Christophoro, coadiutore Rigensi, consilium
suum proximis litteris suis se regi perscripsisse significat; ad se perlatum
esse regem Daniae fines Sueciae cum exercitu suo iam esse ingressum scri-
bit.*

Cfr. El. XXXII, N. 900.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Potentissime Princeps, Domine Clementissime et Con-
sobrine Charissime.

S. Regiae Vestrae Maiestatis literas, sexto huius mensis die datas, debita
cum reverentia accepi atque ex illis consilium meum qualecumque de protec-
tione in Poloniam S. Regiae Maiestati Vestrae non displicuisse libenter intel-
lexi. Ut autem quicquid istius feci, non nisi ex sincero cordis affectu profec-
tum est, ita adhuc S. Regiam Vestram Maiestatem pro fide in ipsam mea
non adhortari non possum, ut quod ea de re clementer pollicetur, quam
primum, atque ad id magis ipsorum periculorum ratione, quam persuasione

hac mea adducta, praestet. Mihi quidem obtingere nil gratius potuit, quam quod animadverti officium hac in re meum S. Regiam Maiestatem Vestram non improbasse.

Ad Palatinum Mariaeburgensem¹⁾ quod attinet, cum alia ipsi negotia commissa sint, propter quae adesse S. Regiae Vestrae Maiestati non possit, in sententia S. Regiae Vestrae Maiestatis acquiesco.

De Duce Christophoro, Coadiutore archiepiscopatus Rigensis, quod meum consilium sit, arbitror S. Regiam Vestram Maiestatem ex proximis meis literis non obscure intellexisse, ideoque pluribus, ne S. Regiae Maiestati Vestrae molestus sim, id non repeto.

De Daniae et Sueciae Regibus²⁾ nihil ad me perlatum est, praeterquam quod Bruno, Illustris Ducis Curlandiae³⁾ secretarius, mihi retulit Serenissimum Daniae Regem Sueciae fines cum exercitu suo iam ingressum esse. Quae quidem nova S. Regiam Vestram Maiestatem ex eodem Brunone etiam cognovisse non dubito. Si quid porro hac de re ad me perferetur, id omne S. Regiae Vestrae Maiestati fideliter communicabo. Interim S. Regiam Vestram Maiestatem Deo Optimo Maximo incolumem conservandam commendo. Datae.

Commissio Principis propria
Idem audivit

Sub textu infra: Regi Poloniae, 19 Augusti anno etc. 63. Datum Insterburgk.

1) Achatius Czema.

2) Fridericus II et Ericus XIV.

3) Gottardus Kettler.

N. 5609.

Insterburgi, 19.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

nuntiat allatas sibi esse litteras regias, «sermone Theutonico confectas sub inscriptione Latina» («Cum autem an veredarius, qui eas nobis reddebat, Polonus vel Lithuanus esset, non scire neque sigillum, quod non satis expressum erat, exacte agnoscere potuerimus, fecit ea res nobis aliquas cogitationes»).
(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1896.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5610.

Romitten, 22.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de consiliis et conatibus Erii ducis Brunsvicensis, de quibus a genero suo, Ioanne Alberto duce Megapolensi, sibi perscriptum est, regem certiore facit.

Cfr. El. XXXII, N. 903.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Perscribitur ad me hac ipsa hora ab Illustri Principe Megapolitano, Domino Iohanne Alberto, genero meo, Dominum Ericum ducem Brunsvicensem cum exercitu suo (quem quidem quo Illustritas Sua ductura sit, in hunc

usque diem nemo scire possit) transitum per Ducatum Megapolensem petiisse, idque non prius, quam ad Capitaneum Damitzensem Erasmus Winterfeldt, ut per Albim fluvium cum exercitu transportaretur, literas dedisset. Petitio Ducis Erici, cuius exemplum a genero meo accepi, talis est: Illustritatem Suam cum eo exercitu christiano alicui Principi, qui neque contra Imperatorem, neque Regem Romanorum, denique contra nullum S. Imperii Romani statum adversi quicquam sit moliturus, se adiuncturam. Ad istum ut perveniret, per ditiones illius iter sibi esse faciundum, ideoque ut liber sibi transitus concederetur, cum Illustritati illius parcere in eo, quantumvis id cuperet, non posset, amice rogare.

Imo paulo post iisdem in literis, IX Augusti datis, idem dux Megapolensis subiungit, illa ipsa hora ad Illustritatem Suam allatum esse, quod Dux Ericus ad districtum et oppidum Damitz modo pervenisset et Albim iam transmitteret.

Ab aliis scribitur, er wolle durch Pommern dem Schweden¹⁾ zuziehen, von Dantzig abschieffen etc.

Idem Dux Megapolitanus literis suis manu propria exaratis ad me inter cetera haec scribit verba: Propemodum, inquit, subvereor, ne istud bellum hac ratione in meum Ducatum, quod tamen omen Deus obruat, convertatur. Quid autem prodest eventum aliquem diu ante prospexisse deque eo tempestive satis praemonuisse, si nemo sit qui obtemperet? Quod quidem eo ab Illustritate Sua dictum accipio, quod magis e re S. Regiae Maiestatis Vestrae futurum existimet fuisse, si S. Regia Vestra Maiestas Ducis Brunsvicensis operam in expeditione bellica non recusasset. Ego autem idem non sentio, atque opis-ne vel periculi plus inde expectandum fuisset, paene dubito.

Dux Ericus an Regni Daniae vel Sueciae partes tueatur, Illustritas Sua asserit nesciri, ad Suecum tamen magis eum declinare. A quibusdam vero hoc dici, neutri horum, sed Pontifici Romano²⁾ et Episcopis operam suam eum addixisse. Ab aliis hoc cognovi, constanti rumore afferri dictum Ducem Ericum per Marchiam et Pomeraniam Dantiscum versus iter suum instituisse et inde in Sueciam esse navigaturum. Ablegavi autem quandam ex servitoribus meis, ut in castra Ducis Erici proficiscatur ibique quid in animo habeat, quantum eius fieri potest, inquirat. Quicquid certi ab eo afferetur, id S. Regiam Vestram Maiestatem non sum celaturus.

Rostochii magnam exortam esse seditionem et plebem clavibus civitatis a Senatu extortis quemcunque, quandocunque velit, in urbem intromittere et ex urbe vicissim dimittere.

Cum autem, utcunque haec se habeant, omnino diligenti animadversione opus esse videatur, officii mei esse putavi S. Regiam Vestram Maiestatem hisce de rebus mature reddere certiore, ut S. Regia Vestra Maiestas cum in Polonia, tum in Prussia ad excipiendos avertendosque hosce impetus se praemuniat, eaque de re Gedanensibus et reliquis terrarum Prussiae incolis mandet. Ego hanc adhibebo curam, ne quicquam, quod quidem praestare potuerim, neglexisse videar. Quod S. Regiam Vestram Maiestatem, quam in multos annos superstitem ac florentem a Deo conservari exopto, subdite celare non debui. Datae celeriter Romitten, XXII Augusti anno etc. 63.

In folio separato: Regi Poloniae, XXII Augusti anno etc. 63, datum Romitten.

1) *Ericus XIV.*

2) *Pius IV.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

significat se ad electorem Saxoniae, qui cum aliis Germaniae principibus de pace inter Daniae et Sueciae reges constituenda conventum [Rostochii] celebrat, de rebus Moscoviticis scripsisse eumque hortatum esse, ut ageret, quo regis quoque Poloniae in conventu isto ratio haberetur.

Cfr. El. XXXII, N. 904.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Dubium mihi nullum est, S. Regiam Vestram Maiestatem tam ex literis meis, quam communi quoque fama intellexisse, Illustres Principes Dominos Saxoniae¹⁾ et Brandenburgensem Electorem²⁾ cum Domino Henrico Duce Brunsvicensi et Langrafio Hassiae³⁾ conventum celebrare de pace inter Serenissimum Daniae⁴⁾ et Suetiae Regem⁵⁾ constituenda. Quia vero perlatum ad me est Dominum Saxoniae Electorem summo studio, labore et diligentia eam pacificationem urgere ac percupere, ut S. Regia Vestra Maiestas sine impedimento aliquo contra Moschum feliciter arma movere possit, remque omnem serio ab Illustritate Sua agi, facere non potui, quin omnia de rebus Moschowitticis, ut nunc se habent, ad Illustritatem Suam perscriberem, deque meliore nota negotium hoc totum, quod Illustritas Sua tam de pace constituenda, quam de promovendis iis, quae non ex re tantum S. Regiae Vestrae Maiestatis, sed pro commodo omnium illorum, ad quos malum Moschovitticum redundare posset, commodarem. Hortatusque sum Illustritatem Suam peramanter, cum nihil Christianae Reipublicae magis salutare esse possit, quam pax et tranquillitas, dignaretur Sua Illustritas, si ad pacis conditiones ventum fuerit, S. Regiae quoque Maiestatis Vestrae Regnique ac terrarum illius benignam rationem habere, ut non Serenissimi tantum Daniae [Regis], sed S. Regiae quoque Maiestatis Vestrae contra Suecum bellica expeditio amicis tractatibus coniunctim componeretur. Cui sententiae meae si Illustritas Sua astipularetur, existimare me S. Regiam Vestram Maiestatem eo quoque nomine requirendam, deque mittendis commissariis ad tractatus eos ultro citroque habendos invitandam esse, ut communicato cum S. Regia Vestra Maiestate consilio et foedus firmum pacis et fortassis quoque certa determinataque contra Moschum expeditio, quoad fieri posset, constitueretur.

Hanc autem ad rem dextre curandam utor Comitis Naugardiae opera, quo cum familiaritas mihi optima, cum parente illius contracta, adhuc intercedit. Is internuntius est designatus a Domino Duce Saxoniae Electore ad pacis tractatus praedictos, speroque et Domino Electori et eidem Comiti totum hoc negotium de meliore nota fore commendatissimum. Quid autem confecero ac quid respondi eas ad literas accepero, tempus docebit. Insciam autem S. Regiam Vestram Maiestatem horum propterea esse nolui, ut si forte praedicti Principes S. Regiae Vestrae Maiestati ad pacificationem suasores futuri essent, deque mittendis eam ad rem nuntiis suis illam submonerent, ipsa interea temporis quid fieri vellet statueret. Pro meo quidem qualicunque iudicio non dissuaderem, ut S. Regia Vestra Maiestas in pacificationem eam consentiret, seque cum Daniae Rege legatorum suorum missione socias per

omnia partes agere velle indicaret. Illud vero ante omnia S. Regiae Vestrae Maiestati providendum est, si mittendus erit legatus, ut talem ex suis aliquem mittat, qui et linguae Germanicae et tranctandorum eius generis negotiorum peritissimus sit, ne quid rebus in eiusmodi arduis negligatur, quod tam S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitati, quam Regno ac dominiis illius omnibus incommodare possit. Quae tamen omnia prudentiori S. Regiae Vestrae Maiestatis iudicio examinanda proque singulari sapientia sua statuenda relinquo. Ego saltem fidei meae debitum his in rebus procurandis S. Regiae Vestrae Maiestati testatum facere volui, sicut et promptissimum me ad ea etiam offero, quaecumque hoc nomine porro per me agi aut curari S. Regia Vestra Maiestas voluerit. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter regnare et prosperos rebus in omnibus successus illi cum diuturna incolumitate toto pectore exopto. Datae.

Relatio Cancellarii⁶⁾
Idem legit

In folio separato: Regi Poloniae, 29 Augusti anno 63. Datum in Sperling.

- 1) Augustus.
- 2) Ioachimus II.
- 3) Philippus I.

- 4) Fridericus II.
- 5) Ericus XIV.
- 6) Ioannes a Kreitzen.

N. 5612.

Sperling, 29.VIII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
ad se perlatum esse nuntiat ducem Ericum Brunsvicensem per Megapoliam in
quoddam Pomeraniae oppidum iam pervenisse et inde in Prussiam perrectu-
rum esse; licet quid in animo habeat ab omnibus ignoretur, hortatur regem,
ut ad Vistulam praesidia collocari iubeat, quae transitum illi impedian-
t.*
Cfr. El. XXXII, N. 904.
Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Denuo, cum Illustris Pomeraniae Ducis Domini Barnimi, tum aliorum literis fio certior, Ducem Ericum per Megapoliam in quoddam Pomeraniae oppidum Melchin pervenisse atque inde (ut a quibusdam ad me perfertur) in Prussiam perrecturum. Pomeraniae Dux ipse quidem nihil de imperata suis militia ad impediendum hoc Ducis Erixi propositum, sed alii id ad me pro certo scribunt. In numero militum nonnihil discrepant. Alii constanter de septendecim vexillis peditum atque quidem sub singulis octingentis militibus contentis deque quinque millibus equitum scribunt, alii de paucioribus, de decem et quattuor vexillis peditum et septem tantummodo turmis equitum, nonnulli de duobus millibus, quidam etiam de octingentis saltem equitibus.

Quid Dux Ericus in animo habeat, quo-ve eum exercitum ducturus sit, ab omnibus nescitur. Ego, cum diligenti in hac re cura atque vigilantia opus esse plane existimem, S. Regiae Vestrae Maiestati iterum haec significanda

esse duxi, ut mature, quomodo imminentibus hisce periculis occurrendum sit, statuatur. Mihi quidem inprimis consultum ac pernecessarium etiam esse videtur, ut ad Istulam praesidia collocentur, quae transitum Duci Erico non concedant. Cetera S. Regia Maiestas Vestra, quibus opus esse hac in re iudicabit, pro singulari sua prudentia facile curatura est. Ego recta Regiomontem me recipio, ut res meas pro necessitate adornem. His S. Regiam Vestram Maiestatem diu superstitem esse feliciterque regnare exopto. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, 29 Augusti anno 63, datum in Sperling.

N. 5613.

Angerburgi, 30.VIII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nova de Erico duce Brunsvicensi prius perscripta confirmat et addit ipsum asserere, se pro rege Poloniae contra Moscum has copias ducturum et secunda aut tertia Septembris die Gedanum perventurum esse; cogitandum ergo omnino esse arbitratur, qua ratione imminenti malo mature occurrere possit.

Cfr. El. XXXII, N. 905.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Binas ad S. Regiam Vestram Maiestatem de rebus Ducis Erici, alteras XXVIII^a, alteras XXXIX^a huius mensis die dedi literas. Iam vero atque hoc ipso temporis momento ad me affertur illa omnia non modo non vana, verum multo esse certissima. Per Stetinum a Pomeraniae Duce¹⁾ cum sufficienti de non offendendo cautione data se istum exercitum pro S. Regia Vestra Maiestate contra Moschum ducturum esse dixisset, cum equis sexcentis et sedecim peditum vexillis, singulis octingentos milites comprehendentibus, iisque bene armatis, transmissus est. Gedanum die Iovis aut Veneris proxime ventura, quae secunda aut tertia Septembris fuerit, perventurus esse dicitur. Quidam tabellarius retulit meis consiliariis tres equitum turmas per Tuhroniam iter fecisse, qui omnes et singuli interrogantibus constanter respondeant S. Regiae Vestrae Maiestati se servituros.

Cum itaque hisce rebus sic se habentibus, omnino cogitandum omnesque simul nervi huc intendendi sint, qua ratione imminenti malo mature et quidem citra omnem dilationem succurratur, S. Regiam Vestram Maiestatem etiam atque etiam vehementissime hortor et obtestor, ut, rei periculorumque magnitudine considerata, quam primum ad reprimendos hostiles hosce Ducis Erici conatus (sic enim mihi plane videntur ac secus de ipso sentire me omnes circumstantiae fere non permittunt) contendat hancque rem sibi curae maximae esse sinat. Gedanenses ad resistendum ipsi se parare feruntur libenterque, ut audio, plures, quam forte in tanta festinatione fieri poterit, milites conscriberent. Deus faxit, ut haec res ipsis ex animi sententia succedat.

Atque haec habui, quae pro fide mea S. Regiae Vestrae Maiestati quam celerrime significanda esse duxi. Quam denuo tanto studio, ut maiore non possim, peto, ne moram aut cunctationem ullam huic negotio ditionumque

suarum defensionis obesse patiat. Deus Optimus Maximus S. Regiae Maiestatis Vestrae conatus clementer fortunet eandemque longis temporibus saluam conservet. Cras, Deo volente, venturus sum Regiomontem, ubi quid ex re et mearum virium fuerit, diligentissime providebo. Datae Angerburgi, XXX^a Augusti.

In folio separato: Regi Poloniae, 30 Augusti 63, datum in Angerburg.

1) *Barnimus IX.*

N. 5614.

S.l., 2.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum de ducis Erici Brunsvicensis conatibus affirmantis, se operam militarem regi Poloniae contra Moscum offerre velle, refert et sententiam suam, satis incertam et ambiguam, de hac re aperit; item offert rumorem de imperatore exercitum in Silesia conscribente et Regnum Poloniae invadere volente, in quem casum operam ducis Erici exoptatissimam futuram fuisse putat.

(Schedula: mittit litteras Barnimi ducis Pomeraniae regi inscriptas).

Cfr. El. XXXII, N. 908.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Allatae mihi sunt literae, quae nuntiant Ericum Ducem Brunsvicensem, cum iter per Ducatum Megapolensem habuisset, dixisse se eo animo in has terras exercitum ducere, quod operam S. Regiae Vestrae Maiestati militarem offerre atque stipendia illius contra Moschum¹⁾ merere vellet, eaque de re brevi Illustritatem Suam internuntios suos ad S. Regiam Vestram Maiestatem missuram esse. Quia vero mihi non constat, an partis cum Moscho indutiis tractatus tales S. Regiae Vestrae Maiestati cum Illustritate Sua intercedant, ut copias eas sibi adduci iusserit, egoque harum rerum plane ignarus sim, idcirco ante omnia diligenter providendum esse puto, ne pontonibus aut scaphis transitus per Vistulam Suae Illustritati, inscia S. Regia Vestra Maiestate, concedatur. Atque ea de causa subditos omnes meos celeriter in procinctu esse iussi, sumque intra paucos dies cum illis ad fines Ducatus mei progressurus seduloque invigilaturus, ne exercitus iste Vistulam traiciat, antequam mihi voluntatem S. Regia Vestra Maiestas suam, quid fieri velit, aperiat. Recepi autem subditis S. Regiae Vestrae Maiestatis terrarum Prussiae, me praesto illis futurum, si ex illorum parte irruere exercitus Ducis Erici conaretur. Idem ipsos quoque facturos me confidere, si in finibus Ducatus mei impetus fierent. Faciamque pro mea tenuitate proque virium mearum (quas robustiores nunc quidem esse optarem) imbecillitate, quod fidum Principem decet. Quia vero iidem S. Regiae Vestrae Maiestatis subditi ductore et gubernatore aliquo supremo homineque perito opus habituri sunt, cuius mandatis per omnia oboediant, itaque talem S. Regia Vestra Maiestas ex suis quam fieri poterit citissime designare et praeficere illis dignabitur.

Vix enim adduci possum, ut non metuam, si eius Illustritas non vocata a S. Regia Vestra Maiestate venit, ne latentis fortassis aliquid atque callidi consilii sub praetextu eo subsit, cum Sua Illustritas aliquoties publice dixisse feratur, si quid eo cum exercitu in animo haberet, illa sciret.

Quod ad operam Ducis Erii attinet, quam S. Regiae Vestrae Maiestati oblaturus esse dicitur, in eo quid expediat, certo statuere mecum non possum. Arbitrarer quidem non inutilem eius Illustritatis operam S. Regiae Vestrae Maiestati contra Moschum fore, praesertim cum ferant exercitum Suae Illustritatis optime atque egregie, praecipue autem magno sclopedariorum numero armatum esse. An vero rationes S. Regiae Vestrae Maiestatis sumptus stipendiorum ferre possint, mihi non constat. Singulis enim mensibus sexaginta millia thalerorum, vel aliquanto etiam plura, requiruntur, statimque elapso mense solutio in promptu S. Regiae Vestrae Maiestati esse oporteret, nisi pro amico hostem habere vellet. Itaque ex aerarii S. Regiae Vestrae Maiestatis rationibus consilium hac in re capiendum erit. Si vero contractiones illae sunt, quam ut ferre tantam pecuniae solutionem in singulos menses possint, tolerabilior fortassis haec S. Regiae Vestrae Maiestati conditio esset, si Duci Erii liberum faceret partem aliquam ditionis, quam Moschus aut Suecus²⁾ in Livonia occupavit, suis impensis invadere et recuperatam pro compensatione stipendiorum in tempus habere. Quod si S. Regia Vestra Maiestas Suam Illustritatem commeatu aut aliis rebus eam ad rem dextre gerendam iuvare non abnueret, esset hoc cum levi S. Regiae Vestrae Maiestatis damno futurum.

Verum huic opinioni meae illud repugnat, quod facultates Illustritatis Suae inferiores fortassis sunt, quam ut sufficere ei peragenda rei possint, cum vix credam tantum aeris Suae Illustritati esse, ut vel paucis mensibus alere adhuc militem hunc suum possit. Itaque metuendum esset, si Sua Illustritas rem coeptam deficiente pecunia conficere non posset, et militi non solutis stipendiis missio danda esset, ne subditi S. Regiae Vestrae Maiestatis spoliis et direptionibus misere affligerentur, haberetque tunc S. Regia Vestra Maiestas hostem in penetralibus terrarum suarum grassantem.

Hic et illud considerandum venit, quod eam ad rem per delegatos commissarios ultro citroque cum Illustritate Sua tractandam non parum temporis requiritur, illudque nullo cum usu elaboretur. Miles autem interea commeatum omnem in districtu Gedanensi consumeret et miseros subditos prorsus exhauriret. Neque recessurus inde esset, nisi acceptis stipendiis. Quae tractatibus cum Duce Erii durantibus in magnam aeris summam excrescerent, quam Dux Ericus procrastinationi S. Regiae Vestrae Maiestatis ascripturus esset. Ac non prius, nisi soluta ea, ex terris S. Regiae Vestrae Maiestatis exercitum suum ducturus. Quod si vi propulsandus esset, grave hoc S. Regiae Vestrae Maiestati foret, si fortassis oppida aliquot S. Regiae Vestrae Maiestatis interea iam occupasset.

Nos quoque, qui ad propulsandum aut prohibendum eum ad Vistulam exercitum vires nostras coniunxissemus, non minore cum damno inutiles sumptus facturi essemus. Quam ob rem consultius esse censerem, si S. Regia Vestra Maiestas ex causis supradictis fortassis opera Ducis Erii uti non consultum esse duceret, ut illum annuali stipendio (quemadmodum Serenissimus Rex Daniae³⁾ fecisse dicitur, a quo Illustritati Suae annuatim bis mille floreni numerantur) conduceret, ea tamen cautione accepta, ne Illustritas Sua contra S. Regiam Vestram Maiestatem ulli hominum servitia sua addiceret.

De missione autem militibus danda tum quoque cum Sua Illustritate rationes tolerabiles ineundae essent. Quod meo iudicio accepta honoraria alicuius pecuniae a Gedanensibus summa facile confieri posset. Non enim existimo Gedanenses ad evitandum maius malum, suadente ita S. Regia Vestra Maiestate, hoc recusaturos esse.

Si vero fama ea, quae huc affertur, vera est, Imperatorem⁴⁾ scilicet in Silesia equitum peditumque exercitum conscribere et magnam eius iam partem collectam habere, eiusque animi esse, quod Regnum Poloniae invadere velit vel iam, ut rumor est, invaserit, ac fortassis illud moliri, de quo cum S. Regia Vestra Maiestate ego sermones Caunae, ut meminit ipsa, habebam, in eum sane casum praesentia et opera Ducis Erici exoptatissima S. Regiae Vestrae Maiestati ad manum esset. Aiunt enim Suam Imperatoriam Maiestatem dixisse omnino illi contra Poloniae Regnum, quocunque etiam hoc tempore fieret, bellum esse movendum. Cuius tamen rei, nempe quid in Polonia atque ab Imperatore in Silesia agatur, S. Regiam Vestram Maiestatem non ignaram esse certiusque me praescire iam illam puto. Ego hoc ipso die quosdam ex meis percontatum misi. Quicquid cognovero, S. Regiam Vestram Maiestatem non celabo. Meas vero cogitationes has qualescunque, pro praesentium temporum qualitate proque fide et officio subiectionis meae, S. Regiae Vestrae Maiestati aperiendas esse duxi. S. Regiae Vestrae Maiestatis erit prudentiore consilio constituere, quid ex Regni terrarumque suarum commodo et emolumento melius utiliusque ei esse videbitur. Petoque enixe, ut me S. Regia Vestra Maiestas quam ocissime doceat, quid expedire existimet ac quid factum velit. Ego quidem apud me plane ita constitui, castris meis praesidiis firmatis, viribus quantiscunque potero transitum per Vistulam exercitui isti prohibere tamdiu, donec de voluntate S. Regiae Vestrae Maiestatis certior factus fuero.

Itaque maiorem in modum oro, ne responsum suum differat. Quod si a Duce Erico, aut per Poloniam seu aliunde, imminere aliquid periculi his terris S. Regia Vestra Maiestas cognoverit, submisit oro, ut pro regia sua clementia, quemadmodum pacta habent, mihi succurrere et terras hasce ab impetitionibus hostilibus defendere ne intermittat. Erit hoc non tam ex Regni sui quam harum terrarum emolumento. Quod mearum erit partium, in me desiderari nihil patiar. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati festinanter secretiusque perscribenda esse duxi, enixe petens, dignetur S. Regia Vestra Maiestas lectas hasce literas igni cremandas dare. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet incolumem negotiaque illius omnia felicibus successibus fortunet. Datae.

Cedula

In harum consignatione perforantur ad me literae Illustris Domini Barnimi Pomeraniae Ducis, quibus Sua Illustritas petit, ut hasce literas S. Regiae Vestrae Maiestati inscriptas festinanter ad illam mittere non gravarer. Scribitque Sua Illustritas Ducem Ericum, cum transitum per Pomeraniam petivisset, hoc praetendisse, se servitorem S. Regiae Vestrae Maiestatis esse et copias suas contra Moschum S. Regiae Vestrae Maiestati adducere. Quod celandam S. Regiam Vestram Maiestatem esse non putavi. Datae ut in literis.

1) *Ioannes IV Basilides.*

2) *Ericus XIV.*

3) *Fridericus II.*

4) *Ferdinandus I.*

Albertus dux in Prussia

Lucae a Gôrka et quibusdam aliis proceribus Polonis

de Erici ducis Brunsvicensis, regi Poloniae contra Moscum suppetias ferre praetendentis, cum valido exercitu ad Gedanum accessu nuntiat; item affert rumorem de imperatore exercitum in Silesia conscribente eumque in Poloniam mittere conante.

Cfr. El. XLI, N. 1900.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Albertus etc.

Salutem et benevolentiam nostram. Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Non possumus Magnificentiam Vestram amanter celare, quod Ericus Dux Brunswicensis cum valido exercitu tam equitum quam peditum, qui ad decem millium militum aestimatur, ad urbem Gedanensem his diebus accessit ac praetendit se S. Regiae Maiestati Poloniae etc., Domino nostro clementissimo, suppetias laturum contra Moschum. Quae res etsi aliquam speciem et praetextum habet, quod talem exercitum tam bene armatum et instructum, sicut is dicitur esse, ad defendendas S. Regiae Maiestatis terras ducturus sit, tamen vicissim immensi illi sumptus, qui ad hunc exercitum alendum requiruntur, non immerito pensandi sunt, praesertim cum adhuc tantum itineris restet conficiendum, priusquam ad hostem propius veniatur. Quare in arbitrio S. Regiae Maiestatis consistit, quid hoc casu factum velit. Nos sane pro nostra persona nescimus, an consultum sit S. Regiae Maiestati et inclyto Regno hunc exercitum vel acceptari vel intra fines Regni ditionumque regiarum recipi. Nec dubitamus, quin Magnificentia Vestra idem sentiat et S. Regiam Maiestatem hoc nomine diligenter, pro senatorio suo officio, monitura sit.

Praeterea rumor est Caesaream Romanorum Maiestatem¹⁾ in Silesia conscribere exercitum, quem in Poloniam mittere constituerit. Qua de causa, quo praetextu, quove consilio, scire non possumus. Quod si autem hic rumor vanus non est, facile Magnificentia Vestra perpendere potest, quantum universo Regno inde impendeat periculi. Nobis tamen dubium non est, quin Magnificentia Vestra, quae Silesiae finibus propius assidet, certius aliquid de hac Caesarea Maiestatis expeditione comperti habeat quam nos, nec ignorat etiam Magnificentia Vestra debitas vias ac rationes, et quid vicissim ad reprimendam eiusmodi vim hostilem requiratur. Si vero, falso hoc rumore existente, contingat Ducem Brunswicensem in perniciem terrarum Prussiae aliquid moliri ac Gedanum forte (quod tamen nondum nobis persuadere possumus, cum tormentis maioribus non sit instructus) obsidione cingere et oppugnare, vehementer et amanter petimus, Magnificentia Vestra suas rationes ita constituere velit, ut cum reliquis inclyti Regni statibus obsessis Gedanensibus, si ita eveniat, opem et auxilium in tempore ferre possit. Nos quidem subditos nostros omnes, praeter eos, qui in praesidiis nostrarum arcium et oppidorum relinquendi sunt, in armis ac in procinctu esse iussimus ac, Deo Optimo Maximo fortunante, post triduum hinc versus Vistulam flumen profecturi sumus, ut ipsum Ducem Ericum, si contra voluntatem S. Regiae

Maiestatis flumen transmittre praesumat, transitu arceamus et prohibeamus, nisi nobis interea aliud quid a S. Regia Maiestate iniunctum fuerit. Quod Magnificentiam Vestram amanter celare nolumus.

Petimus porro Magnificentiam Vestram amice, ut si quid certo de Caesarea Maiestatis expeditione et conscriptione militum in Silesia compertum habet, aut alioqui nova, quae nostra scire interest, in promptu sunt, nobis cum hoc ipso nuntio communicare non gravetur. Id nos amicis studiis et mutua benevolentia rependere sedulo conabimur. Bene feliciterque Magnificentiam Vestram valere optamus. Datae Regiomonti 2 Septembris 63.

Ex relatione Cancellarii²⁾
Princeps audiit legere

Sub textu: Lucae Comiti a Gorcka³⁾, Martino Sborowski⁴⁾, Palatino Cracoviensi⁵⁾, Raphaeli Leschinski⁶⁾, Palatino Sandomiriensi⁷⁾.

In folio separato: Ad quosdam procures Regni Poloniae, 2 Septembris 63.

1) *Ferdinandus I.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

3) *palatinus Calissiensis.*

4) *castellanus Cracoviensis.*

5) *Spytco Jordan de Zakliczyn.*

6) *Raphael Leszczyński.*

7) *Stanislaus Tarnowski.*

N. 5616.

S.l., 3.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de consilio regis diuturnae limitum controversiae finem imponendi gaudet et rogat, ut commissarios suos ad eam rem deputet; Comitia Regni, ad 11 diem Novembris indicta, fausta esse precatur; increbrescente rumore de imperatore in Silesia exercitum conscribente, necesse esse existimat, ut rex, confectis rebus Lithuanicis, in Regnum se recipiat; timet, ne dux Christophorus, coadiutor Rigensis, si Vilnam deduceretur, a subditis regiis ludibrio habeatur; consulit regi, ut eum tantisper Rigae detineat, donec totum negotium per tractatus conficeretur.

Cfr. El. XXXII, N. 902.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Ex literis S. Regiae Vestrae Maiestatis, XXVII elapsi mensis Augusti Vilnae datis, primum summa cum voluptate intellexi, cupere S. Regiam Vestram Maiestatem diuturnae limitum controversiae inter Magnum Ducatum Lithuaniae et meum Ducatum Prussiae finem imponere, hancque mihi tandem aliquando sollicitudinem ex animo eximere, si tamen a me (quod id S. Regiae Maiestatis Vestrae non esset) prius commissarii in magistratu aliquo constituti, ut deinde literae commissionis confici possent, deligerentur. Ut autem clemens ista atque propensa S. Regiae Vestrae Maiestatis ad huius negotii cognitionem voluntas perquam mihi grata fuit, ita nonnihil

gravius mihi visum est commissariorum, quos S. Regia Vestra Maiestas mittere debeat, electionem mihi iniungi. Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum vehementerque peto, ut et negotii huius cognitionem ulterius non protrahat et ad eam commissarios ex suis, quos voluerit ipsa, deputet. Ego quidem meos, quos eam ad rem maxime idoneos esse videro, perlubenter mittam.

Comitia Regni Poloniae ad diem divi Martini¹⁾ indicta felicia, fausta ac salutaria esse ardentibus votis etiam atque etiam precor. Atque id plane, quod S. Regia Maiestas Vestra se meae admonitioni tribuere dicit, quod se quam primum, constitutis ac provisus undique Magni Ducatus Lithuaniae rebus, in Regnum receptura sit, ipsa necessitas postulat, cum hic rumor de die in diem magis magisque increbrescat Caesaream Romanam Maiestatem²⁾ in Silesia exercitum, quem in Poloniam mittere constituerit, conscribere.

De Duce Christophoro nihil aliud, praeterquam quod antea ad S. Regiam Maiestatem Vestram, tum praecipue ad Dominum Vicecancellarium³⁾ perscripsi, possum consulere. Quibus enim conditionibus totum hoc negotium inter S. Regiam Maiestatem Vestram et Illustritatem illius conficiendum et deducendum sit, vix quisquam alius rectius quam S. Regia Vestra Maiestas statuerit. Porro quod intellexi Illustritatem eius Vilnam deductum iri, auditu sane mihi minime fuit iucundum. Forte enim contingat, ut a S. Regiae Maiestatis Vestrae subditis, qui ab Illustritate eius sunt aliquantum alieniores, vel ludibrio haberetur, vel non eo, quo Principem quamvis captivum tractari convenit modo, tractetur. Id potius pro mea tenuitate consuluerim, ut S. Regia Vestra Maiestas Illustritatem eius tantisper Rigae detinuisset, donec negotium hoc per convenientes tractatus totum confectum planeque transactum fuisset, atque S. Regia Maiestas Vestra, quid Dux Christophorus vellet et deberet in posterum facere, quidque S. Regia Vestra Maiestas vicissim Illustritati eius praestare, certo scivisset, ne S. Regiae Maiestati Vestrae aut inclito Poloniae Regno (ut haec sunt tempora turbarum et periculorum plena) deinceps quicquam ab Illustritate eius timendum fuerit. Atque ut S. Regia Vestra Maiestas de eo adhuc et quam primum videat et statuatur, vehementer peto summoque studio adhortor.

Cetera, quae de ferro Suedico S. Regia Maiestas Vestra fieri voluit, a me diligenter sunt curata. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu recte valentem feliciterque regnantem conservet, cui me meaque officia humillime commendo. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae, III Septembris anno LXIII.

1) 11.XI.

2) Ferdinandus I.

3) Petrus Myszkowski.

N. 5617.

S.l., 4.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

narrat de terra Wicensi in Livonia ab exercitu Suetico occupata et de ducis Curlandiae difficultate eam recuperandi, necnon de tyrannide regionum praesidiariorum, quam in miseros subditos exercent; consulit, ut ad reprimendos regis Sueciae conatus condicionibus, a rege Daniae propositis,

subscribat et amicitiam cum eodem rege corroboret; iterum refert de gestis et consiliis Erii ducis Brunsvicensis, qui cum copiis suis iam ad districtum Gedanensem accessit; sententiam suam in hac re et consilia regi aperit.
Cfr. El. XXXII, N. 911.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Illustris Dominus Curlandiae Dux¹⁾ suis ad me literis scribit militem Suedicum in Livonia eam terrae partem occupasse, quae est in episcopatu Osiliensi, vulgo Wike dicta. Hanc etsi ipse cum Parnovia aliisque recuperare magno ardore contendisset, nec longius nunc quam duodecim a Parnovia miliaribus abesset, tamen inferiores esse Weieranas et quae illis accesserunt in Livonia vires, quam ut sufficere oppugnationi Parnoviae, aut recuperationi terrae Wicensis possint. Causatur enim, quod nihil eorum, quae S. Regia Vestra Maiestas Suae Illustritati submissuram esse Caunae receperat, ad ipsum adhuc pervenerit. Itaque cum neque auxiliares copias, neque pecuniam, neque tormenta maiora S. Regia Vestra Maiestas mittat, magno cum periculo progredi se cum manu illa exigua non posse, neque militem velle, Suedos enim Weieranis si non superiores, tamen pares esse numero asserit. Parnoviam vero commeatu et praesidiis non nisi egregie firmatam esse, ut si incertam aleae fortunam tentaret, praesenti quasi internecioni militem Germanicum obiceret. Ex praesidiariis quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis Livonicis neminem mandatis S. Regiae Vestrae Maiestatis obsequi, neque vel latum ex arcibus pedem ad expeditionem movere velle, nisi prius accepta a S. Regia Vestra Maiestate stipendiorum solutione. Testatur autem Sua Illustritas Deum immortalem, quod ea ipsa praesidia illi provinciae multo sunt nocentiora quovis hoste crudelissimo. Eloqui enim Suam Illustritatem non posse, quantam tyrannidem ipsi in miseros subditos exercent, ut non mirum esset, si terra dehiscens illos absorberet. Non enim parcere eos fortunis neque visceribus miserorum atque tam inaudita ab illis perpetrari, ut si vel alio nullo delicto iustus Deus commotus, certe illorum hominum effrenata malitia accensus, immanissimae crudelitatis illorum ultor tamen futurus esset.

Haec cum ita se habeant, non videre Illustritatem Suam, quomodo ad rem bene gerendam pro commodo, honore et dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis cum milite suo longius progredi vel inceptare aliquid cum tam parva manu contra Suecum²⁾ possit. Petere itaque Suam Illustritatem, ut me submonitore quam primum auxiliares copias eaque omnia S. Regia Vestra Maiestas ei submitteret, quae Caunae missuram se esse promisit. Etsi autem memini me ad S. Regiam Vestram Maiestatem hac de re iam aliquoties perscripsisse, ut repetere toties eam rem supervacaneum existimem, tamen cum permagni S. Regiae Vestrae Maiestatis intersit, ne tempus illud, in quod Weieranus miles conductus est, frustra elabatur, submisso oro, ut S. Regia Vestra Maiestas, si id factum adhuc non est, ea Domino Curlandiae Duci subministrari quam primum iubeat, quae Caunae missuram se esse recepit. Hoc enim si factum non fuerit, magna cum S. Regiae Vestrae Maiestatis indignitate miles Weieranus frustra tempus teret, inutilibus S. Regia Vestra Maiestas sumptibus gravabitur et societati cum Rege Daniae³⁾ susceptae non satisfiet. Metuendumque est, si Suecus, percontatis exilibus S. Regiae Vestrae Maiestatis in Livonia viribus istis, ne ex inopinato archiepiscopatum Rigensem invadat.

Quam ob rem pro mea fide consulo, ut S. Regia Vestra Maiestas rebus omnibus bene pensitatis eas rationes ineat, ut aequis a Serenissimo Daniae Rege propositis conditionibus subscribat, perpetuamque hanc amicitiae confirmationem, quantum rationes S. Regiae Vestrae Maiestatis ferunt et quoad eius fieri poterit, ne excutiat, etiamsi principia eius rei nonnihil difficiliora esse videantur. Si enim S. Regia Vestra Maiestas societatem eam, aliqua conditionum non usque adeo ex omni parte S. Regiae Vestrae Maiestatis voluntati correspondente, irritam redderet vel ea non praestaret, quae in societate Danica promissa sunt, paxque inter Daniae et Sueciae Regem fortassis constitueretur, facile S. Regia Vestra Maiestas existimare potest, quid animi Suecus contra S. Regiam Vestram Maiestatem habiturus esset. Idcirco iterum atque iterum oro, ut S. Regia Vestra Maiestas, pro sua singulari atque excellenti prudentia, non praesentia modo, sed futura provide perpendat, ne in periculum aliquod praestandis non praestitis se praecipitet, praesertim cum miles Weieranus in tres tantum menses, sicut meminit S. Regia Vestra Maiestas, conductus sit, quorum duo fere iam elapsi sunt. Quam ob rem si S. Regia Vestra Maiestas Livoniam illo praesidio diutius munitam esse volet, in longius tempus operam militum illorum conducat oportet. Id enim si non fecerit, milesque post decursum tertii mensis terris iis excederet, metuendum esset, ubi Suecus hoc praesidio terras eas destitutas intellexerit, ne ex improviso totam eam terram cum archiepiscopatu invadat. Quod S. Regia Vestra Maiestas cum prudentibus suis consiliariis exactius ac multo sapientius me deliberabit, nihilque eorum, quae ex commodo et dignitate sua esse putaverit, praetermittet.

Dux Ericus ad districtum Gedanensem iam accessit, habuitque hodie apud me internuntium, qui nomine Illustritatis Suae haec duo capita petiit. Primum ut apud S. Regiam Vestram Maiestatem efficerem, dignaretur S. Regia Vestra Maiestas Suam Illustritatem cum copiis suis conducere. Magna enim et singulari quadam propensione animi Illustritatem Suam flagrare in addicenda S. Regiae Vestrae Maiestati contra quosvis illius hostes opera sua, illudque non alicuius privati lucri gratia, sed quod honorificam, Deo adiuvante, victoriam ab hostibus S. Regiae Vestrae Maiestatis reportaturam se esse speraret, illudque egisse diceretur, quod nemo ex Germaniae Principibus tentasset.

Alterum caput hoc erat, quod Sua Illustritas transitum sibi per Ducatum meum dari postulat. Cavere enim se velle de omni indemnitate, nihilque hostile sive praedando, sive rapiendo in subditos meos committi passuram esse. Quia vero mihi non constat, quid ea in re S. Regiae Vestrae Maiestati placeat, quidve rationes illius ferre possint, nihil quoque determinati S. Regiae Vestrae Maiestati consulere possum. Illud quidem compertum habeo, Suae Illustritatis exercitum constare ex decem millibus hominum selectissimorum atque egregie armatorum, inter quos aliquot millia sclopedariorum, militiam multos annos sequuta, excellere dicuntur. Quod si S. Regia Vestra Maiestas expeditionem contra Suecum non diu extrahere, sed brevi compendio bellum hoc, divino accedente numine, feliciter finire et absolvere, illudque, quod Serenissimo Daniae Regi recepit, egregie ac cum dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis comprobatum cuperet ac deinde Moschum finitis indutiis invadere vellet, haberet quidem quasi ad manum iam bene gerendae rei opportunitatem, si Ducis Erici copias acceptaret. Si vero integrum hoc S. Regiae Vestrae Maiestati non esset, neque ex Polonis vel Lithuanis auxiliares manus Weierano militi submiserit, neque societati Danicae satisfecerit, prudenter S. Regia Vestra Maiestas secum reputet, ubi Serenissimus Daniae

Rex intellexerit militares hasce Erici Ducis copias ad fores S. Regiae Vestrae Maiestati oblatas fuisse, Maiestatem autem Vestram illas ad rem contra Suecum dextre gerendam acceptare noluisse, an non Sua Serenitas, in varias cogitationes adducta, alienior a S. Regia Vestra Maiestate redderetur? Quod pacificatis cum Sueco et Serenitate Sua rebus omnibus, parvo cum S. Regiae Vestrae Maiestatis emolumento futurum esset.

Quod si S. Regia Vestra Maiestas aerarii sui rationes angustiores esse causatur, quam ut totum hunc exercitum alere possit, quid si duo vel tria sclopedariorum millia, aut quotquot S. Regia Vestra Maiestas vellet, ex eo exercitu seligeret et Weierano militi adiungeret. Tum quidem Serenissimus Daniae Rex non haberet, in quo S. Regiam Vestram Maiestatem ratione susceptae societatis accusare posset. Existimo enim, si tria vel quattuor sclopedariorum millia his, qui iam in Livonia sunt, adderentur, Dominum Curlandiae Ducem Sueco facile superiorem fore.

Si vero S. Regia Vestra Maiestas totum eum exercitum stipendiis suis alere vellet, in eum casum minime celandam esse S. Regiam Vestram Maiestatem duxi, quod Dux Ericus duorum fere mensium stipendia exercitui isti debet, quae antequam operam suam S. Regiae Vestrae Maiestati addicerent, omnino sibi solvi postulaturi essent. Requiruntur autem ad eam solutionem centena et viginti thalerorum millia, si non plura. Haec, antequam iter ingre-
diantur, in promptu esse oporterent. Huc et illud considerandum venit, quod intra spatium mensis pertingere eum in locum, ubi S. Regia Vestra Maiestas opera illorum uti vellet, non possent, in quem mensem computandi sunt supra sexaginta thalerorum millia. Hanc si aerarius S. Regiae Vestrae Maiestatis summam sustinere potest, erit in arbitrio illius constituere, quae sibi commodiora esse existimaverit.

Intellexi praeterea ex internuntio Ducis Erici, quod si S. Regia Vestra Maiestas exercitum eum conducere non vellet, nihilominus tamen Illustritatem Suam decrevisse hac transire, rectaque Revaliam contra Suecum vel contra Moschum contendere atque ibi sortem suam experiri. Cautionem autem Suam Illustritatem daturam mihi esse de indemnitate et quod nihil hostile sive praedando, sive rapiendo in subditos meos committi passurus esset. Quod an consultum S. Regiae Vestrae Maiestati sit, ipsa iudicet. Me quidem ea res in varias cogitationes trahit, nihilque inde aliud colligo, quam quod Illustritati Suae aut transitus concedendus, aut proelio conatus illius vi reprimendus est. Transitum ut multae rationes concedi me avocant, ita ad conserendum cum illo hostiles manus longe inferior sum, etiamsi S. Regiae Vestrae Maiestatis terrarum Prussiae subditi suas mihi coniungerent vires. Inermes enim, licet utcunque armati, futuri essemus contra eas copias, quae cum instructissimae esse dicantur, sane multorum annorum belli militiaeque usu nos longe superarent. Itaque si vi reprimendum S. Regia Vestra Maiestas iudicat, dignabitur festinanter ex Polonia aliquot millia equitum his terris auxilio mittere, ut coniuncta manu fundi exercitus iste possit, vel retrocedere cogatur. Haec autem omnia S. Regiae Vestrae Maiestatis arbitrio relinquo, quam submitte oro, ut me citissimo responso doceat, quid hoc toto in negotio fieri factumque velit. Ego, ut proximioribus literis meis ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi, subditos meos, quotquot in hac celebritate potui, excivi, qui hoc ipso die, quod Deus bene fortunet, ad Vistulam castra posituri iter ingrediantur. Non enim passurus sum, ut (quantum humanitus fieri potest) Dux Ericus flumen illud transmittat, antequam S. Regiae

Vestrae Maiestatis responsum accepero. Idcirco iterum atque iterum peto, ut magnis itineribus quam citissime illud perferri ad me curet. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem felicissime valere exopto. Datae properanter.

In folio separato: Regi Poloniae, 4 Septembris.

1) Gottardus Kettler.

2) Ericus XIV.

3) Fridericus II.

N. 5618.

E Regio Monte, 7.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum de consiliis et conatibus Erici ducis Brunsvicensis, operam militarem ei offerentis, refert et consilium suum in hoc negotio, anceps et ambiguum, praebebat; de milite Germanico in Livonia se iam pridem consilium suum ei perscripsisse nuntiat; de pecunia conquirenda se nullas rationes invenire posse scribit.

(Schedula I: de duce Erico liberum transitum per Gedanum et Vistulam postulante; de Mosco post 1 Novembris diem regem invadere volente. Schedula II: de castris ducis Erici non procul a civitate Gedanensi metatis).

Cfr. El. XXXII, N. 904.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Perlatae ad me sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, 2 Septembris Vilnae datae. Cumque inter cetera S. Regia Vestra Maiestas mihi iniungere dignetur, ut de adventante Ducis Erici exercitu cum terrarum S. Regiae Vestrae Maiestatis Prussiae senatoribus consilium capiam, in eo, sicut rebus aliis in omnibus, mandatis S. Regiae Vestrae Maiestatis obsequi studiosissimus sum. Misi itaque literas S. Regiae Vestrae Maiestatis ad eosdem senatores, quibus consilii mei tenuitatem, quandocumque uti eo voluerint, obtuli. Daboque operam, ut mutua deliberatione habita tam dignitatis S. Regiae Vestrae Maiestatis, quam salutis harum terrarum ratio habeatur. Hoc die ipse propria in persona cum equitatu meo aulico (siquidem alios ex terris Ducatus mei subditos iam praemisi) iter ingredior, progressurus ad littus Vistulae ibique nihil eorum praetermissurus sum, quae ad prohibendos Ducis Erici conatus expedire duxero, quodque fidum et vasallum Principem maxime decet.

Cum haec scriberentur, redeunt ad me internuntii mei ex castris Ducis Erici, qui referunt eundem Ducem sic respondisse, quod operam suam militarem cum eo exercitu S. Regiae Vestrae Maiestati offerre vellet, si uti ea S. Regia Vestra Maiestas non recusaret. Ipsi vero internuntii mei hoc asserunt se ex omnibus circumstantiis aliter colligere non potuisse, quam quod Dux Ericus partium sit Suedicarum, quodque Sua Illustritas non procul a portu Gedanensi fortassis naves sit conscensura. Apparuisse enim in mari istic locorum classem quandam, circiter triginta navium numero constantem, Ducemque ipsum, cum Stolpae militiae suae praefectos convivio exceperisset,

palam bono eos esse animo iussisse, habere enim se Regem opulentum, qui non unius anni, sed multorum parata stipendia numerare posset. Aiunt praeterea illi ipsi internuntii mei, quod S. Imperatoria Maiestas¹⁾ operam Suae Illustritatis expetiverit, Regem quoque Daniae²⁾, ut regrederetur, ad Suam Illustritatem perscripsisse. Neutri autem Suam Illustritatem certi quicquam adhuc respondisse, ut quid Sua Illustritas in animo habeat, divinare nequeam. Non intermittam autem diligenter percontatum meos mittere. Quicquid cognovero, festinanter S. Regiae Vestrae Maiestati significabo.

Haec autem omnia cum eo tendere videantur, ut si S. Regia Vestra Maiestas uti Ducis Erici opera noluerit, is in Sueciam navigaturus sit, prudenter S. Regia Vestra Maiestas iudicare potest, si eo cum exercitu suo veniret, quanto id cum S. Regiae Vestrae Maiestatis et Serenissimi Daniae Regis incommodum et periculo futurum esset. Quam ob rem aliud consulere non possum, quam quod binis iam proximioribus literis meis hac de re ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi.

Quandoquidem mihi rationes aerarii S. Regiae Vestrae Maiestatis non constant, quod si S. Regia Vestra Maiestas non constituit eum exercitum conducere, tum quidem ad evitandum maius quoddam malum in eas S. Regiae Vestrae Maiestati cogitationes incumbendum erit, ut quam fieri possit citissime exercitus iste dissolvatur, aut longius a ditionibus S. Regiae Vestrae Maiestatis repellatur, quam ut naves conscendere atque in Sueciam transmittere possit, praesertim cum Suecus³⁾ in mari Balthico iam dominetur, ut facile illi sit copias eas in Sueciam ducere. Quae si eo pervenirent, actum sane esset cum Serenissimo Daniae Rege. Nuntiatur enim validam quandam manum equitum peditumque Suae Serenitatis in proelio contra Suecum cecidisse, ut praeter paucos, qui fuga saluti suae consuluerunt, omnes trucidati sint. Idcirco in omnem eventum S. Regia Vestra Maiestas hanc rem diligenter perpendere dignetur.

De milite Germanico, qui in Livonia nunc est, nudius tertius ad S. Regiam Vestram Maiestatem consilium meum perscripsi. Si enim Ducis Erici opera uti Maiestas Vestra noluerit, militi Livonico missionem dari minime consultum mihi videtur ex rationibus, iisdem in literis meis prolixius adductis.

De conquirenda pecunia nullas rationes invenire possum. Ego sane prorsus exhaustus sum, ut ipse nunc indigeam. Cuperem ad hanc meam qualemcunque expeditionem, sicubi scirem, aes alienum conflare. Itaque consilium S. Regiae Vestrae Maiestati hac de re capiendum erit cum inclitis Regni sui senatoribus, inque eum finem S. Regia Vestra Maiestas omnia ponderare dignabitur, ne et Livoniam amittat et Regni terrarumque suarum detrimentum aliquod patiat, Regemque Daniae, qui ex confoederatione pollicitis S. Regiae Vestrae Maiestatis confidit, alienum a se reddat. Atque haec pro mea qualicunque tenuitate captuque ingenii, proque fide mea, S. Regiae Vestrae Maiestati perscribenda esse duxi, petoque, ut quam fieri poterit citissime mihi respondere dignetur. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu servet incolumem. Datae Regiomonti etc.

Schedula I:

In hoc momento temporis, cum equum conscenderem, afferuntur a Gedansibus mihi literae, quae nuntiant Ducem Ericum omnino contendere, ut ei liber sit transitus per Gedanum et Vistulam, petereque illum subvectionem commeatus necessariam. Quod si hoc non factum fuerit, quoquo modo posset, se transiturum et commeatum quaesiturum esse. Omnino autem se transire velle.

Afferuntur et ista, quod ex Moscovia perscribitur, Moschum⁴⁾ post elapsum primum diem Novembris omnino invadere S. Regiam Vestram Maiestatem velle, quod si non in campo, quaesitum esse illam in aula Vlnensi. Itaque quid fieri cum exercitu Ducis Erici velit, clementer me doceat cogitetque, si Moschum post indutiarum tempus hostem est habitura, an non Ducis Erici copiae acceptandae videantur. Ego officium meum faciam, neque in me quicquam passurus sum desiderari. Datum raptim.

Schedula II:

In harum consignatione alterae afferuntur literae a Gedanensibus, quae indicant Ducem Ericum iam castra habere non procul a civitate Gedanensi, protestatumque esse, si ei transitus per Gedanum non concederetur, neque commeatus subvectionem, se exusatum esse velle, si quid damni ipsis Gedanensibus vel subditis illorum illatum fuerit. Summopere autem Suam Illustritatem contendere et properare, ut per Vistulam transmittere possit. Hoc Gedanenses (quibus ego praesto quoque futurus sum) summis viribus prohibuituros se esse recipiunt.

In folio separato: Regi Poloniae, 7 Septembris.

1) *Ferdinandus I.*

3) *Ericus XIV.*

2) *Fridericus II.*

4) *Ioannes IV Basilides.*

N. 5619.

S.l., 7.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Thomam Cossium (Koss), cui ratione quorundam debitorum negotium cum

Sigismundo Wolski et quibusdam Iudaeis intercedit, iterum commendat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5620.

S.l., 7.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski et, mutatis mutandis, Ioanni Dulski

negotium subditi sui Thomae Cossii (Koss) iterum commendat et rogat, ut

eiusdem plenipotentis, Sebastiano Ciechański, consilio et opera praesto sit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5621.

E Regio Monte, 7.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

pro studio et diligentia in negotio de controversis finibus promovendo adhibita gratias agit idemque negotium iterum commendat; pro promissis 600 ovibus tanta gratiarum actione opus non fuisse scribit.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1896.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5622.

S.l., 7.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł «Nigro» et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz, Ioanni Szymkowicz, Ioanni Hajko, Ioanni Chodkiewicz, Iaroslao Matthaeidi duci Rapaloviensi

negotium Thomae Koss iterum commendat.

(Schedula in litteris ad E. Wołłowicz: rogat, ut pecuniam, quam Iudaei Cossio numeraturi sunt, ad manus suas recipere velit («ut inde nostram quoque partem, quam Cossius nobis debet, acquiramus»).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5623.

S.l., 9.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

significat iucundum sibi cognitum fuisse, ei studium suum in perscribendis iis, quae de Erico duce Brunsvicensi narrantur, non displicere, et iterum, eo ita postulante, de re tota consilium suum perscribit.

Cfr. El. XXXII, NN. 905, 912.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Perlatae ad me sunt S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, 3 Septembris Vilnae scriptae. Ex quibus iucundum mihi fuit cognitu, quod S. Regia Vestra Maiestas quaecunque studium meum in perscribendis de Duce Erico iis, quae fama communi narrantur, gratum habet. Etsi autem ternis iam literis meis, quas nunc in manibus S. Regiae Vestrae Maiestatis esse existimo, consilium de copiis Ducis Erici ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi, ut quid fieri illa velit, singulis momentis doceri expectem, tamen cum de re tota consilium meum S. Regia Vestra Maiestas requirat, videlicet an universa

Regni militia in expeditionem evocanda sit, etsi restium literae decretae fuerint, an ipsa S. Regia Vestra Maiestas propria in persona quoque bello interesse debeat.

Quod ad primum caput attinet, non puto necessarium esse universam Regni militiam ad propulsanda decem haec Ducis Erici millia in expeditionem ducere, sed sufficere, si aliquot equitum millia, quae viciniora sunt terris Prussiae, quam primum accelerarent Ducisque Erici propositum frangerent, ne aut Vistulam transmittere, aut in Sueciam navigare posset. Quod ad personam S. Regiae Vestrae Maiestatis attinet, non arbitror esse necesse, ut ipsa ei bello intersit, siquidem ipse Dux Ericus neque hostem ad me se declarat, neque etiamsi quid hostile tentaturus esset, tantis copiis instructus est, ut propterea vel universa Regni militia in expeditionem evocata, vel praesentia S. Regiae Vestrae Maiestatis opus sit. Hoc tamen non dissuaderem, ut universi Regni incolae ad arma capessenda, si necessitas id exigat, et plures forte militum copiae vel ex Austria vel aliis locis ex improvise irrumperent seque Duci Erico coniungerent, praemoneantur, ut ita ad Suecos quoque impetus sustinendos S. Regia Vestra Maiestas sit parata.

Scripsi quoque heri ad S. Regiam Vestram Maiestatem, visas esse aliquot naves non procul a portu Gedanensi, quas Dux Ericus consensurus fortassis esset.

Hodie Gedano ad me perscribitur mercatorem quendam ex Suecia Gedanum venisse, qui dicat, quod singulis momentis Ducis Erici copiae in Suecia expectentur. Quam ob rem pernecessarium esset quam celeriter contendere, ut Dux Ericus conducatur, aut exercitus illius dissipetur. Ubi enim in Sueciam ei navigare permissum fuerit, metuendum est, ne Suecus¹⁾ et Daniae Regem²⁾ profliget et terras quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis, magno cum Livoniae periculo, invadat. Quam autem durum et grave S. Regiae Vestrae Maiestati futurum esset, si cum Moscho³⁾ et Sueco belli aleam experiri uno fortassis eodemque tempore cogeretur, ipsa prudentius me intelligit. Idcirco fideliter suadeo, ut si ipsa uti Ducis Erici exercitu non vult, quam primum aliquot millia in procinctu esse et Gedanum properare iubeat.

Quod vero S. Regia Vestra Maiestas miratur, neque se neque me a tot in Germania necessariis Principibus de conatibus eiusdem Ducis praemonitum esse, non equidem eo usque adeo Principes eos accusandos esse censeo, quandoquidem idem Dux eo praetextu per eorum ditiones transitum sibi dari petiit, quod dixerit se esse servitorem S. Regiae Vestrae Maiestatis, hasque copias se illi adducere contra Moschum. His verbis boni Principes fidem indubiam tribuentes, omnino sic se rem habere arbitrati sunt, neque fucum sibi fieri persuasum habuere. Cum autem S. Regia Vestra Maiestas ex proximioribus meis literis intellexerit, eundem Ducem omnino transitum per civitatem Gedanensem sibi dari et commeatus copiam subvehi suo militi postulasse, alioqui si hoc factum non fuerit, neque ipse cum milite suo propria viscera vorare posset, excusatum se fore, si rapinis et direptionibus miles in subditos Gedanenses grassaturus esset, clementer itaque S. Regia Vestra Maiestas certo et determinate concludat, an Ducis Erici opera uti velit. Quod si uti ea noluerit, de subsidiariis ex Polonia copiis mittendis quam primum cogitet, ut et navigatio in Sueciam et hostilis depraedatio eidem Duci prohibeatur. Ego cum S. Regiae Vestrae Maiestatis terrarum subditis interea summis viribus annitar, ut a Vistulae traiectu arceatur, neque quicquam eorum in me passurus sum desiderari, quae facere et praestare vasallum Principem convenit. Petoque enixe, ut ad singulas literas meas S. Regia Vestra Maiestas per equos dispositos celeriter respondere dignetur. Ego ita,

ut postulat S. Regia Vestra Maiestas, quae quovis tempore gesta fuerint et gerantur, perscribere ad illam non negligam. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem etc.

Relatio Cancellarii⁴⁾ et Burggravii⁵⁾

In folio separato: Regi Poloniae, 9 Septembris.

1) Ericus XIV.

2) Fridericus II.

3) Ioannes IV Basilides.

4) Ioannes a Kreitzen.

5) Christophorus a Kreitzen.

N. 5624.

Preussisch Mark, 11.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de Erico duce Brunsvicensi graviter conquerente se magnos sumptus in exercitum, pro commodo regis Poloniae nullo hostili animo in has terras introductum, frustra fecisse nuntiat et hortatur eum, ut se regem benignum et clementem ipsi exhibeat damnorumque recompensationem aliquam concedat.

Cfr. El. XXXII, N. 912.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Celare S. Regiam Vestram Maiestatem non possum, Illustrem Dominum Ericum Ducem Brunsvicensem suis ad me literis graviter conquestum esse, quod Illustritas Sua magnis sumptibus exercitum suum pro commodo et emolumento S. Regiae Vestrae Maiestatis in has terras longinquo itinere introduxisset non hostili animo, sed quod S. Regiae Vestrae Maiestati operam suam contra quosvis S. Regiae Vestrae Maiestatis hostes fideliter addicere percupida esset, quemadmodum S. Regia Vestra Maiestas ex Suae Illustritatis tam ad me, quam dignitarios S. Regiae Vestrae Maiestatis terrarum Prussiae perscriptis, atque aliorum etiam hisce adiunctis, literarum exemplis clementer intellectura est. Quia vero summa totius negotii haec est, quod Sua Illustritas, ubi a S. Regia Vestra Maiestate conducta non fuerit, exercitum suum in Germaniam reducere constituit, petitque impensas, pro honore S. Regiae Vestrae Maiestatis atque commodo terrarum illius factas, honorario sibi aliquo sarciri seque eo ornari, submisce maioremque in modum oro, ut S. Regia Vestra Maiestas rationibus Suae Illustritatis secum deliberatis, proque affinitate et arcta necessitudine munificentiam erga ipsum suam claudi ne patiat, seque erga Illustritatem Suam ex singulari benevolentia, et non iure aliquo adducta, in eo Regem et Dominum consanguineum praebeat, ut pro hoc ardenti in S. Regiam Vestram Maiestatem amore et inserviendi studio Illustritas Sua qualicumque saltem sumptuum refusione gratiam et liberalitatem S. Regiae Vestrae Maiestatis apud omnes Germaniae Principes depraedicare possit. Si vero hoc S. Regiae Vestrae Maiestati integrum non est, dignetur ad extremum saltem Suam Illustritatem duobus aut tribus thalerorum millibus in aliquot annos conducere. Non enim est, quod S. Regia Vestra Maiestas tanti illud aestimet, fore hoc contra S. Regiae Vestrae

Maiestatis dignitatem, aut quod metu quasi hoc fecisset. Facile enim in promptu esse rationes possunt, quibus caveri et dilui illud punctum potest. In eum enim finem ista omnia sunt dirigenda, ut S. Regia Vestra Maiestas Principem hunc in quemvis eventum sibi devinciat, neque turpem prorsus repulsam pati eum sinat, habeatque amicum potius quam inimicum perpetuum, etiamsi nunquam illius opera utatur.

Brevibus haec scribo, S. Regiae Vestrae Maiestatis autem erit ex iis literis, quarum exempla mitto, quid illi videatur magis expedire, clementer deliberare et constituere. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu servet incolumem. Datae raptim etc. auf Preuschmargk den 11 Septembris.

In folio separato: Regi Poloniae, 11 Septembris.

N. 5625.

S.l., 13.IX.1563.

*Alberti ducis in Prussia consilarii et vices gerentes
Petri Myszkowski, R.P. vicecancellarii, locumtenenti
ex mandato principis sui 600 oves, a duce Alberto Petro Myszkowski promissas,
una cum opilione eidem vicecancellario tradendas mittunt.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5626.

In Mariana Insula, 15.IX.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
Venceslaum Schack, consiliarium suum, in negotio Christophori ducis Megapolensis regi quaedam relaturum, mittit et rogat, ut eum benigne audiat et nomine suo dicenti fidem habeat.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5627.

In Mariana Insula, 15.IX.1563.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwiłł «Nigro», palatino Trocensi [Nicolao Radziwiłł «Rufo»], Eustachio Wollowicz
litterae fidei pro consiliario suo, Venceslao Schack.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5628.

S.l., 16.IX.1563.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
de desiderio suo reginam in persona videndi et alloquendi praeterita aestate non
satisfacto et nunc etiam Erici ducis Brunsvicensis consilio cum equitibus
et peditibus in terras Prussiae ingrediendi impedito; 4 dolia vini Rhenensis
et 1 tunnam butyri dono mittit.*

(Germanice)

Cf. El. XXXII, N. 918.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5629.

In Mariana Insula, 17.IX.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
in negotio Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, amicabiliter
et ex regis dignitate componendo, una cum Ioanne Alberto duce Megapolensi
mediatorem se offert et categoricam regii animi in hac re sententiam exspec-
tat.*

Cfr. El. XXXII, N. 917.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem clementer adhuc meminisse eorum, quae die 13 Augusti mensis praeteriti de Illustri Principe, Domino Christophoro Duce Megapolensi, ad illam perscripsi, videlicet ut S. Regia Vestra Maiestas, pro innata sua clementia et lenitate, amicabilibus potius tractatibus negotium Ducis Christophori, quam graviore aliqua vindicta, prosequeretur, ita sane, ut si S. Regia Vestra Maiestas tractatibus locum facere non abnueret, meque cum Illustri Domino Ioanne Alberto, Duce Megapolensi, mediatorem eo in negotio ferre posset, daturos esse nos operam, ut Dux Christophorus in viam rectiorem a nobis reductus, non modo cum dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis eidem reconciliaretur, verum etiam voluntati illius per omnia subscriberet, quemadmodum prolixius in literis superioribus de his scripsi.

Quia vero libenter adhuc ea in re, sicut aliis in omnibus, de inclita Megapolensi familia ita bene mereri vellem, ut cum dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis vinculum arctae illius necessitudinis inter S. Regiam Vestram Maiestatem et familiam eam magis magisque confirmetur, idcirco officiosissime peto, ut me S. Regia Vestra Maiestas clementer doceat, an partes mediatoris me cum Duce Ioanne Alberto in hoc negotio obire integrum ei sit. Qua de re ut primum S. Regia Vestra Maiestas certam et categoricam animi sui sententiam ad me perscripserit, nihil eorum praetermissurus

sum, quae ex dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis esse et ad perpetuam amicitiae coniunctionem stabiliendam expedire iudicavero. Datae ut in literis.

In folio separato: Ad Regem Poloniae, 17 Septembris in Mariana Insula.

N. 5630.

In Mariana Insula, 18.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro sollicitudine et dolore reginae ob Erii ducis Brunsvicensis expeditionem
gratias agit; de eiusdem ducis Erii cum exercitu suo per Megapoliam,
Marchiam et Pomeraniam in terras Prussiae adventu accuratius narrat;
nuntiat imperatorem legatos suos ad ducem Ericum in Pomeraniam
misisse.*

Cfr. El. XLIII, N. 251.

Ostpr. Fol., vol. 46.

An Gabriel Terla, den 18 Septembris anno 63. Datirt Marienwerder.

Wir haben eur schreiben, zu Radom den 15 dieses scheinenden monats datirt, entpfangen und daraus allen inhalt, sonderlichen aber der ko.mt. zu Polann etc., unser freundtlichen lieben muhmen und g. frauen¹⁾, hohes gnediges, sowol auch eur dinstliches mitleiden, so ir ko.mt. etc. und ir auch erlangten zeitungen mit uns wegen des unvorsehenen uberzugks halben hertzogk Erichen²⁾ getragen, und wess ire ko.mt. neben euch disfals zu berichten begeret und bittet, verstanden. Nun thun wir uns erstlich gegen hohermelter ko.mt., unser freundtlichen lieben muhmen und gnedigen frauen, des hohen g. ko. sorgens und mitleidens dinst- und freuntlich, das ir irer ko.mt. unserntwegen, darumb wir an euch gnedigst sinnen, neben erbittung unser underthenigen dinst und geburlichen dinstlichen begrussung vermelden wollet, fur das eurige aber gnedigst danckbar. Und mogen euch darauf, wie es mit hertzogk Erichen zugk, welchen s.l. so unvorsehentlicher weise in diese lande gethan, eine gelegenheit und gestalt hat, kurtzlich nicht bergen. Nemlich s.l. ist mit irem krigsvolck in diesem schein, als hetten sie ko.mt. zu Polann, unsers gnedigsten hern und freundtlichen lieben ohmen, bestallung, durch Meckelburgk, die Marckt und Pommern gezogen und von dem nechstvorflossenen freitage 8 tage, welchs 10 Septembris gewest, mit einem ansehentlichen haufen und, wie wir vorstendigt, 8000 zu fuss und 600 zu ross wol gerust, sampt 9 stucklein feltgeschutze in die lande Preussen ankommen, erstlichen sich in die Olive, volgents aber ufm Hagelsbergk³⁾ vor die konigliche stadt Dantzke gelagert, wie sich nun zu seiner l. ankunft die von Dantzke (in anmerckung, sinthema sie von ko.mt. hohermelt, unserm gnedigen hern, wegen des durch gestadtens keinen befeflich gehabt, und wie s.l. furgeben, das sie neben irem krigsvolck konigliche bestallung hetten, desselben keine wissenschaft getragen) etwas ernstlicher erzeiget, seint s.l. neben irem haufen uffgebrochen und stracks uff Dirschaw⁴⁾ gezogen, dardurch besorglich gewest, s.l. mochte, wie sie dann den pass begeret, mit gewalt uber

die Weisel trachten. Ob nun wol solche unvorsiehtlichen überzugk und durch gemeine reden und zeitungen, so von allerlei heimlichen und seltsamen practicen gegangen, die gemein sich etwas entsetzt, haben wir doch nichtsdestoweniger, soviel menschlich und uns möglich gewest, unser sach in acht gehalten, unser landtsassen zusammen verschriben und an die geferlichsten orther verordnet, wie wir dann noch in zimlicher anzahl zu ross und zu fuss alhie an der Weissel gen Neuburgk⁵⁾ und der Meve⁶⁾ über ein lager halten lassen. Als aber nun hochermelter hertzogk Erich vormerckt, das seiner l. der pass nicht gestadtet und das die ko.mt. dieselbe mit irem krigsvolck nicht in bestallung nehmen wollen, haben s.l. durch ire vernembste krigsrethe bey denen zu Dantzke soviel durch groste bitte erhalten und erlanget, das letztlich ein rath ermelter stadt s.l. auf mannigfaltiges ansuchen und bitten 12000 thaler gegen einer schweren harten verschreibung im nahmen aller lande Preussen gutwillig umb geburende verzinssung pro cento 7 bis auf negst konftige Ostern dargeliehen, davor sich dann s.l. neben derselben krigsrethen, das sie gegen empfangung ernenter summa sampt dem gantzen haufen balde die lande Preussen reumen, sich von dannen begeben, oder aber ir volck laufen, sich auch wider die ko.mt. zu Polann und die lande Preussen nicht gebrauchen lassen wolten, hart und stadtlichen obligiren müssen.

Darauf dann auch soviel gefolget, das s.l. den verschinen 16 Septembris, wie wir berichtet, zu Conitz⁷⁾, diese vergangene nacht aber zu Landeck⁸⁾ gelegen sein sollen. Wo aber s.l. ferner hinaus wollen und was derselben forhaben und thun sein magk, ist uns unbewust. Nachdem auch s.l. durch den herren marienburgischen woiwoden⁹⁾ und dantzker castellan¹⁰⁾ neulicher tage in irem abzuge bei uns, das wir dieselbe in itzigen iren nothen nicht verlassen, sonder dahin befurdern und rathen wolten, wie s.l. etwas ergetzung fur iren schaden und unkosten erlangen mochten, ersuchen und bitten lassen, neben dem furwenden und hohem beteuren, das solcher s.l. gethaner zugk in diese lande anderst nicht, dann treuhertziger weise ohne alle bose pracktiken oder geferlichkeit, und allein dergestalt, das sie sich zu mehr hochgedachter ko.mt. zu Polann wider den feindt, den Muscowitter, in bestallung zu begeben bedacht gewest, gemeint. So haben wir uns doch hie itziger gelegenheit nach in nichts ohne der ko.mt., unser gnedigsten herren, vorwissen einlassen können, besonder s.l. weisslich und freundlich gerathen, das sie sich der gethanen obligation gemess vorhalten und mit irem krigsvolck ins erst aus dem lande begeben solten. Konten wir alsdann neben andern herren seiner l. zum besten etwas bei der ko.mt. zu linderung erlittenes schadens erhalten oder befordern helfen, wolten wir dasselbe als der vetter und schwager gerne thun.

Und haben s.l. sonst unsers wissens nichts feintliches furgenohmmen, auch mit irem krigsvolck in dem abzugk über den gemeinen brauch nicht sonderlichen grossen schaden gethan.

Hirneben können wir euch ungemeldet nicht lassen, das wir gestriges tages glaubhaftige zeitung bekommen, wie die ro.key.mt.¹¹⁾ ire gesandten dem hertzogk Erichen, do s.l. in anzugk alher gewest, bis ins landt zu Pomern nachgesendet und s.l., im fahl dieselbe mit irem krigsvolck nicht in gewisser bestallunge und einem christlichen potentaten verwant weren, die acht und execution derselben anzukunden etc., die gesandten aber hetten von s.l. die andtwort erlanget, daraus soviel vormercket, die key.mt. keinen gefallen oder gnugen tragen wurden. Wess nun hiraus volgen und wir s.l. wider das krigsvolck losswerden, durchs Reich und zu ruhe kommen wirt, gibet die zeit.

Weil wir dann die ko.mt. hochermelt, unsere gnedige fraw, mit ubrigen schreiben und lesen nicht gerne beschweren, als begeren wir gnedigst, ir wollet irer ko.mt. solchs alles geburlichen in underthenigkeit ufs kurtzt unserntwegen zu vormelden unbeschwert sein. Das seint etc.

Commissio Principis^{a)}
[ex] relatione F[riderici] a Kanitz
Princeps und Achatius a Zemen audi-
verunt legere

L. Gogitz maior

a) in ms. Princeps.

1) Catharina.

2) Ericus dux Brunsvicensis.

3) Polonica: Jagiellowa Góra.

4) Tczew.

5) Nowe.

6) Gniew.

7) Chojnice.

8) Łądek.

9) Achatius Czema.

10) Ioannes Kostka.

11) Ferdinandus I.

N. 5631.

In Mariana Insula, 26.IX.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

triste nuntium de Ioanne duce Finlandiae, a fratre, rege Suecorum, in captivitate abducto, refert et rationes ac vias eiusdem ducis ex captivitate liberandi regi suggerit.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Etsi Deo Optimo Maximo sic volente ita nunc temporis mecum comparatum est, ut posthabitis huius mundi negotiis omnes cogitationes meas eo tantum debebam dirigere, quomodo rebus ad animae meae salutem pertinentibus rite constitutis ex hac miseriarum valle ad caelestem aeternamque omnium beatorum consuetudinem mihi emigrandum esset, tamen fides et amor singularis erga S. Regiam Maiestatem Vestram eiusdemque Serenissimam familiam meus, etiam eo nunc quidem res S. Regiae Vestrae Maiestatis Serenissimaeque familiae eius mihi non esse curae patiuntur. Quam ob rem cum de Illustrissimo Finlandiae Principe¹⁾, affine et fratre meo charissimo, a fratre Rege Suecorum²⁾ in captivitatem (proh dolor) ita, ut trucidetur, abducto ad me perferretur, ad istud tam triste nuntium totus exhorruui nec potui, quantumvis aeger et languidus, ad S. Regiam Vestram Maiestatem ista non celerrime perscribere, quo S. Regia Vestra Maiestas de liberando sororio suo quam primum cogitaret, Serenissimaeque sororis suae³⁾ (quae an simul cum inclyto coniuge abducta sit nec-ne, non quidem audiui) rationem maxime haberet. Mihi certe iste utriusque casus cognitu fuit acerbissimus, atque si quid unquam S. Regiae Vestrae Maiestati pro ingenii mei tenuitate dextere feliciterque consului, nunc quidem id me posse praestare percuperem. Aperiam itaque paucis (salvo S. Regiae Vestrae Maiestatis eiusdemque consiliariorum iudicio), quam ego hanc rem aggrendi viam esse putem.

Expedire mihi videtur, ut S. Regia Vestra Maiestas subito internuntios suos ad Serenissimum Daniae Regem⁴⁾ ableget, eosque ad hunc, si videbitur, modum instruat. Primum, ut internuntii salute dicta ac praemissis praemit-

tendis, verbis S. Regiae Vestrae Maiestatis Serenitati eius de parta adversus Suecum victoria deque expugnata civitate et arce Heuloson aliisque in Suecia munitionibus gratularentur et eam Serenitatis illius fortunam constantem ac stabilem esse precarentur. His subiungi posset narratio, quo pacto S. Regia Vestra Maiestas certior facta esset Suecorum Regem, devicta Finlandia, Illustrissimum Finlandiae Ducem, fratrem suum, S. vero Regiae Vestrae Maiestatis sororium, captum in Sueciam abduxisse atque, ut fama ferat, in animo (quae sua est crudelitas) habere Illustritatem eius interneccioni dare. Quae res, praeterquam quod ab ipsa natura abhorreat, vel ideo S. Regiam Maiestatem Vestram vehementissime afficeret, quod S. Regia Vestra Maiestas Serenissimam sororem suam, cuius fortunam S. Regia Vestra Maiestas non immerito suam esse statueret, Illustritati eius in matrimonium anno superiore tradidisset. S. itaque Regiae Vestrae Maiestati diu multumque cogitanti, qua ratione capto affini suo opitulari atque Illustritatem eius ab exilio, quod ei imminere diceretur, liberare posset, nullam aliam viam in mentem venisse, quam ut S. Regia Vestra Maiestas ad Serenitatem eius confugeret et auxilium ipsius hanc ad rem expeteret. Audivisse enim S. Regiam Vestram Maiestatem, Serenitatem eius, divina aspirante gratia, Ducem Magnum, alterum Regis Suecorum fratrem, cum aliis quibusdam (quam quidem felicitatem S. Regia Vestra Maiestas Serenitati eius ex animo gratularetur) in captivitatem accepisse, ideoque S. Regiam Vestram Maiestatem putare id hoc modo tentari posse, si Serenitas eius ad Regem Suecorum serio scripsisset atque ab eo postulasset, ne quam crudelitatem in captum Finlandiae Ducem exerceret, sed fraternitatis memor Illustritatem eius vicissim dimitteret eique Ducatu et dominiis suis, ut ante, libere frui concederet. Quod si facere gravaretur, Serenitatem Suam eodem in fratrem Magnum et alios quoque, quos Serenitas Sua in custodia haberet, animo fore, quo Suecorum Rex erga Ducem Finlandiae futurus esset.

Verum hic se aliqua offert difficultas, quod Serenissimus Daniae Rex Illustrissimo Finlandiae Duci, propterea forte quod aliquando amicitiam non satis coluit, sit offensior atque ideo patrocinium eiusdem haud facile suscepturus. Erunt itaque huc omnia argumenta prudenter dirigenda, ut legati persuadeant, Illustritatem eius non proprio motu vel impetu, aut odio quodam adversus Serenitatem eius, sed a parente iussam et persuasam, cui quidem hac in parte imprudenter obtemperaverit, quicquid eius factum esset, fecisse. Eritque danda opera, quomodo omnis culpa a filio in patrem transferatur. Quod si haec parum deberent proficere, legati Serenitatem eius ad extremum per recens cum S. Regia Maiestate Vestra initam amicitiam, ut vel Serenissimae sororis saltem S. Regiae Maiestatis Vestrae in eo rationem maxime habere velit, obtestabuntur.

Verum haec omnia S. Regia Vestra Maiestas cum prudentissimis consiliariis suis, pro ingenii sui, quo divinitus valde excellenti ornata est, dexteritate, rectius invenerit. Ego quidem, quamvis (ut in initio harum memini) eae me cogitationes nunc potissimum occupatum tenent, quo pacto ex hac misera et calamitosa vita ad gloriosam illam et aeternam vitam, de qua sacrae literae passim nobis concionantur, excedam, pro summo meo in S. Regiam Vestram Maiestatem eiusdemque totam regiam familiam amore atque fide, hoc quaecunque meum consilium communicare volui, utque adeo S. Regia Vestra Maiestas intelligat me nihil, quod quoquo modo ex usu S. Regiae Vestrae Maiestatis eiusdemque inclytae familiae futurum esse videretur, praetermittere, scripsi eodem in negotio meo quoque nomine ad Serenissimum Daniae Regem, ac si quid amplius etiam praestare posthac potero, facturum id sum ad extremum vitae meae halitum libentissime. Quod super-

est, S. Regiam Maiestatem Vestram eidem Deo, in cuius manus spiritum meum, quam primum ab hoc mortali corpore secesserit, singulis momentis commendo, in annos complures salvam, felicem ac florentem conservandam fideliter committo. Datae ex Insula Mariana, XXVI Septembris anno etc. LXIII.

Ex commissione aegrotantis Principis
propria
Principi, praesente Marschalco et
Secretario, placuit.

In folio separato: Regi Poloniae etc., 26 Septembris anno etc. 63.

- 1) Ioannes.
- 2) Ericus XIV.

- 3) Catharina.
- 4) Fridericus II.

N. 5632.

In Mariana Insula, 28.IX.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
restitutionem pecuniae summae, quam ante paucos menses «ad numeranda
Veierano militi stipendia» regi mutuo se dedisse scribit, a palatino Marien-
burgensi [Achatio Czema] cautione ea de re data, sollicitat.
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1186.*

N. 5633.

E Regio Monte, 4.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
«Matthiae Schwetlitzki, praefecto in Regrodt» [Rajgród]
pro subditis suis, incolis districtus Liccensis, conquerentibus, magnum illis
«occasione cuiusdam molendini per inusitatum inundationem aquarum
in pratis et agris ipsorum» damnum illatum esse et adhuc inferri, intercedit
et rogat, ut vel eiusmodi molendinum prorsus destruat, vel aggeres solito
altiores in ripa lacus exstructos moderetur.
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1186.*

N. 5634.

S.l., 5.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
de regum Daniae et Sueciae legatorum Rostochium ad tractatus pacis adventu
nuntiat et suadet, ut rex cum legatis Danicis agi curet, ut et ipse cum toto
Regno suo in eiusmodi tractatibus comprehendatur et dissensio inter se et*

regem Sueciae tollatur, quo Mosco tanto facilius resisti possit; narrat, quid ipse in hoc negotio cum Augusto electore Saxoniae egerit.

(Schedula I: de Erixi ducis Brunsvicensis exercitu a Vistula iam remoto nuntiat; de lenitate erga coadiutorem Rigensem adhibita gaudet; intercedit pro Caspare Benkendorf, subditi regii occisore. Schedula II: de Erico duce Brunsvicensi eiusque itineribus. Schedula III: de Ioanne duce Finlandiae ex captivitate eliberando).

Cfr. El. XXXII, N. 920.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

S. Maiestatem Vestram Regiam subdite celare non possum, perscriptum ad me esse legatos Daniae et Sueciae Regum¹⁾ Rostochium iam ad suscipiendos pacis tractatus pervenisse. Quia vero in confoederatione ea, quam S. Regia Vestra Maiestas cum Serenissimo Daniae Rege constituit, cautum est, ut si res ad pacis conditiones deveniret, rationem quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis tum habendam esse. Idcirco consultum mihi videtur, ut S. Regia Vestra Maiestas cum legatis Danicis agi curet, ut et ipsa, iuxta initam belli societatem, cum toto suo Regno, terrisque et dominiis suis omnibus in iis tractatibus comprehendatur, utque eo S. Regia Vestra Maiestas modo omni periculo eximatur, sed cum aliis S. Regiae Vestrae Maiestatis dominiis terrarum quoque Prussiae saluti et securitati nominatim et in specie rectissimeque consulatur.

Quod cum ex commodo S. Regiae Vestrae Maiestatis futurum esse videatur, percupere sane primo quoque tempore aequis conditionibus offensio-nem eam, quae S. Regiae Vestrae Maiestati cum Sueco intercedit, e medio tolli, ut S. Regia Vestra Maiestas viribus suis omnibus et integris immanissimum hostem Moschum aggredi atque, divina favente clementia, tanto felicius ipsi resistere possit. Itaque ad componendum Suedicum illud dissidium facere non potui, quin ad Illustrem Principem Dominum Augustum, Electorem Saxoniae, literas de mense Septembri darem amanterque Suam Illustritatem rogatam haberem, ut si res ad pacis constitutionem inter Daniae et Sueciae Regem deveniret, Sua Illustritas cum collegis suis operam daret, ut non modo transactionis Suedicae S. Regia quoque Vestra Maiestas particeps vocaretur, sed tota ea dissensio, quam S. Regia Vestra Maiestas cum Sueco habet, prorsus componeretur, deque mittendis ad eos tractatus internuntiis S. Regiam Vestram Maiestatem ipsi transactores invitarent.

Ad has literas Sua Illustritas sic respondit, quod non gravatim rem hanc curare et promovere parata esset, submoniturumque se collegas suos, ut studium amicabile compositionis S. Regiae Vestrae Maiestati et Regi Sueciae offerrent, utque et S. Regia Vestra Maiestas et Sueciae Rex tractatus eiusmodi non abnueret, hortarentur. Cupit autem Sua Illustritas, ut apud Illustrem Dominum Ioachimum Electorem Brandenburgensem et Dominum Henricum Ducem Brunsvicensem, inprimis autem apud S. Regiam Vestram Maiestatem, negotium hoc pacificationis ego quoque curem, viamque quasi ad rem bene conficiendam sternam. Idcirco ad praedictos Principes literas dedi negotiumque hoc totum de meliori nota illis commendavi, utque se mediatores ultro et S. Regiae Vestrae Maiestati et Sueciae Regi ad transactionem amicabilem offerrent, petii. Quod facturos esse illos per suos, quos Rostochii habent, delegatos plenipotentes minime dubito. Speroque ea in re contra S. Regiam Vestram Maiestatem a me minime peccatum esse, quod

inconsulta S. Regia Vestra Maiestate ista scripsi. Bono enim et fideli animo illud a me factum est, cum libenter S. Regiam Vestram Maiestatem molestia ista Suedica exemptam velim. Haec autem ideo S. Regiae Vestrae Maiestati indicanda esse duxi, ut si delegati commissarii S. Regiam Vestram Maiestatem ad pacis tractatus suscipiendos sollicitarent, ipsa a me actorum non esset nescia.

Interim vero S. Regia Vestra Maiestas de pacis inter se et Suecorum Regem constituendae conditionibus, quas initura sit, mature cogitet et constituat, atque internuntium aliquem Germanicae linguae bene peritum eam ad rem deligat eundemque temporius de toto negotio instruat, singulisque momentis profectioni accinctum esse mandet, ut quacunque hora iter ingredi iussus fuerit, paratus sit, ne quid per moram interiectam negligatur, aut adventus illius senior molestiam aliquam commissariis pariat. Ego quid, pro mea tenuitate, ad eam rem promovendam praestare potero, facturus sum non libentissime solum, verum etiam diligentissime. Quod reliquum est, S. Regiam Vestram Maiestatem diu feliciterque regnare exopto. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae etc., 5 Octobris anno 63.

1) *Fridericus II et Ericus XIV.*

Schedula I:

In harum consignatione afferuntur ad me S. Regiae Vestrae Maiestatis literae, 29 Septembris Vilnae scriptae. Ex quibus S. Regiae Vestrae Maiestatis vere regiam sollicitudinem et vigilantiam de terris hisce susceptam, deque reprimendo Ducis Erici exercitu curam et providentiam illius singularem abunde perspexi. Quae omnia ut S. Regia Vestra Maiestas iam pridem plurimis contestata est argumentis, ita laude dignissima sunt. Quodque mearum est partium, non modo maximi illa facio, sed reverenter quoque amplector, perque omnem occasionem demereri hanc S. Regiae Vestrae Maiestatis clementiam grati animi obsequiis studebo.

Quod vero ad exercitum Ducis Erici attinet, non dubito, ex proximioribus literis meis S. Regiam Vestram Maiestatem cognovisse remotum iam esse illum ab Istula. Qua autem via Germaniam versus ductus sit, ex scheda hisce adiecta S. Regia Vestra Maiestas intelligere dignabitur, ut molestia hac bellica exemptas esse Prussiae terras sperem. Faxit autem Deus, ut et pace et tranquillitate non tam ipsae in posterum, quam omnes S. Regiae Vestrae Maiestatis Regni dominiorumque ditiones, perpetuo perfruantur.

Humanitate et lenitate S. Regiam Vestram Maiestatem iniurias, ab Illustri Domino Duce Christophoro ei illatas, ulcisci, eo mihi fuit auditu iucundius, quo maiore conatu in hoc S. Regiam Vestram Maiestatem magnorum Imperatorum et Principum ex innata divi parentis sui mansuetudine sequi exempla patet. Quoque excelsior est S. Regia Vestra Maiestas ipso Duce Christophoro, eo magis iuvenile illius commissum heroica hac lenitate S. Regiam Vestram Maiestatem prosequi omnes magnopere depraedicabunt. Ego sane non tam eo nomine, quam quod me amicabilem etiam cum Domino Ioanne Alberto Duce Megapolensi compositoris partes agere patitur, summas S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago. Dedique hac ipsa hora ad eundem Dominum Ducem Megapolensem literas, ut citis itineribus suos commissarios huc ableget, qui cum meis Vilnam se conferant remque omnem ex dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis agant constituentque.

Ceterum, Serenissime Rex, triste ad me nuntium perlatum est, Nobilem Casparum Benkendorf, servitorem Domini Ducis Christophori, inter pocula

subditum S. Regiae Vestrae Maiestatis, Wunschowitz¹⁾, pugione perfodisse, ita ut vitam cum morte commutarit. Etsi autem talia exempla non sunt probanda, tamen cum in hac naturae humanae depravatione, impellente malo spiritu, eiusmodi casus fortuiti non raro accidunt, ipseque Caspar Benkendorf vitam semper inculpatam atque a dissidiis, contentionibus et controversiarum seminariis prorsus alienam toto aetatis suae curriculo egisse dicatur, beneque de Livoniae terris meritis sit, rogatam S. Regiam Vestram Maiestatem habeo, ut intercessoriis hisce meis precibus adducta, factum illius regia clementia et misericordia vindicet vitae eum donet, praesertim cum eiusmodi in casibus circumstantiae rei et personarum magistratui permittant nonnunquam de rigore iuris aliquid remittere, neque semper summo aut stricto uti iure iudicem velint. Idcirco maiorem in modum peto, ut S. Regia Vestra Maiestas mitius quoque cum hoc Casparo, homine bene merito et eiusmodi delictis aut detestandis vitiis antea nunquam polluto, agi iubeat. Factura mihi rem et gratam et quovis obsequio demerendam. Ipsum vero Casparum perpetuis vitae suae temporibus ad grata obsequia mancipabit. Datum ut in literis.

In folio separato: Cedula in literis Regis Poloniae, 5 Octobris.

1) Wąsowicz.

Schedula II:

De Duce Erico a consiliario et cubiculario meo Friderico a Canitz, quem S. Regiae Vestrae Maiestatis ad Ducem Ericum legato adiunxi, ex Stetino, Pomeraniae oppido, haec ad me perscribuntur. Quod Dux Ericus adeo in suo ex his terris discessu properarit, ut ipsi adhuc Illustritatem eius assequi non potuerint. Item Illustrum Principem Iohannem, Marchionem Brandenburgensem, transitum Illustritati eius per territoria sua concedere nequitiam voluisse, neque terminos Ducatus ipsius Duci Erico attingere fuisse integrum. Illustres vero Pomeraniae Duces¹⁾ transire eum per ditiones suas esse passos. Militem ipsius festinando fere defessum et fame confectum esse. Tandem Illustritatem eius 27 die Septembris trans Oderam cum exercitu pervenisse, neque procul a Lignitz oppido abfuisse. Quodque Illustritas eius datis septem obsidibus clam inscioque milite promiserit, se exercitum suum quam primum dimissuram esse, partemque militum per Marchiam, partem per Megapoliam, partem per iuniorum Principum Pomeraniae ditiones transituram.

Quae posthac gerentur, S. Regia Vestra Maiestas haud dubie uberius ex legato suo, ubi is redierit, cognoscet. Itaque cum hoc tempore nihil periculi ab eo exercitu imminere his terris videatur, data equitibus et peditibus meis missione, in aulam consuetam me recepi, ita tamen, ut vigilantiam non prorsus deposuerim. Datum.

In folio separato: Cedula in literis Regis Poloniae.

1) Barnimus IX eiusque nepotes.

Schedula III:

Quod si rumor iste de capto Illustri Domino Finlandiae Duce, amico et fratre meo charissimo, eiusque Illustrissima consorte¹⁾, non falsus est (quem tamen ego falsum esse percuperem), rem S. Regia Vestra Maiestas valde necessariam factura videretur, si in eam sententiam, quemadmodum non ita pridem ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi, commissarios Dani-

cos eliberationis Illustritatum illarum patrociniū suscipere benigne roget. Idem quoque suo, quem ad tractatus pacificationis missura est, internuntio, referendi ad transactores in mandatis dandum esse censeo, ne Illustritates illarum ab ea transactione excludantur, sed aequis conditionibus omnes omnium dissensiones componantur complanenturque. Atque ita Illustris Dominus Finlandiae Dux cum Illustrissima coniuge sua captivitate ea, non tam molesta quam discriminis plena, eximatur salvusque ad suos redeat. Datum ut in literis.

In folio separato: Cedula in literis Regis Poloniae, 5 Octobris.

1) *Catharina Jagellonica.*

N. 5635.

S.l., 6.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

ad litteras regias, causam Nicolai Wieczwiński (vel Wietwiński) iterum sibi commendantes, in eum modum respondet, in quem iam 18.II. (cfr. N. 5502) responderat, scil. huius dilationis causam fuisse «quod [Wieczwiński] ius suum eo quo debuit ordine et processu non sit persecutus»; se quod tunc in ea causa promiserit, diligenter praestitisse nuntiat (scil. iudicio suo Hohensteinensi serio iniunxisse, ut dempta omni mora causa diiudicaretur).

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 914.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5636.

S.l., 9.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco,

rogat, ut subdito suo Georgio Glogau potestatem faciat duas lastas mellis («medonis, ut vulgo vocant») a cive Caunensi Luca Egperth in usum Ioannis Alberti ducis Megapolensis emendi et exportandi.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5637.

S.l., 11.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Martino Zborowski, castellano Cracoviensi,

refert de Demetrio Wiśniowiecki a Moldavis in captivitatem redacto, de palatino Moldaviae obsidione cincto et Turcarum imperatore, hac re cognita, id agente, «ut utrumque suae potestatis faciat»; de filia eius palatino Mol-

daviae desponsata gaudet; de captivitate Demetrii Wiśniowiecki et palatini obsidione dolet et magnum inde periculum (ob Turcae vicinitatem) regi exoriri posse praesagit; rogat, ut rationes ineat, quo despota obsidione, Wiśniowiecki vero captivitate quam primum eliberentur.

Cfr. El. XLI, N. 1903.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Renuntiatur nobis est paulo post contracta sponsalia inter Illustrem Principem Dominum Heraclidem Basilicum, Despotam Sami, Moldaviae Ducem, et inter filiam Magnificentiae Vestrae, fato quodam sinistro accidisce, quod cum Dominus Wislewetcki¹⁾ ius quoddam in Moldavia sibi vendicasset atque in captivitatem a Moldavis redactus esset, tum Illustrem Dominum Moldaviae Ducem obsidione cinctum esse, Turcarum autem Imperatorem²⁾, hac re cognita, callidis consiliis illud agere, ut utrumque suae potestatis faciat.

Quod ad nuntium de filia Magnificentiae Vestrae attinet, illud sane nos non parum exhilaravit fuitque nobis tam iucundum, ut quam iucundissimum. Pro nostro enim in Magnificentiam Vestram amore propensissimaque affectione ac vetere amicitia nostra, non modo laeta et fausta Magnificentiae Vestrae omnia obvenire cupimus, sed salutare incrementum illius eiusque familiae celeberrimae decus et ornamentum multa felicitate crescere atque exuberare toto candidoque optamus pectore, illudque seros in annos pullulare et multiplicando propagari a Domino Deo flagitamus.

Quod vero ad alterum nuntium attinet, illud sane ita animum nostrum ex laetitia prioris in maerorem et luctum convertit gravique dolore affecit, ut scripto testari hoc satis nequeamus, cum quod salutem Reipublicae Christianae magna ex parte periclitaturam inde esse metuendum sit, tum quod S. Regiae Maiestati Poloniae, Domino nostro clementissimo, Regnoque illius dominantis (quod Deus avertat) Turcae vicinitas istic locorum non usque adeo discrimine caritura videtur, Vestrae autem Magnificentiae animum non modo tristitia gravi et dolore propter filiae sortem angi facile iudicare possumus. Nos, etsi non his tantum nominibus, sed ratione multarum incommoditatum, quae ex obsidione Domini Despotae et captivitate Wisliwetzki (nisi divinitus res aliter ceciderit) emersurae sunt, communem nobis cum Republica Christiana et S. Regia Maiestate curam et sollicitudinem hanc facimus, tamen vicem quoque Magnificentiae Vestrae eiusque filiae ex intimis animi nostri penetralibus compatiendo dolenter ferimus nihilque magis optamus, quam falso illa ad nos perlata esse.

Quia vero pro singulari illa atque pervetere amicitia nostra, quomodo se res istae habeant certo cognoscere avemus, facere non potuimus, quin vel hoc solo nomine has ad Magnificentiam Vestram literas daremus. Quam amanter rogamus, ut de singulis ad nos diserte perscribat, ut secundis in successibus Magnificentiae Vestrae congaudere possimus, in tristibus autem (quae Deus Optimus Maximus in longa tempora alienissima ab illa esse faxit), lugentis cum illa partes obeamus. Animus quidem noster optima nobis praesagit, tamen si fallimur resque in tristi sunt statu positae, amanter petimus, ut Magnificentia Vestra pro salute Reipublicae Christianae proque commodo S. Regiae Maiestatis Regnique Poloniae emolumento ac sibi ipsi quoque ex re eas quoquomodo rationes ineat, non studio, non labori, non sumptibus ullis parcens, ut Dominus Desposta obsidione, Dominus vero Wisliwetzki

captivitate quam primum eliberetur, hic Regno Poloniae non inutilem navare operam ut possit, ille autem ut statum suum et Moldaviae dominium retineat.

Si vero Magnificentia Vestra inferiorem se esse senserit, quam ut magnitudini huius negotii sufficiat, rem pernecessariam factura esse videretur, si procerum Regni Poloniae ac necessariorum suorum opera coniuncta in eas cogitationes incumberet idque daret operam, ut quibuscunque fieri posset pactionibus seu mediis uterque, et Dominus Moldaviae Dux et Dominus Wisliwetzki, obsidione et captivitate solveretur, praesertim cum Domini Ducis Moldaviae virtus ac praestans in re militari experientia ita excellat, ut Regno Poloniae vicinitas illius votis omnibus expetenda sit. Nos quidem assiduis Deum precibus pro utroque flagitare non cessabimus. Si vero (quod absit) dominari Moldaviae concessum Domino Despotae non fuerit, omnibus sane conatibus contendendum Regno Poloniae erit, ut non illum modo, sed Dominum quoque Wisliwetzki salvum intra suos parietes quoquo modo recipere possit. Utilia enim illos organa ad provehenda Regni commoda hisce temporibus futura esse nemo dubitet, cum quod Dominus Despotae in rebus bellicis singulare donum habet ad bene gerendae rei dexteritatem, sicut omnes, qui conversati sunt illi, testabuntur, tum quod Dominus Wisliwetzki ad oppugnandam Moschoviam, si quisquam alius, consilia salutaria in medium proferre posset. Idcirco inclitum Poloniae Regnum non modo rectissime sibi consulturum est, ubi utriusque curam et sollicitudinem susceperit, verum etiam hisce turbulentis temporibus magno aere comparandos esse conducendosque tales viros nemo est qui non probaturus sit.

Minime itaque dubitamus Magnificentiam Vestram, cum propter communem Reipublicae salutem, tum quoque quod ratione filiae ea res magna ex parte Magnificentiam Vestram tangit, modos rationesque omnes investigaturam proque ea, qua in Regno Poloniae nunc excellit auctoritate, nihil praetermissuram esse, ut viri praestantissimi, qua premuntur molestia, primo quoque tempore liberentur, inclitoque Poloniae Regno propter egregiam illorum virtutem addictissimi coniunctissimique reddantur. Nos libere ista, quasi ex pectoris nostri scrinio patenti, ad Magnificentiam Vestram scribimus. Quod aegrius laturam esse illam non putamus. Sicut enim in aetate nostra vegetiore adolescentia Magnificentiae Vestrae nobiscum candide vixit et adolevit nosque ita, ut decuit, amavit, atque progressu annorum etiam nihil ab eo amicitiae vinculo solutum remissumque est, ita noster erga Magnificentiam Vestram animus, veterem illam familiaritatem sequutus, plus sibi libertatis erga Magnificentiam Vestram quam alios sumere non erubescit, ut facilem apud illam hoc nomine veniam impetraturos esse nos speremus. Quod superest, Magnificentiam Vestram rectissime valere rebusque omnibus secundis affluentem esse percipimus. Datae.

Relatio D. Cancellarii³⁾
Idem audivit et Princeps quoque

In folio separato: Martino Sborowski, Castellano Cracoviensi, die 11 Octobris anno 63.

1) *Demetrius Wiśniowiecki.*

2) *Solimanus II.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Alexandro a Suchten, medicinae doctore, causam de bonis hereditariis cum Ignatio Sculteto, cive Gedanensi, per appellationem ad regem devolutam, habente, intercedit.

Cfr. El. XXXII, NN. 922, 932.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex etc.

Non dubito S. Regiam Maiestatem Vestram istorum, quae de Alexandro a Suchten, medicinae doctore, Caunae inter nos habitis sermonibus collata sunt, clementer adhuc meminisse. Is hic Regiomonti mihi exposuit causam suam, quam ipse et fratres sui cum Ignatio Sculteto, cive Gedanensi, de bonis hereditariis habent, quaeque annos non paucos coram commissariis, a S. Regia Vestra Maiestate ad eam cognitionem constitutis, viris eximiis et prudentibus, Constantino Ferber, Georgio Clefeldt, consulibus, et Augustino Wildener, senatore Gedanensibus, agitata est, tandem sententia pro se et fratribus lata, ab adversa parte per appellationem ad S. Regiam Maiestatem Vestram devolutam esse. Cum autem antea a commissariis, utraque parte sic protestante, hoc in negotio iudicatum sit, fideiussores de reddendis expensis et factis lite pendente sumptibus utrinque esse constituendos, et ipsi quidem Suchteni hoc modo praestiterint, pars vero appellans non praestiterit, petiit me hic Alexander, ut se et fratres suos intercessione mea ad S. Regiam Vestram Maiestatem prosequerem, dignaretur S. Regia Vestra Maiestas praefatis commissariis clementer mandare, ne parti appellanti, ante constitutos de reddendis expensis secundum latam a commissariis sententiam fideiussores, actorum potestatem facerent. Quae petitio cum et per se mihi aequissima videatur, atque ego alias ipsi Alexandro propter ingenii excellentiam, quo nomine a plerisque vehementer laudatur, optime cupiam, non possum ipsi hac in re non gratificari.

Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem huius doctoris Alexandri causa vehementer oro, velit ea de re clementer commissariis istis mandare atque praeterea in ceteris etiam, quae de pensione annua et aliis rebus cum S. Regia Vestra Maiestate ipsius nomine nuper collocutus sum, clementissimum benignissimumque se ipsi Regem et plane hoc modo exhibere, ut et ipse se non vulgari modo a me commendatum esse sentiat, atque ego intercessionem hanc meam ipsi revera tantum, quantum quidem sperarim, profuisse ex ipso intelligam. Praeterquam autem quod S. Regia Vestra Maiestas sua beneficia praeclare et in hominem gratum et clementia sua non indignum positura est, ego quoque subditis meis officiis debitisque obsequiis promereri enitar. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem, quam gratiae divinae humiliter commendo, in seros annos superstitem ac felicem esse exopto. Datae.

Relatio Cancellarii¹⁾

Eidem et doctori Suchteno placuit

In folio separato: Regi Poloniae, XII Octobris anno LXII. Datum Konigspergk.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

responsum Erici ducis Brunsvicensis (de non acceptis ab eo stipendii regii condicionibus), legato regio, Georgio Bażyński, et suo, Friderico a Kanitz, ad eum missis, datum refert.

Cfr. El. XXXII, N. 922.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Reversus heri est consiliarius noster Fridericus a Canitz, quem S. Regiae Maiestatis Vestrae ad Ducem Ericum internuntio in legatione adiunxeram. Etsi autem dubium mihi non est S. Regiam Vestram Maiestatem totam hanc rem, quid ipsi cum Duce Erico S. Regiae Vestrae Maiestatis nomine egerint, quidque Dux Ericus ad singula responderit, ex internuntio suo Georgio a Baisen abunde percepturam esse, tamen cum ipsum aliquantisper in praedio suo commoraturum cognovissem, officium S. Regiae Vestrae Maiestati non ingratum me facturum arbitrabar, si interim quae ex consiliario meo intellexissem, ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscriberem. Itaque utrumque, et quid legati ad Ducem Ericum detulerint, et quid Illustritas Sua responderit, S. Regiae Maiestati Vestrae transmittito.

Quandoquidem autem ex responso Ducis Erici liquet Illustritatem Suam oblatam per legatos pensionem annuam facile esse suscepturam, modo de tribus hisce articulis S. Regia Maiestas Vestra mentem et sententiam suam clementer declaret, quorum primus est, ut ad oblatam annuae pensionis summam, quam sibi Illustritas sua quotannis vel Lipsiae, vel Antverpiae, vel Francofordiae ad Moenum absque ulla impensa sua numerari petit, S. Regia Maiestas Vestra aliquid adhuc addat; secundus, ut S. Regia Vestra Maiestas damnum ex hac collectione militum acceptum ac sumptuum difficultatem, necnon labores ipsius aliquo modo clementer sublevare atque rependere dignetur; postremus, ut S. Regia Maiestas Vestra obligationis modum, quousque ea se extendere debeat, perspicue definiat. De quibus singulis quid mihi videatur, quidque S. Regiae Maiestati Vestrae pro ingenii mei tenuitate in his faciendum putem, paucis indicabo, S. Regiam Maiestatem Vestram enixe vehementerque petens, ut quod a me in istam partem consuletur, ex sincero cordis affectu proficisci plane sibi persuadeat.

Primam quidem petitionis Ducis Erici partem, an S. Regia Vestra Maiestas annum stipendium mille forte adhuc taleris augere debeat, cum Illustritas Sua propensionem erga S. Regiam Vestram Maiestatem, qua inducta tam ingentes in conscribendo milite sumptus fecerit, tantopere praedicet atque adeo, praesentibus S. Regiae Vestrae Maiestatis internuntio meoque consiliario, cum verbis et gestibus, tum ceteris quoque humanitatis officiis se S. Regiae Vestrae Maiestatis studiosissimum amantissimumque esse ostenderit, arbitrio S. Regiae Maiestatis Vestrae permitto, sicut et hoc, an S. Regiae Vestrae Maiestati in id consentiendum sit, ut ea pensio Illustritati eius quotannis in uno aliquo ex tribus istis locis numeretur, non dubitans S. Regiam Maiestatem Vestram pro rationum suarum facultate id ultro facturam esse. Si autem praeterea S. Regia Vestra Maiestas in eo quoque Illustritatis illius clementem rationem habere non recusat, ubi Illustritas eius petit,

ne S. Regia Maiestas Vestra patiatur, ut fides ipsi sua et animi promptitudo, quam in adducto isto exercitu S. Regiae Vestrae Maiestati testatam facere voluerit, adeo nocuisse videri possit, ut propterea in eas angustias deveniret, unde difficiliter sit eluctatura, sed ut clementi aliquo beneficio damnum illius sublevare dignetur. Id hoc modo commodissime fieri posse censerem, si S. Regia Vestra Maiestas cum Gedanensibus ageret, ne mutuo datam Duci Erico pecuniam reposcerent, sed obligationem ipsius S. Regiae Maiestati Vestrae, deinceps Duci Erico reddendam traderent. Quod hac ratione fortasse tentandum esset, ut S. Regia Maiestas Vestra a statibus terrarum suarum Prussiae clementer postularet, vellent istam pecuniam per generalem collationem aliquam Gedanensibus reddere. Si id hac non succederet, tunc alia quacunque via Gedanensibus id esset obtinendum.

Obligatio ratione annui stipendii a S. Regia Vestra Maiestate Illustritati eius talis posset praescribi, ut fidem daret se neque, pro sua persona, contra S. Regiam Maiestatem Vestram vel contra Regna, ditiones et dominia, tum etiam subditos illius universos, quicquam unquam hostiliter molituram, neque sub aliis tale aliquid, quicumque isti sint, stipendio merituram esse, sed econtra operam suam S. Regiae Maiestati Vestrae contra quosvis illius hostes, si requisita de eo Illustritas eius a S. Regia Vestra Maiestate fuerit, paratam fore. Atque haec quidem sunt, quae S. Regiae Maiestati Vestrae pro fide mea significanda esse censui, iterum atque iterum petens, ut S. Regia Maiestas Vestra, quae in hanc sententiam a me prolata sunt, aequi bonique consulat. S. Regiam Maiestatem Vestram Christo salvatori clementer conservandam fideliter commendo. Datae.

Cancellarii¹⁾ relatio
Idem et Canitz audiverunt

In folio separato: Regi Poloniae, 13 Octobris anno etc. 63.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5640.

S.l., 13.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat se ex litteris regis Daniae cognovisse, regem Sueciae non solum eundem regem Daniae, sed etiam regem Poloniae, duces Prussiae et Curlandiae, civitatem Lubicensem omnesque eorum consortes, pro hostibus habere; regem Daniae ergo suadere, ut classis aliqua a rege Poloniae et duce Prussiae expediatur, quae proximo vere contra Suecum classi Danicae se coniungat; consulere praeterea eundem regem Daniae, ut rex et dux plenipotentes suos Rostochium ad tractatus pacis mittant; mittit exemplum litterarum regis Sueciae, ad electorem Saxoniae et landgravium Hassiae datarum.

(Schedula: de rege Sueciae «pro defensione Regni sui» in Germania militem conscribente. Scheda II: pro dolore regio, ex affecta valetudine sua concepto, gratias agit speratque se indies firmioribus viribus auctum iri; consilium regis de duce Finlandiae probat).

Cfr. El. XXXII, N. 922.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Etsi non ita pridem de rebus Serenissimi Daniae Regis¹⁾ in Suecia gestis quaedam ad S. Vestram Regiam Maiestatem perscripsi, tamen cum a Serenitate Sua hoc ipso die literas acceperim, facere non potui, quin ea, quae ad me scribuntur, S. Regiae Vestrae Maiestati communicarem. In primis Sua Serenitas scribit mittitque una exemplum literarum, in quo Rex Sueciae²⁾ ostendit se non modo ipsum Serenissimum Daniae Regem, sed S. Regiam Vestram quoque Maiestatem, meque et Dominum Curlandiae Ducem³⁾, civitatem Lubecensem omnesque eorum consortes, pro hostibus habere. Idcirco cum Serenitas Sua optime S. Regiae Vestrae Maiestati prospectum fortunisque illius consultum velit, suadet ipsa, ut classis aliqua a S. Regia Vestra Maiestate et me expediatur, quae si non hoc autumno, primo tamen vere soluta glacie suae classi se coniungat. Confirmat quoque famam eam, quae de occupata arce Neulosen increbuit. Quam plus trepidatione quam vi oppugnationis deditionem fecisse scribit. Ita enim munitam fuisse, non tam praesidiis quam omnis generis commeatu, ut obsidionem et tormentorum impetum ad aliquot adhuc menses sustinere potuisset. De proelio commisso nulla fit mentio, ut vanum esse rumorem constet, cum literae eiusdem Serenissimi Daniae Regis eo ipso die sint scriptae, quo conflixisse uterque exercitus ferebatur.

Offert deinde Serenitas Sua operam suam, si res ad pacis condiciones devenierit, ut et S. Regiae Vestrae Maiestatis et mei quoque in pactionibus iis ratio habeatur. Consulit autem, ut S. Regia Vestra Maiestas et ego plenipotentes nostros Rostochium mittamus, qui tractatibus illis adsint, Lubecensium enim internuntios ei quoque conventui interfuturos. Speratque Sua Serenitas Dominos Electores et Principes, qui se interposituri sunt ad constituendam pacem, non difficiles se S. Regiae Vestrae Maiestati mihi praebituros esse.

Quod ad hostilitatem Sueciae Regis attinet, quam literis suis (quarum exemplum hisce adiectum mitto) proclamat, in eo aliter consulere non possum, quam ut S. Regia Vestra Maiestas suis rebus provide invigilet, Domino Curlandiae Duci ac Gedanensibus quoque ista significet, ac Gedanenses, ut portum suum muniant et observent, praemoneat, classemque aliquam ipsos parare iubeat. Quod ad me attinet, libenter quoque de navibus mari commitendis cogitarem, sed facultatum angustia magna ex parte obstat, praesertim cum ad communiendum portum meum ripamque marinam tractu aliquot miliarium custodiendam ultra sortem fere onerer. Si quid tamen commodare hac quoque in parte potero, quantum rationes meae ferent, meo officio non defuturus sum.

De mittendis Rostochium nuntiis paucos ante dies, quid faciendum esse censeam, ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi. Idem cum Serenissimus quoque Daniae Rex nunc consulat, dignabitur S. Regia Vestra Maiestas in eas cogitationes incumbere, ut sententiae Serenitatis Suae subscribat, neque moram aliquam internuntium, quem illuc ablegatura est, trahere sinat. Missionem autem meorum legatorum non necessariam adhuc esse arbitror, donec ex tractatibus coeptis appareat, an illorum praesentia requiratur.

Postremo cum hisce quoque S. Regiae Vestrae Maiestati mitto exemplum literarum, quas Sueciae Rex ad Electorem Saxoniae⁴⁾ et Landtgrafium Hassiae⁵⁾ dedit, ut S. Regia Vestra Maiestas videat, quomodo Sueciae Rex se purget, omnique vacare culpa atque eam in Serenissimum Daniae Regem transferre velit. Atque haec omnia S. Regiae Vestrae Maiestati communicanda esse duxi, ut quae gerantur et quomodo res se Suedicae habeant, ignara

non sit. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem protectioni divinae in longa tempora conservandam committo. Datae.

Relatio Do. Cancellarii⁶⁾
Idem audivit et Princeps

In folio separato: Regi Poloniae, 13 Octobris anno 63.

Cedula

Neque hoc celandam S. Regiam Vestram Maiestatem esse duxi, Sueciae Regem ad Illustrissimum Dominum Ioannem Albertum, Ducem Megapolensem, literas dedisse, quibus indicat se aliquot equitum peditumque ductores in Germaniam ablegasse, ut pro defensione Regni sui militem conscribant. Itaque se amanter petere, ut hoc, salva Illustritatis Suae pace, in Ducatu illius facere eis liceat, liberque sit copiis illis in Sueciam per Megapoliam transitus. Ipse vero Illustris Dominus Megapoliae Dux ei petitioni non est assensus.

Cedula (*cfr. El. XXXII, N. 919*)

Quod S. Regia Vestra Maiestas suis ad me literis, die 5 Octobris Wilnae datis, singularem animi sui dolorem, ex invaletudine mea conceptum, curam autem de filiolo⁷⁾ meo hisque terris vere regiam testatur, facit hoc ex abundantia amoris clementiaeque in me meosque singularis suae. Quae omnia ea qua debeo reverentia submisce amplector, maximasque eo nomine S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago Deumque oro, ut non modo S. Regiae Vestrae Maiestati pro iis remunerator sit, verum etiam ea, quae senili huic corpori meo in sanitate et firmitate accrescere optat, illa in vegetiore S. Regiae Vestrae Maiestatis aetate conservet, proque salute et tranquillitate Regni terrarumque suarum et corporis et animi robur illi pro voto in longissima tempora diuturnum largiatur.

Quod autem valetudinem meam attinet, illa ut meliuscule (Deo sit gratia) iam habere cepit, ita indies firmioribus viribus auctum iri spero. Tametsi vitae huius quasi pertaesus, in coelestem illam consuetudinem hinc emigrare percipiam, ipsa enim per se aetas fere mundo inutilis esse videtur, tamen quicquid Deo visum fuerit, in eo tanquam homo voluntati illius obnoxius acquiescere paratus sum.

De Duce Finlandiae⁸⁾ consilium S. Regiae Vestrae Maiestatis probo. Ad ea autem, quae consulendo scripsi, me candor summusque erga S. Regiam Vestram Maiestatem eiusque celeberrimae familiae necessarios amor impulit. Quibus nihil tam laetum aut ex omni parte prosperum obvenire potest, quod ego non exuberare modis omnibus exoptem. Atque haec ad literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, amore et clementia in me, minimum servitorem, refertissimas, brevibus respondenda duxi. Datum ut in literis.

In folio separato: Cedula in literis Regis Poloniae, 13 Octobris.

1) *Fridericus II.*

2) *Ericus XIV.*

3) *Gottardus Kettler.*

4) *Augustus.*

5) *Philippus I.*

6) *Ioannes a Kreitzen.*

7) *Albertus Fridericus.*

8) *Ioannes.*

N. 5641.

S.l., 13.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario, nuntiat praesentiam Francisci Lismanini, propter eruditionem et pietatem iam sibi commendati, accedente commendatione eius sibi gratissimam futuram, daturumque se operam, «ut in iis, quae ad religionem christianam veram illamque orthodoxam spectare videbuntur, partibus nostris minime desimus»; causam Reinholdi a Rosen, «vasalli archidioecesis Rigensis», a milite Suetico magnis damnis affecti, se regi per litteras commendasse scribit et rogat, ut ipse quoque negotium eius apud regem promoveat, quo ex regia liberalitate saltem ex parte damnorum compensationem consequi possit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5642.

S.l., 15.X.1563.

Albertus dux in Prussia

palatino Cracoviensi [Spytconi Jordan de Zakliczyn]

litteras eius, 21.IX. in Stroże datas, se accepisse et ex eis sollicitudinem eius et studium pro Republica intellexisse nuntiat; se cum hominibus suis in armis in procinctu fuisse, ut hostem transitu fluminis Vistulae prohibeat.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1900.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5643.

S.l., 15.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,

litteras eius, 1.X. in Gołuchów datas, cum adiuncta epistula responsoria palatini Cracoviensis [Spytconis Jordan de Zakliczyn] se accepisse nuntiat; gratias agit, «quod in hac communi et subita necessitate huius Reipublicae» litteras suas ad loca sua transmiserit; miratur, quomodo exemplar scripti sui ad imperatorem perlatum sit, et sperat nihil inde periculi vel incommodi eventurum esse.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5644.

S.l., 16.X.1563.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim

litteras eius, 4.X. Radomiae datas, se accepisse nuntiat et pro novitatibus «von der ungerischen kronung und presburgischen einzuge» et pro «secreto pasquillo» sibi missis gratias agit; rogat, ut etiam in posterum nova, praesertim Hungarica, scribat et «orationes» ab episcopis et archiepiscopis in Hungaria habitas, quarum mentionem in litteris fecerat, sibi in extenso mittat.

Ostpr. Fol., vol. 46.

An Erharden von Kunheim, den 16 Octobris anno 63 etc.

Wir haben dein schreiben, zu Radom den 4 Octobris datirt, empfangen und wess du uns von der ungerischen kronung und presburgischen einzuge¹⁾, also auch den heimlichen pasquillum uns mittheilest, auch ferner zu thun dich erbeuttest, vorstanden. Nun seint wir dir fur solche deine mittheilung und erofnung gantz gnedigst danckbar, hast uns daran zu gantz gnedigem gefallen gethan. Begeren auch gnediglich, du wollest uns ferner, wess du von allem in erfahrung kombst, mittheilen, und sonderlich, weil in den ungerischen zeitungen allerley von orationen, so durch viel herren ertz- und andere bischoffe gethan worden, meldung geschicht, und davon allein die anfenge gemeldet werden, vleiss haben, damit du uns dieselben orationem allen gantz vollkommen, wie sie geredet worden, zuschicken und mittheilen mogest etc.

Heinrich Stendtrich

- 1) *Agitur scil. de coronatione archiducis Austriae Maximiliani in regem Hungariae, 8.IX.1562 Posonii (Pressburgi) sollemniter, astante universa aula imperiali, celebrata.*

N. 5645.

S.l., 18.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Ioanni a Waten, civi Cracoviensi,

servitorem suum Georgium Horck ad emenda vina Hungarica in Hungariam mittit et rogat, ut ipsi pecunia forte indigenti 300 vel 400 taleros nomine suo tradere velit; duo dolia «reinfall» (vini Rhenensis?), si Cracoviae deest, Vienna aut Vratislavia adferri et sibi mitti petit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5646.

E Regio Monte, 19.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Augustino Rotundo Mieleski, secretario regio,

pro subdito suo Ioannne Buchholtz (Pucholtz), cive Regiomontano, negotium quoddam cum socru sua habente («de quo senatus noster Veteris Oppidi ad senatum Vilnensem uberius perscripsit») intercedit et rogat, ut eum ita iuvare velit, quo quam primum ad litteras senatus sui Veteris Oppidi «definitivum et categoricum responsum rescribatur».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5647.

S.l., 20.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
litterae fidei pro Friderico a Kanitz, consiliario suo et supremo cubiculi sui prae-
fecto.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5648.

S.l., 20.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
litterae fidei pro Friderico a Kanitz.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5649.

S.l., 20.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,
rogat, ut Friderico a Kanitz, consiliario suo et internuntio ad regem ablegato,
in commissis ei negotiis apud regem celeriter expediendis auxilio sit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5650.

S.l., 23.X.1563.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
de valetudine sua certiores eam reddit.*

(Germanice)

Cfr. El. XXXII, N. 925.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5651.

S.l., 25.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Waliszewski (Walschewski), capitaneo Cnissinensi, rogat, ut controversiam de equo quodam, inter duos incolas districtus sui Stradaunensis exortam, quorum alter affirmat equum sibi furto ablatum esse, alter vero respondet se eundem equum Augustoviae ab illius oppidi incolis emisse, investigatione in oppido illo facta componi iuvet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5652.

S.l., 28.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae, pro Achille Scipione intercedit rogans, ut operam suam apud regem pro eo interponat, quo pro fidelibus servitiis suis recompensationem aliquam tandem consequatur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5653.

S.l., 29.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum suadet, ne rex ad indicta Regni Comitia [Varsaviae celebranda] omnes terrarum Prussiae dignitarios evocet, sed duos saltem palatinos in quemcunque eventum in terris Prussiae manere iubeat, et arbitratur terrarum istarum curam imprimis palatino Marienburgensi committendam esse.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Etsi non ita pridem per consiliarum meum Fridericum a Canitz inter cetera submisit S. Regiae Vestrae Maiestati consului, ne ad praesentia Regni Comitia omnes terrarum Prussiae dignitarios evocaret, sed Culmensem¹⁾ et Marienburgensem²⁾ Palatinos ad quosvis subitos casus vices S. Regiae Vestrae Maiestatis in terris Prussiae obire earumque saluti invigilare iubeat, ut quid fieri velit, mentem suam eidem consiliario meo S. Regiam Vestram Maiestatem iam aperuisse existimem, tamen cum hisce temporibus singulis etiam horarum fere momenti diligens providentia et vigilantia summopere requiratur, ne si aliquid ex improviso emergeret, provincia ea, duce seu gubernatore carens, periculo exponeretur, serumque tunc nimis ex Comitii consilium capiendum esset, itaque iterum eo nomine submonendam esse S.

Regiam Vestram Maiestatem duxi. Videturque mihi eam ad rem rectissime Palatinum Marienburgensem adhibendum esse, cum quod aetate, prudentia et autoritate apud subditos S. Regiae Vestrae Maiestatis Prutenos plurimum valet, tum quod experientia et dexteritate rerum bene gerendarum, singulari autem humanitate cum gravitate coniuncta excellit, ut si quisquam alius non modo subditos ipsos in officio continere, sed subitis et repentinis etiam casibus salutari esse remedio possit.

Quae omnia cum S. Regiae Vestrae Maiestati de viro eo minime obscura sint, pluribus curam terrarum Prussiae ei committendam esse a S. Regia Vestra Maiestate suadendo contendere supersedeo, planeque confido S. Regiam Vestram Maiestatem ista omnia, etiam me non monitore, iam ita constituisse, ut salutis terrarum Prussiae et ratio habeatur et in omnem casum optime prospectum illis esse videatur. Peto autem enixe, ut S. Regia Vestra Maiestas mihi veniam det, quod non rogati consulentis hac in re partes sumere non erubesco, fideique meae debito illud clementer ascribat. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem in longa tempora feliciter regnare incolumemque esse exopto. Datae.

Sub textu: Regi Poloniae, 29 Octobris.

1) *Ioannes Działyński.*

2) *Achatius Czema.*

N. 5654.

S.l., 29.X.1563.

Albertus dux in Prussia

duci Constantino [Constantino Basilio Ostrogski]

nuntiat se ex litteris eius, ab Achille Scipione sibi redditis, et ex ipso Scipione intellexisse, quo animo ille se, coniugem suam et filium complectatur; pro hac eius in se et familiam suam propensa voluntate gratias agit; equum Frisium dono mittit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5655.

S.l., 29.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Gabriel Hornostaj

fratrem eius, in aula sua morantem, a quodam ipsius servitore falsa et sinistra delatione accusatum esse nuntiat, «quod vitam hic dissolutam lusumque aleae sequeretur»; rogat, ne eiusmodi iniquae delationi credat et «ut sibi aliud persuadere non patiatur, quam quod frater illius apud nos officio fungitur probi et fidelis servitoris, qui nos suis obsequiis diligenter observat et a vitiis vitae detestandae plane alienus est».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5656.

S.l., 29.X.1563.

Albertus dux in Prussia

Iacobo Drozdowski, capitaneo Visnensi,

*queritur de quodam Iacobo Jeziorkowski, qui contra pacta et transactiones,
inter regem Poloniae et se constitutas, duos cives Marggrabovienses (alias
Olecenses), subditos suos, in custodia detinet.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5657.

S.l., 30.X.1563.

Albertus Fridericus dux in Prussia iunior

Constantino Basilio Ostrogski, palatino Kioviensi,

per Achillem Scipionem ad eum redeuntem salutem dicit et se commendat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5658.

S.l., 30.X.1563.

Albertus dux in Prussia

*Alexandrae Olelkowicz Stucka, uxori Constantini Ostrogski, et, mutatis mutan-
dis, Sophiae Olelkowicz Stucka, uxori Georgii Chodkiewicz,*

per Achillem Scipionem illuc redeuntem litteras mittit et salutem dicit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5659.

S.l., 30.X.1563.

Albertus Fridericus dux in Prussia iunior

*Constantino iuniori et Ianussio Ostrogski, Constantini Basilii, palatini Kiovien-
sis, filiis,*

per Achillem Scipionem ad eos redeuntem eos salutat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5660.

S.l., 1.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

*internuntios suos ad Comitia Regni Poloniae Varsaviae mox celebranda missu-
rus, rogat, ut cum eo, cui munus distribuendorum hospitiorum a rege*

commissum est, suo nomine agat, quo internuntiis suis commodum aliquod hospitium assignetur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5661.

E Regio Monte, 2.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

summarie communicat litteras regis Daniae recens acceptas, novitates aliquot continentes: de arce Elsburgensi a rege Daniae Sueco adempta et magna clade ei illata; de integri fere diei et noctis pugna navali inter classem Sueticam et Danicam commissa et de victoria tandem a Danis reportata; de Ioanne duce Finlandiae eiusque consorte a rege Sueciae captis; de nave Gedanensi, in qua Ioannes Tęczyński navigabat, ab admiralio regis Daniae intercepta, et de eiusdem regis suspicione de itinere huiusmodi concepta.

(Schedula I: plura nova et rumores de rege Sueciae, duce Finlandiae etc. Scheda II: de regis Sueciae in Daniem irruptione; de eiusdem regis moliminibus in civitatem Gedanensem; de Erico duce Brunsvicensi a Gedanensibus petente, ut pecuniam ei mutuo datam ei condonare velint.

Cfr. El. XXXII, N. 924.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, quod his diebus a Serenissimo Danorum Rege¹⁾ literas accepi, quae XIII die Octobris Coppenhagii datae fuerunt. Quae cum novitates quasdam contineant, duxi eas S. Regiae Maiestati Vestrae summarie communicandas.

Scribit igitur Regia Sua Celsitudo, quod arcem sive munitionem Elsburgum, alias Nielöss vocatam, singulari Dei benignitate, citra cruentam aliquam dimicationem in potestatem suam redegerit, quodque tantus hostem Suecum invaserit metus, ut nullibi se ostendere suive copiam facere audeat, sed ad primum intuitum Regiae Suae Celsitudinis militum retrocedat et in montes ac scopulos se addat. Quare oportere Suam Regiam Celsitudinem aut hybernium frigus, aut aliam occasionem gerendae rei expectare.

Deinde narrat, quod paucos ante dies classis Suedica triginta octo navium ex scopulosis anfractibus vela faciens, classem Sueae Celsitudinis adorta sit. Quo in congressu integram fere diem et noctem sine intermissione tormentis bellicis et bombardis utrinque certatum sit, sed propter magnam vim venti, qui subinde agitando et disiiciendo naves mari incubuit, fieri non potuisse, ut manum consererent cominusve pugnarent.

Extremo tamen Suedicam classem, et tormentis quassatam et vento adverso impulsam, fugam arripere ac, unde venerat, retrocedere coactam fuisse. Ex quo quidem conflictu Regia Sua Celsitudo neque hominum, neque navium aliquam grandem iacturam fecit, nisi quod quidam ex nobilitate Danica praefectus unius navis, Franciscus Bilde, cui caput a cervice globo bombardico abscisum et abruptum, desideratus fuit. Ceterum Suae Regiae Celsitudinis classem hac vice mare et victoriam obtinuisse. Quid autem dam-

ni hostes ceperint, nondum certo constare. Illud narrari, quod tam in littore Suedico, quam Gottlandiae, aliquot grandes rotae, quibus tormenta bellica maiora sive muralia vehuntur, cum clypeis deauratis, tabulis et aliis instrumentis navalibus, tanta copia passim repertae sint, quae 40 curribus aegre comprehendi et avehi potuerint. Unde conicere liceat naves aliquot Suedicas, praesertim unam, in quam supremus Admiralius Elephas nomine fuisse dicitur, interiisse. De quo tamen Regia Sua Celsitudo nihildum plene comperiti esse dicit.

Illustrissimum Ducem Finlandiae²⁾ una cum Illustrissima coniuge sua³⁾ captum a Rege Sueciae⁴⁾ nunc passim innotuisse asserit et Suam Regiam Celsitudinem utriusque vicem, praesertim vero ipsius Ducissae graviter dolere, sed tamen rationes eliberandi nondum perspicere. Si quid autem Sua Celsitudo ad eliberandas Suas Illustritates momenti adferre possit, propter S. Regiam Maiestatem Vestram omni studio et voluntate in eam rem incumbet, ac siquidem tolerabiles et aequae pacis condiciones offerantur, sic se Regia Sua Celsitudo exhibituram dicit, ut non dubitet S. Regiam Maiestatem Vestram probe contentam fore.

Postremo Regia Sua Celsitudo scribit, a suo Admiralio navem unam Gedanensem, quae cursum suum in Sueciam direxerat, interceptam, quam Magnificus Comes in Tanczin⁵⁾ et alius quidam dominus ex Polonia cum suis servitoribus conduxerint, qui praetenderint se mandata a S. Regia Maiestate Vestra habere. Addit Regia Sua Celsitudo non obscuram praesumptionem certorum hominum esse, quod sub hoc praetextu aliud fortasse quaeratur, siquidem instructio legatorum (de qua Regiae Suae Celsitudini exemplar missum sit) in eum casum et eventum directa fuerit, si Dux Finlandiae nondum sit captivus. Cum autem ipso Duce nunc capto, nihilominus Stockholmium ii legati contenderint, inde sane suspicionem non exiguam oriri, quod aliquid occulti et secreti mandati secum habeant.

Haec omnia etsi non vanam speciem prae se ferant, tamen Regiam Suam Celsitudinem nihil sibi persuaderi passuram, sed potius honestam mentem, ingenuitatem et necessitudinem S. Regiae Maiestatis Vestrae consideraturam, quam multo pluris faciat, quam quod tali aliqua ratione, nedum suspicione, de mutua benevolentia quicquam decedere debeat. Quare Regia Sua Celsitudo, ut primum ad eam ipsi legati accesserint, ita se erga eos exhibituram scribit, ut inde intelligatur, quantum honori et amicitiae S. Regiae Maiestatis Vestrae tribuat et quantopere ei confidat. Quae cum ita se habeant, ut non obscure appareat aliquam suspicionem in animo Regiae Suae Celsitudinis haerere, S. Regiae Maiestati Vestrae consulo, ut ipsa vicissim det operam, quo se omni suspicione apud Regiam Suam Celsitudinem quam primum liberet.

Haec fere earum rerum summa est, quas R. Sua Celsitudo hac vice ad me scribere dignata est. Quas quidem S. Regiae Maiestati Vestrae subdite et officiose communicare volui, amanter et obnixe petens, S. Regia Maiestas Vestra clementer haec accipere et in bonam partem interpretari dignetur. Id erga S. Regiam Maiestatem Vestram omnibus studiorum generibus subdite demereri conabor. Quam Christo Optimo Maximo longis temporibus salvam et felicem conservandam commendo. Data Regiomonti, 2 Novembris anno Domini MDLXIII.

Eiusdem S. Regiae Maiestatis Vestrae
subditus Princeps
Albertus Senior, Dei gratia Marchio
Brandenburgensis, in Prussia etc. Dux etc.

Cedula 1

Dum hae literae scribuntur, ex aliis locis alia ad me nova perferuntur, quae similiter S. Regiae Maiestati Vestrae, licet prioribus quodammodo contraria sint, communicare volui.

Primo narrant Regem Sueciae suos legatos, quos Rostochium pro facienda pace ablegaverat, domum revocasse. Deinde quod idem Rex cum quinque millibus equitum et quinquaginta signis peditum, inter quos Germanorum quatuor vexilla esse dicuntur, ad limites Regni Daniae accedere et Regem illic visitare constituerit, quodque arcem Elsburgum, non ita pridem a Rege Daniae occupatam, obsidione cinxerit.

Septem naves Suedicas proximo ventorum turbine in classem Danicam et Lubicensem magno impetu ita illatas, ut diu eminus pugnarint, sed propter vim venti non potuisse eas ita convenire, ut manum consererent. Unam tamen Danicam navem ex selectioribus ita tormentis bellicis quassatam, ut circa Gotlandiam demersa sit, ac parum abfuisse, quin Suecus ea fuerit potitus. Qui mare et victoriam alioqui etiam obtinuit. Praeterea autem multi ex Danis et Lubecensibus vulnerati esse dicuntur.

Rex Suetiae mandasse suo Admiralio Iacobo Baggen dicitur, ut mare occupatum teneat et classem suam navium 49 ad Bornholmium subducatur, ibique praestoletur.

Rumor est etiam Ducem Finlandiae ex ictu globi bombardici, quo in brachio vulneratus fuerat, occubuisse et fata persolverisse.

Haec nova, quanquam a prioribus magna ex parte dissident, eisque haec clausula (citra veritatis praeiudicium) adiecta est, tamen ut ad me perscripta sunt, ita S. Regiae Maiestati Vestrae etiam communicanda duxi. Quam iterum Christo omnipotenti commendo. Datum ut supra in literis.

Cedula 2

Sub haec aliis literis allatum est de magna, improvisa et subita mutatione rerum Danicarum et Suedicarum, nempe quod Suecus valido exercitu irruptionem fecerit in Daniam ea parte, quae Schonam spectat, ibique urbem Helmestad, sex milliariibus ultra limites Suetiae et 10 milliariibus ab Orissundo sitam, obsidione cinxerit et eo angustiae redegerit, ut praefectus urbis Regi Daniae scripserit, nisi intra dies 4 aut 5 subsidia mittantur, se cogi urbem hosti dedere. Itaque Regia Sua Celsitudo militem in armis continuo esse iussit, hostique obviam processurum, ut ipsum ea commoditate maris Occidentalis, quae valde illic opportuna et magni momenti esse dicitur, arceat.

Rumor est etiam non prorsus vanus, Suecum ad urbem Gedanensem cupiditatis oculos adiecisse ac varias occulte moliri practicas in eius urbis perniciem. Quod quidem veritati non est dissimile, cum S. Regiam Maiestatem Vestram pro manifesto hoste habeat. Quare recte et prudenter S. Regia Maiestas Vestra fecerit, si his instantibus Comitibus cum inclyti Regni senatoribus statuatur, quomodo subitis et improvisis quibusvis casibus ac periculis in tempore obviandum sit, ne quid Respublica detrimenti capiat.

Dux Ericus Brunswicensis his diebus ad Gedanenses literas dedisse dicitur, quibus petit, ut Suae Illustritati summam pecuniae, quam ei mutuo dederunt, ad compensanda aliquo modo sua damna condonare ac remittere velint, offerens se illis praesto futurum, si indigeant, instructo cum exercitu. Senatus autem quid hac re facturus sit, nondum constat, ampliusque deliberandum censuit.

1) *Fridericus II.*

2) *Ioannes.*

3) *Catharina Jagellonica.*

4) *Ericus XIV.*

5) *Ioannes Baptista Tęczyński.*

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat Ericum ducem Brunsvicensem a se per litteras petiisse, ut operam suam pro illo apud regem interponeret, quo oblatum ei annuum stipendium augere et impensas bellicas aliqua ex parte compensare dignetur.

Cfr. El. XXXII, N. 924.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex etc.

S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare nequeo, quod Illustris Dominus Ericus, Dux Brunsvicensis, his diebus proprium servitorem cum literis, 13 Octobris Usleriae datis, ad me misit, quibus literis vehementer a me et amicissime petit, ut ad S. Regiam Maiestatem Vestram pro Sua Illustritate intercedere non graverer. Summa petitionis suae haec est, ut S. Regia Maiestas Vestra oblatum illi annuum stipendium clementer augere et impensas bellicas, quas pro honore ac defensione S. Regiae Maiestatis Vestrae fidelissimo plane animo se fecisse scribit, aliqua ex parte compensare dignetur, ne insuperabili damno propter fideliam suam servitiam afficiatur. Nam etsi hanc ipsam petitionem legato, Domino Georgio a Baysen, ad S. Regiam Maiestatem Vestram perferendam superiore tempore commiserit, tamen se hactenus nihil responsi obtinuisse dicit. Nunc autem Suam Illustritatem magnopere indigere pecunia ad persolvenda militi stipendia, quae partim ad divi Martini¹⁾, partim ad Purificationis Mariae²⁾ festa solvere promiserit. Itaque ut circa illud tempus aliquid obtineat pecuniae, maximopere rogat et obsecrat. Hactenus Suae Illustritatis petitio.

Ceterum quod meum sit in hac utraque Illustritatis Suae petitione consilium, antehac S. Regiae Maiestati Vestrae per literas meas subdite declaravi, non dubitans ipsam recenti memoria tenere. Quare a S. Regia Maiestate Vestra illud saltem nunc enixe et summopre peto, ut re tandem deliberata et perpensa Illustritati Suae certum responsum, quid sperare et expectare debeat, clementer rescribat, eiusque rationem aliquam in his angustiis constituti benigne habeat. Hoc erga S. Regiam Maiestatem Vestram subditis meis studiis et debitis officiis demereri conabor. Quam Christo.

Relatio Cancellarii³⁾
Princeps audiit

In folio separato: Regi Poloniae, 4 Novembris.

1) 11.XI.

2) 2.II.1564.

3) Ioannes a Kreitzen.

Anna Maria dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

fratrem suum Ericum, ducem Brunsvicensem, commendat et rogat, «ut fideliam servitia dicti fratris mei, quae S. Regiae Maiestati Vestrae adducendo nuper exercitu praestare voluit, clementer considerare et perpendere

ac Suae Illustritatis ita rationem habere velit, ne illi sua fidelitas et officiorum promptitudo fraudi et nocumento sit, sed ut eius aliqua saltem ratio habeatur».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5664.

S.l., 6.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

rogat, ut homini suo, ante profectionem internuntiorum suorum ad Comitia Regni deputatorum Varsaviam praemisso, hospitium eisdem internuntiis suis assignatum monstrari iubeat.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5665.

S.l., 15.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

commissariis regiis in districtu Jurborgensi

nuntiat se, postulatis regiis obtemperare cupientem, suos quoque commissarios, Fridericum ab Aulack et Sigismundum a Kirstendorf, «ad cognoscenda et diiudicanda damna ac detrimenta silvarum iniuriasque subditorum in districtu Jurborgensi, quem hypothecae nomine traditum tenemus, illatas», missurum esse («etsi neque de damnis, neque de iniuriis ullis hactenus comperti habuimus quicquam»).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5666.

S.l., 16.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

se excusari petit, quod variis negotiis, itineribus et valetudine affecta impeditus ad litteras eius non citius respondit et nepotem eius Aurelium diutius detinuit; causam ei cum Scalichio intercedentem non iudicialiter, sed alia honesta ratione componendam esse iudicat et sperat eum huic iudicio suo assensurum esse.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Albertus etc.

Salutem et benevolentiam nostram.

Reverende et Eximie, Amice syncere nobis dilecte.

Binas Reverendae Dominationis Vestrae literas, alteras 25^a Maii, alteras quarta Septembris, utrasque eiusdem argumenti et Tubingae datas, accepi-mus. Quod autem non citius, praesertim ad priores, Reverendae Dominationi

Vestrae respondimus, eiusdemque nepotem, egregium et eruditum virum Aurelium Vergerium, Iuris Utriusque Doctorem, hucusque detinuimus, neutrum certo, pro nostra erga Reverendam Dominationem Vestram singulari propensione, facturi fuisset, nisi nos aliter facere gravissima impedimenta non permisissent. Praeterquam enim quod maxima huius aetatis et autumnii praeteriti pars itineribus necessariis nobis extracta est atque expeditio bellica, cum Illustris Princeps, consanguineus et affinis noster charissimus, Dominus Ericus Dux Brunsvicensis etc., validissimum exercitum in has terras ducturus crederetur, haud levibus nos molestiis affecit, valetudo quoque corporis, qua Deus omnipotens subito nos visitavit, non passa est huic nos negotio prius vacare, quanquam dictus Reverendae Dominationis Vestrae nepos nil, quod officii sui esset, assidue causam urgendo sollicitandoque praetermitteret, ac eam plane curam et diligentiam adhiberet, quam et fides erga Reverendam Dominationem Vestram sua et res ipsa postulare videbatur. Itaque confidimus Reverendam Dominationem Vestram et nos et nepotem suum facile excusatos habituram et dilationem hanc, etsi fortasse longiorem, ratione circumstantiarum aequi bonique consulturam esse.

Nacti autem commoditatem, cum propter infirmam valetudinem (cuius Aurelius procul dubio nobis testis erit) ipsi causam hanc audire non possemus, quam primum ad eam cognitionem consiliarios quosdam nostros constituimus. Quoniam vero nobis, rem diu multumque ex relatione ipsorum considerantibus, maxima sese ostendebat difficultas atque hoc plane subolebat, si causa iudicialiter potius quam extraiudiciali tractatione et pronuntiatione expediretur, alterutrius certe existimationem et honorem laesum iri, quod cum neque Reverendae Dominationi Vestrae, neque etiam Domino Scalichio (quod in utramque partem aequae singulari gratia propendeamus) contingere libenter vellemus, consultius et viris christianis, quales vos esse certo nobis constat, dignius existimavimus, si potius quacunque alia honesta ratione, quae famae et dignitati neutrius partis quicquam detraheret, in gratiam utrinque reduceremini. De quo etsi cum Domino Aurelio, Reverendae Dominationis Vestrae in hac caussa internuntio, actum est sedulo, ut nobis plena potestas concederetur, salvo utriusque partis honore, decernendi et pronuntiandi id, quod quidem Dominus Scalichius non recusavit, tamen cum se eam potestatem a Reverenda Dominatione Vestra non habere assere-ret, deduci hucusque res non potuit.

Cum autem de Reverenda Dominatione Vestra id nobis certo certius persuasum habeamus, ipsam nostri caussa, quocunque modo honeste possit, facere animo libentissimo, nihilque de nostra erga se benevolentia, qua famae et existimationi suae semper optime consultum esse volumus, dubitare, ideoque censuimus experiundum esse, si forsitan Reverenda Dominatio Vestra in sententiam nostram, quam ex Aurelio, nepote suo, abunde intellectura est, itura esset. Quod quidem ut Reverenda Dominatio Vestra faciat, amanter petimus. Neque propterea, quod id rogamus, Reverenda Dominatio Vestra suspicari debet nos officio nostro in administranda iustitia non satisfacturos esse. Nihil enim toto hoc tempore gubernationis nostrae maiori nobis curae fuit, quam ut unice caveremus, ne quicunque nos merito negatae iustitiae arguere posset. Sed quicquid huius facimus, id conservandae concordiae caussa (cuius nos semper amantes et studiosi fuimus) a nobis fieri Reverenda Dominatio Vestra plane statuatur. Quod si haec praeter spem, quam nobis pietas nostra facit, locum non sunt habitura, tunc id, quod officii nostri fuerit, facturi sumus. Pollicemur autem nobis certo, Reverendam Dominationem Vestram totam hanc rem, et cur nos potius his tractatibus et mediis

quam rigido iure controversiam hanc tolli velimus, altius consideraturam. Reverendae enim Dominationi Vestrae, ut Domini Scalichii Dialogos de se scriptos, autore id negante, prolixius disputare debeat, suadere certas ob causas non possumus. Quod superest, Reverendam Dominationem Vestram diu valere cupimus eiusdemque responsum ad haec expectamus. Datae.

Principi sic placuit
Legerunt in hac caussa commissarii
D. Hoffman et D. Lohasser.

In folio separato: Petro Paulo Vergerio, XVI Novembris anno etc. 63.

N. 5667.

E Regio Monte, 18.XI.1563.

Albertus dux in Prussia
«Hannae Byliewiczowae»
pro anulo nuper ei dono misso tam prolixa gratiarum actione opus non fuisse
scribit.
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5668.

S.l., 28.XI.1563.

Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
litteras eius, 8.XI. Radomiae datas, quibus doctorem Rupertum Finck sibi com-
mendabat, se accepisse nuntiat et ad unum ex consulibus Veteris Civitatis
Regiomontanae huius medici causa litteras dedisse.
(Germanice)
Cfr. El. XXXII, N. 923.
Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5669.

S.l., 28.XI.1563.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,
pro novitatibus ex Valachia, Varsavia et aliis locis sibi missis, una cum adiunctis
litteris imperatoris et Sigismundi ab Herberstein, ad eum datis, gratias agit.
(Germanice)
Cfr. El. XLIII, NN. 252, 256.
Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5670.

S.l., 28.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

significat se litteras eius, 9.XI. Radomiae datas, accepisse excusationemque eius de non perscriptis novitatibus Hungaricis acceptare.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5671.

E Regio Monte, 29.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut litteras ad regem Daniae de rationibus itineris et legationis Ioannis Tęczyński mittendas ita mutare et moderari velit, ne existimatio eiusdem Tęczyński opprobrii macula inde aspergatur, rexque ipse omni suspicione se eximat; de duce Erico Brunsvicensi sententiae regis se acquiescere nuntiat; petit, ut in Comitibus Regni (in negotio unionis et executionis legum) aliam Pruthenorum quam Polonorum rationem habeat; item rogat, ut negotium Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, maturius deliberandum suscipiat.

Cfr. El. XXXII, N. 924.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex etc.

Quod S. Regia Vestra Maiestas studium meum quaecumque iis in rebus, de quibus proxime ad illam scripsi, probat gratumque habet, facit hoc pro sua in me clementia. Teneri autem me ad hoc ex fidei meae debito reverenter agnosco.

Litteras ad Serenissimum Daniae Regem¹⁾ in eam sententiam, uti exemplum earum ad me missum habet, non libenter ad Serenitatem Suam mitti vellem. Metuendum enim est, ne eius Comitibus²⁾ existimatio inde magna vilipendii aut opprobrii macula (ne quid gravius dicam) apud Serenissimum Daniae Regem aspergatur, siquidem eiusdem Regis litterae ad me scriptae non obscure ostendunt legationem, quam Comes prae se fert, plus ad compendia ipsius praetendi, quam ut S. Regia Vestra Maiestas post initam cum Serenitate Sua societatem illum in Swetiam misisse, vel suspicionis inde notam aliquam incurrisse videri possit.

Quam ob rem submitte peto, dignetur S. Regia Vestra Maiestas ardori matrimoniali simulatam Comitibus legationem ascribere et aetati illius eam condonare, litterasque ad Serenissimum Daniae Regem ita moderari, ne quid durius opinione Serenitas Sua in Comitibus statuendi occasionem indeumat, quod fortassis S. Regia Vestra Maiestas non factum esse nimis sero posthac cuperet. Poterit autem S. Regia Vestra Maiestas facillime suspicione se omni eximere et ipsi quoque Comiti, salva S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitate, commodare. Itaque tantisper apud me litteras S. Regiae Vestrae Maiestatis retinebo, donec de voluntate illius certior factus fuero.

Ea, quae de Duce Erico et subditis S. Regiae Vestrae Maiestatis Prussiae scripsi, fideli animo feci. In quibus omnibus facile quidem S. Regiae Vestrae Maiestatis sententiae acquiesco. Illud tamen unice peto quaesoque, ut S. Regia Vestra Maiestas Prutenorum longe aliam quam Polonorum rationem habeat. Pruteni enim ultronea submissione, salvis, quae ab Ordine Theutonico habent, statutis, iuribus et privilegiis, fidem et subiectionem Regibus Poloniae iurarunt, neque statutis seu legibus Polonicis unquam subscripserunt, aut obligari se illis professi sunt. Cum itaque res permagni momenti ac plane difficilis sit libertatem amittere et nolentibus seu recalcitrantibus subditis frena non assueta iniicere, prudenter ac caute S. Regia Vestra Maiestas secum perpendat, quantum intersit periculosis hisce temporibus Prutenos non exulcerari. Quam enim res plena laboris sit subditorum voluntates, etiam salvis privilegiis, in officio continere, quotidiana experientia testatur. Ego haec pro fide mea S. Regiae Vestrae Maiestati debita silentio praeterire non possum. In quo veniam mihi clementer a S. Regia Vestra Maiestate dari peto. S. Regiae Vestrae Maiestatis erit cum prudentissimis senatoribus suis sapientius me ista deliberare et quid expediat constituere.

Illustris Dominus Albertus Dux Megapolensis³⁾, gener meus, intra paucos dies oratores suos ad S. Regiam Vestram Maiestatem ablegabit. Eos mei internuntii citis itineribus subsequantur. Sua Illustritas non longam his in terris trahere moram constituit, sed rebus suis confectis festinanter in Ducatum suum redire decrevit, multis gravibusque horum temporum de causis. Quam ob rem submisce peto, ut S. Regia Vestra Maiestas Domini Ducis Christophori negotium, quoad fieri poterit, maturius deliberandum suscipiat, eiusque Principis liberationem ita pro sua clementia moderetur, ut S. Regiae Vestrae Maiestati sit ex dignitate, Principi vero ipsi non inhonorifica seu difficilis. Quod si S. Regia Vestra Maiestas existimabit ad Ducis Christophori causam expediendam praedictum generum meum praesentem adesse oportere, ipsum quidem S. Regiae Vestrae Maiestatis accersitu non invitum video Warsoviam esse venturum. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati properanter rescribenda esse duxi. Quam feliciter valere exopto. Regiomonti XXIX Novembris anno MDLXIII.

Eiusdem S. Regiae Vestrae Maiestatis
subditus Princeps
Albertus Senior, Dei gratia Marchio
Brandenburgensis ac in Prussia etc. Dux etc.
^{a)} manu propria subscripsit^{b)}

a)-b) *manu propria*.

1) *Fridericus II.*

2) *Sermo est de Ioanne Baptista Tęczyński.*

3) *Ioannes Albertus dux Megapolensis Annam Sophiam, filiam ducis Alberti, uxorem duxit.*

N. 5672.

S.l., 30.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Achatium Czema, palatinum Marienburgensem, ad Comitum Regni profecturum, ob merita eius, praesertim «in bello Pruthenico» de Regno Poloniae habita, commendat et sperat in praesentibus Comitibus non postremam eius rationem habitum iri.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5673.

S.l., 30.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*litterae credentiales pro internuntiis suis, ad Comitata Regni Varsaviae celebrata
ablegatis, Ioanne Iacobo libero barone in Waltpurg, praefecto suo in Fisch-
hausen, et doctore Christophoro Jona.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5674.

S.l., 30.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski] et, mutatis mutandis, castellano Craco-
viensi [Martino Zborowski], episcopo Cracoviensi [Philippo Padniewski],
palatino Cracoviensi [Spytconi Jordan], palatino Vilnensi [Nicolao Radzi-
wiłł «Nigro»], Nicolao Łaski*

*Achatium Czema, palatinum Marienburgensem, ad Comitata Regni se conferen-
tem, commendat.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5675.

S.l., 30.XI.1563.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,

*negotium Valentini Stoll, servitoris sui, 24.II.1562 a. iam ei commendatum,
iterum commendat et rogat, ut una cum consiliariis suis, ad Comitata Regni
ablegatis, Ioanne Iacobo libero barone in Waltpurg et doctore Christophoro
Jona, causam eius apud regem promoveat (cfr. vol. LXXII, N. 5360).*

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1853.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5676.

S.l., 1.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,

*nuntiat se litteras eius, quibus de capitaneo suo Jurborgensi queritur de non
missa ad thesaurum regium contributione praefecturae Jurborgensis, se
accepisse et negligentiam capitanei sui aegre ferre; significat praeterea 60
taleros anno superiore in teloneo Labiensi detentos se propterea reddi iussis-
se, quod sibi expositum sit pro eis «omnis generis res ad expeditionem
Livonicam necessarias comparatas fuisse».*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5677.

S.l., 2.XII.1563.

*Albertus Fridericus dux in Prussia iunior
Andreae Patricio [Nidecki]
pro litteris et libro sibi dono misso gratias agit, per doctorem Christophorum
Jonam, patris sui consiliarium, «munusculum exiguum» mittit.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5678.

S.l., 3.XII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Ioanne a Konseck, fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis nunc defuncti, olim servitore etarci Schwanenburg praefecto («in qua defendenda animo tam forti tamque virili extitit, ut arx ista post Dei omnipotentis custodiam vel ipsius industria operaque sola servata in manus potestatemque hostium non devenerit») intercedit et rogat, ut ipsi pecunia sua in arce ista servata, cum eadem arx regi iam tradita sit, reddatur.*

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5679.

S.l., 3.XII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Rey
per internuntios suos, ad Comitata Regni ablegatos, litteras mittit et benevolentiam suam ei declarat; de filii eius, in aula sua degentis, optima valetudine certiore eum reddit.*

Cfr. El. XLI, N. 193.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Nobilis ac Generose, nobis singulariter dilecte.

Cum internuntios nostros ad praesentia Regni Poloniae Comitata¹⁾ ablegamus, facere non potuimus, quin litterarum aliquid nostrarum cum illis ad Generositatem Vestram perferendas daremus, tum ut ad proximas a Generositae Vestra acceptas litteras responderemus, tum ut Generositas Vestra inde intelligeret de nostra erga illam clementia et benevolentia nihil remissum esse, sed ita, uti incepimus, eam nos adhuc diligere. Deinde ut Generositatem quoque Vestram certiore redderemus valetudinem filii sui²⁾ adhuc in optima sanitae esse constitutam, ipsumque optime in literis proficere fidelique, pro aetatis suae qualitate, filio nostro³⁾ obsequia navare. Quod si ita perrexerit, Generositati Vestrae et patriae aliquando ornamento futurum minime dubitamus. Clementer autem a Generositate Vestra cupimus, ut nos per

occasionem suis quoque invisat literis et, sicut coepit, nos amare ne desinat. Factura nobis Generositas Vestra rem gratam. Quam feliciter valere optamus. Datae.

In folio separato: Nicolao Rey, 3 Decembris.

- 1) a 22.XI.1563 ad 1.IV.1564 Varsaviae celebrata. 2) Andreas.
3) Albertus Fridericus.

N. 5680.

S.l., 4.XII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Georgio Olelkowicz, duci Slucensi,
pro Ioanne Buchholtz (Pucholtz), cive Regiomontano, cui socrus eius Anna
Kochel, civis Vilmensis, merces quasdam «non exigui valoris» tempore
nocturno abstulit et Vilnam asportavit, intercedit et rogat, ut dictae socrui
eius iniungi faciat, quo res ablatas, bene servatas et custoditas, subdito
suo restituat et per certos homines, cum ipse se Vilnam conferre tuto non
possit, in Regium Montem remittat.
(Latine)
Conc., H B A, B, K. 1186.*

N. 5681.

S.l., 5.XII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,
nuntiat se capitaneo suo in Preuschmarck, Ioanni Knopf, mandasse, ut promissas
400 oves ei mittendas curet.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5682.

S.l., 6.XII.1563.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
scribit aliqua nova de rebus Danicis et Sueticis: de regis Sueciae in Daniam
incursione, de vastationibus ab illo patratibus et oppido Helmstedte obsidione
cincto; de Suecis a rege Daniae, auxilio ducis Holsatiae, ab eodem oppido
fugatis magnaue clade eis illata etc.
Cfr. El. XXXII, N. 931.
Conc., H B A, B, K. 1186.*

Serenissime Rex etc.

Cum ad officium meum maximopere pertinere existimem, ut ea, quae
S. Regiam Vestram Maiestatem scire velle intelligam, accurate sane diligenterque ad S. Maiestatem Vestram Regiam perscribam, rem non ingratam

S. Regiae Vestrae Maiestati me facturum arbitratus sum, si ipsi et illa, quae hoc tempore de Danicis Suedicisque rebus ad me perlata sunt, communicarem. Sunt autem eiusmodi:

Suecus¹⁾ praeter expectationem cum numerosissimo exercitu in Daniae terram Schöna incursionem fecit ac pleraque incendio vastavit, oppidumque Helmstedte cum quadraginta millibus obsedit. Danorum Rex²⁾, de hoc certior factus, quam primum omnes suas copias viresque ad arcendum hostem contulit. Huic cum Adolphus Holsatiae Dux cum octodecim millibus lectissimorum militum ex Jutlandia subvenisset, coniunctis viribus ab urbe Helmstedte Suecos fugarunt, septem millibus hostium vel ultra prostratis et ad sexaginta tormentis bellicis acceptis. Quaedam etiam maiora Sueci tormenta, cum in fuga per pontem quendam ducerentur, ponte fracto in flumen delapsa dicuntur, quae iussu Regis Daniae ex aqua rursus educta sint. Literis autem quorundam scribitur istos, qui ex Suecis perierunt, omnes rusticos et quidem iuvenes fuisse, eosque pro armaturis bracteis, ex quibus laternae et id genus instrumenta fieri solent, esse usos.

Atque haec sunt, quae S. Regiae Vestrae Maiestati ita, ut ad me perscripta sunt, communicanda esse duxi. Faxit Deus, ut se revera ita habeant. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem Christo omnipotenti incolumem feliciterque ac diu regnantem conservandam humiliter commendo. Datae.

In folio separato: Regi Poloniae. 6 Decembris.

1) *Ericus XIV.*

2) *Fridericus II.*

N. 5683.

S.l., 6.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito et servitore suo Henrico Bogner, qui ligna in silvis Ducatus sui elaborata proximo vere aqua demittere constituit, intercedit et rogat, ut ligna eiusmodi, magna ex parte fluminibus regiis deducenda, «tam a veteribus vectigalibus, quam novis in Lithuania exactionibus, libera esse clementer permittat».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5684.

S.l., 6.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

pro Henrico Bogner (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5685.

S.l., 6.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

pro Melchiore Kirchoff, consule Rigensi, cui frater suus Gulielmus, archiepiscopus olim Rigensis, pro certa pecuniae summa mutuo data praefecturam Lenwart (Linewart) in Livonia iure hypothecario tradidit, intercedit et rogat, ut regem eius rei submoneat, quo nunc, cum Livonia iam Regni Poloniae membrum facta esse dicatur, «Melchior praedictus aut confirmationem hypothecae, aut solutionem debiti consequatur».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5686.

E Regio Monte, 7.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Melchiore Kirchoff, consule Rigensi (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5687.

E Regio Monte, 7.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum pro Caspares a Münster, provinciali olim Livoniae marscalco, ut, «quandoquidem in hisce Comitibus Varschoviensibus acceptatio terrarum Livoniae ab inclito Poloniae Regno futura sit, velit S. Regia Vestra Maiestas optimi huiusce, nihilominus tamen afflicti calamitosique viri clementem rationem habere, ipsumque tandem post tot tantasque miseras benigne sublevare».

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5688.

S.l., 8.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Alexandro a Suchten, medicinae doctore, intercedit et rogat, ut residuum stipendium, quod ei pro servitiis per quadriennium regi praestitis adhuc debetur, ipsi tandem persolvatur.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 932.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5689.

S.l., 8.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

*Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
negotium Alexandri a Suchten, medicinae doctoris, commendat (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1905.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5690.

S.l., 8.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

*Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
nobilem Sebastianum Ciechański, inter notarios Cancellariae suae per annos
aliquot versatum, commendat et rogat, ut auctoritatem suam apud regem
pro eo interponat, quo in numerum notariorum Cancellariae regiae regio-
rumque cubiculariorum ascribatur.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1913.

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5691.

S.l., 8.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

*Martino Zborowski, castellano Cracoviensi,
de clade exercitui Demetrii Wiśniowiecki illata, de ipso Wiśniowiecki in Turciam
abducto et ignominia inde nationi Polonae inflicta vehementer dolet; rogat,
ut de sorte palatini Moldaviae, si quid certi compererit, sibi perscribat;
veniam sibi dari petit, quod per aetatem suam et adversam valetudinem
Comitiis Regni in persona interesse non possit; oratores suos ad Comititia
Regni ablegatos ei commendat.*

Cfr. El. XLI, N. 1903.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Albertus etc.

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

*Etsi multis antea argumentis perspectissimum habemus Magnificentiae
Vestrae erga nos animum promptissimamque illius voluntatem, tamen con-
firmare hoc ipsum Magnificentia Vestra satagit literis suis non humaniter
modo scriptis, sed studii in nos plenissimis. Quae omnia cum ex abundantia
sui in nos amoris proficisci facile animadvertamus, non possumus non eas,*

quas par est, Magnificentiae Vestrae eo ipso nomine gratias agere, vicissimque illi felicitatem eam centuplo uberiores exoptamus, quam tanta affectione nobis precatur.

Quod vero ad Illustrem Dominum Ducem Moldaviae¹⁾ et Dominum Wisniewetzki²⁾ attinet, in eo dolorem animi nostri literis testari satis non possumus. Ut enim casus tantorum virorum nobis est acerbissimus, ita cladem atque ignominiam nationi Polonicae inde illatam dolenter ferimus. Parcat autem Deus illis, qui auctores tanti mali extiterunt, quique parum ea in re pensi habuerunt salutem et commodum Reipublicae Christianae. Utinam facti illius ipsos aliquando paenitere incipiat, ne praecipitata eiusmodi consilia domesticis quoque (quod absit) visceribus nocumento sint. Ac conveniebat quidem maiore in rebus tanti momenti providentia uti, praesertim cum Magnificentia Vestra scribat magno emolumento Moldaviam in feudum Regni Poloniae cessuram fuisse, ut taceamus egregiam operam, quam Dominus Wiesnowietzki contra Moschum navare potuisset. Ac miramur sane, cum de expeditione contra Moschum facienda multae ultro citroque in Regno sint deliberationes habitae, quod proceres Regni in tanta necessitate passi sint egregium illum virum egredi Regno ac praesentissimo se obicere periculo, maxime vero cum intelligerent auxilia illi nulla e Regno subministrari posse. Quod si praemonitus eorum fuisset, non ita misere magna cum Regni Poloniae clade interiisset, essetque meliore etiam loco res ipsius Domini Moldaviae Ducis. Nunc vero, cum sors aliter ceciderit, negligentiam nostram accusabimus. Metuendum est, ne Deus illam ulciscatur.

Quod vero Magnificentia Vestra scribit sibi certo adhuc non constare, mortuus-ne an in vivis adhuc sit Dominus Despota, de eo si quid certi comperit Magnificentia Vestra, communicari nobis amanter petimus. Ut enim sortem illius iniquam condolendo nobis cum Magnificentia Vestra communem facimus, ita nihil nobis salute illius auditu esset gratius.

Quod Magnificentia Vestra nos praesentibus hisce Comitibus Regni interesse optat, facile quidem credimus magno illam visendi nostri desiderio teneri. Verum cum per aetatem et nonnihil affectam adhuc valetudinem itineri nos committere commode nequeamus, veniam nobis daturam esse Magnificentiam Vestram speramus. Amanter autem illam rogatam habemus, cum ante supremum vitae nostrae diem conspectu et colloquio Magnificentiae Vestrae nos oblectare percuferemus, ne gravetur Magnificentia Vestra Warschovia ad nos descendere, siquidem praesentia illius nobis non iucundissima modo, verum instar charissimi hospitis exoptatissima etiam futura esset.

Interim oratores nostros, quos Warschoviam ablegavimus, Magnificentiae Vestrae etiam atque etiam commendamus amanterque petimus, ut qua semper benevolentia nos prosequi consuevit, eadem et negotia in Comitibus hisce iuvet, ut ex iusto et aequo responsum tandem et laetum et optatum accipiamus. Nos illud ipsum quovis bene merendi studio, quoad vixerimus, compensare Magnificentiae Vestrae conabimur. Filium etiam nostrum³⁾ ita instituemus, ut non modo vestigia nostra imitetur, verum etiam si quid a nobis intermissum fuerit, ille Magnificentiae Vestrae eiusque celeberrimae familiae suppleat. Atque haec ad literas Magnificentiae Vestrae respondenda esse ducebamus. Quam felicissime valere et fortunatis rerum omnium successibus gaudere exoptamus. Datae.

In folio separato: Martino Sborowski, die 8 Decembris anno 63.

1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

2) *Demetrius Wiśniowiecki.*

3) *Albertus Fridericus.*

N. 5692.

S.l., 9.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro nobili Melchiore a Lesgewang (Leskewang), subdito suo, ut promissos sibi a rege aliquot mansos silvarum, «iuxta novum quoddam oppidulum ad fines Ducatus mei sitos», consequatur.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

N. 5693.

S.l., 20.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

scribit se libenter cognovisse, sententiam suam de litteris ad regem Daniae mittendis de itinere Ioannis Tęczyński regi non displicuisse, se non dubitare, quin suspicio, a rege Daniae hac in re concepta, ultro et per se omnino exstincta sit; iterum demonstrat, cur in exsecutione legum Polonicarum alia Pruthenorum quam Polonorum ratio habenda sit; nuntiat se ad genus suum, Ioannem Albertum ducem Megapolensem, iam in Ducatum suum profectum, litteras dedisse eumque hortatum esse, ut citissime revertetur et Varsaviam contenderet; militis Germanici ex Livonia dimissionem dissuadet; de duce Erico Brunsvicensi et nonnullis aliis Germaniae principibus sibi nihil constare scribit, sed si aliquis princeps amicus se convenire voluerit, eum a finibus suis prohibere sibi integrum non esse arbitratur.

Cfr. El. XXXII, N. 928.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Ex literis S. Regiae Vestrae Maiestatis, decimo die huius mensis Varschoviae datis, primum hoc non sine voluptate cognovi, non displicuisse S. Regiae Vestrae Maiestati meam sententiam, qua literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, ad Serenissimum Daniae Regem¹⁾ de Comite Tencinensi²⁾ scriptas, Serenitati eius non transmittendas esse censui. Non enim ullo modo dubito, quin omnis suspicio, quam Serenitas eius propterea concipere potuit, ultro et per se iam prorsus extincta sit. Pro mea autem persona S. Regiae Vestrae Maiestati eo nomine ingentes ago gratias, quod ad meam et statuum Regni intercessionem istius Comititis clementem rationem habere non dedignata est, quem omni modo, ne ingratus pro hoc tanto beneficio videri possit, elaboraturum existimo.

Quod etiam pro debita fide mea S. Regiam Vestram Maiestatem non potui non submonere, ut in executione legum Polonicarum alia Pruthenorum quam Polonorum haberetur ratio, id ne S. Regia Vestra Maiestas secus atque a me scriptum est accipiat, enixe vehementerque peto. Etenim quo pacto eiusmodi aequalis executio inter Polonos et Prutenos salva dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis fieri possit, cum Pruteni ob singularem fidem suam, quam Regibus Poloniae sese ultro illis submittentes et postea aliis etiam in rebus constituerunt, aliis ac peculiaribus quibusdam privilegiis aliisque iuribus,

quam Domini Poloni, donati sint aliisque iuribus utantur, ne nunc quidem video, praesertim cum non solum divi maiores S. Regiae Vestrae Maiestatis, sed et ipsa S. Regia Vestra Maiestas illa ipsa Prutenorum privilegia et iura, et quidem amplissimo Regni Senatu consentiente, iure iurando confirmarit ac corroborarit. Fuitque huius consilii mei potissima ratio, quod non libenter volui, ut S. Regia Vestra Maiestas in huiusmodi forte suspicionem, quasi subditorum suorum privilegiis aliquid derogare vellet, incurreret. Verum S. Regia Vestra Maiestas procul dubio in hoc negotio, sicut in ceteris omnibus, una cum amplissimo Senatu suo caute prudenterque statuet. Ego quid in hac re sentirem, S. Regiae Vestrae Maiestati libere aperui, et in hoc mihi veniam a S. Regia Maiestate Vestra dari iterum atque iterum submisce rogo, neque diffido etiam S. Regiam Vestram Maiestatem privilegiorum, cum a divis maioribus suis, tum a se quoque confirmatorum, quam decet rationem habituram atque ut hucusque semper, ita nunc praecipue operam daturam esse, ut largiendo quam capiendo illustrior habeatur.

Illustris Dominus Megapoliae Dux, gener meus³⁾, antequam literae S. Regiae Maiestatis Vestrae huc perferrentur, ad aliquot miliaria erat profectus. Confestim autem literas S. Regiae Vestrae Maiestatis Illustritati eius transmisi eique, ut relicto instituto suo citissime reverteretur magnisque itineribus Varschoviam contenderet, ex sententia S. Regiae Vestrae Maiestatis significavi, ut Illustritatem Suam mox redituram Varschoviamque acceleraturam esse existimem.

Quod etiam S. Regia Vestra Maiestas militem Germanicum, sumptu necessario, qui belli nervus est, deficiente, per hiemem retinere non possit atque adeo ipsa necessitate ad dimittendum ipsum adigatur, auditu mihi minime fuit iucundum. Etsi enim S. Regia Maiestas Vestra in locum istius militis magnam Polonorum manum in Livoniam miserit, tamen et Germanici militis opera S. Regia Vestra Maiestas una cum Polonis non absque fructu et emolumento, ac eius rei principium satis praeclarum praeterita aestate factum est, uti potuisset. Non autem tam dimissionem istius militis quam causam ipsam dimissionis, quod S. Regia Maiestas Vestra, ab omnibus aequae destituta, nullo ad hanc rem sumptu a quoquam adiuvetur, non libenter cognovi. Confido autem maximopere S. Regiam Vestram Maiestatem in hisce Comitibus eam inituram esse rationem, qua tantis difficultatibus maxime consultum fore existimo, idque ut fiat, a Deo ardentibus votis exopto.

De Ducis Erici⁴⁾ et nonnullorum aliorum Principum Germaniae adventu, etsi rumor de eo in vulgus sparsus fuerit, nihil certi quidem ad me allatum hucusque est. Neque etiam scio, an meorum amicorum cognatorumve aliquis me invisere constituerit necne, a me nemo est accersitus. Si vero meorum aliquis amicorum in hac ultima senecta mea ultro suaque sponte me accedere vellet, tum ipsa S. Regia Vestra Maiestas clementer secum perpendat quaeso, quam alienum hoc ab humanitate mea futurum esset, quam omnino indecens, si amicum mihiq[ue] sanguine iunctum Principem, spe bona me accedentem, prohibendum potius a finibus meis quam admittendum familiariterque excipiendum esse ducerem. Quapropter mihi dubium non est, si quisquam me convenire voluerit atque a S. Regia Maiestate Vestra, ut fert consuetudo Principum, transitum petierit, S. Regiam Vestram Maiestatem eo, quo convenit, erga ipsum animo futuram esse. Ego qua fide quaque observantia hucusque in S. Regiam Vestram Maiestatem inclytumque Poloniae Regnum extiterim et adhuc existam, abunde me testatum fecisse existimo. De hoc ne unquam quidem usque ad extremum vitae meae halitum quicquam sum remisurus. Vixi hucusque fidus et nunc vivo vivamque semper et fidus etiam sepeliar. Filium quoque meum⁵⁾, ut se eundem et nunc et post obitum meum

praestet, sedulo fideliterque cum ipse instituam, tum ut per alios quoque instituat, curabo. Interea mihi de S. Regia Vestra Maiestate plane pollicebor, ipsam nihil mali neque de me ipso, neque de Principibus istis, qui me forte convenire possent, suspicaturam. Veniant quicunque velint, ego nihilo minus fidem et observantiam erga S. Regiam Vestram Maiestatem meam salvam atque integram in sepulchrum usque meum deferam. S. autem Regiam Vestram Maiestatem per Deum obsecro, ut vicissim me meumque filium, necnon totum Ducatum meum, una cum subditis meis omnibus, protectioni suae habeat commendatissimum, meosque internuntios, quos nunc iterum ad praesentia Regni Comitia ablegavi, quorumque opera in aliis etiam negotiis vehementer indigeo, iusto optatoque responso ex sententia pactorum, celeberrimo Regni Senatu concludente, citius expediat. Eo mihi gratius in hoc mundo contingere nihil potest. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem, cui omnium rerum felices successus precor, longis temporibus superstitem esse exopto. Datae.

Princeps praesente Cancellario⁶⁾, Friderico a Canitz et Iacobo a Suerin audivit

In folio separato: Regi Poloniae etc., XX Decembris anno etc. 63.

1) *Fridericus II.*

2) *Ioannes Baptista Tęczyński.*

3) *Ioannes Albertus.*

4) *ducis scil. Brunsvicensis.*

5) *Albertus Fridericus.*

6) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5694.

S.l., 20.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro sollicitudine regia de valetudine sua prolixis verbis gratias agit et fidelis subditi principis officia ad extremum usque vitae suae halitum promittit. (Schedula manu propria scripta: excusat se, quod manu propria non scripsit; filium suum, terras et subditos, necnon medicum suum, Alexandrum a Suchten, regi commendat).

(Germanice)

Cfr. El. XXXII, N. 929.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5695.

S.l., 20.XII.1563.

Alberti ducis in Prussia consilarii

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro litteris regis, de valetudine principis ipsorum solliciti, gratias agunt; hoc tempore ducem Albertum solito infirmiore esse fatentur, adeo tamen non aegrotare, quin munere suo adhuc fungatur; se diligenter curare significant, quae ex consilio medicorum recuperandae principis valetudini idonea esse

videntur; principem tamen eorum maxime affici negotiis quibusdam, regi notis, hucusque ex sententia non confectis, ex qua re aegritudinem ipsam magna ex parte exortam esse iudicant.

Cfr. El. XXXII, N. 927.

Conc., H B A, B, K. 1186.

Serenissime Rex etc.

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis, octavo die huius mensis Varschoviae datas, debita cum reverentia accepimus atque ex iis, quae S. Regia Maiestas Vestra de valetudine Illustrissimi Principis ac Domini nostri clementissimi se cognovisse scribit, una cum annexa clementi admonitione (pro qua quidem S. Regiae Vestrae Maiestati ingentes agimus gratias), humillime intelleximus.

Ad valetudinem Illustrissimae Celsitudinis Suae quod attinet, scimus sane et una cum S. Regia Vestra Maiestate dolenter ferimus, Illustrissimam Celsitudinem Suam hoc tempore solito aliquanto esse infirmiores. Adeo tamen, Deo sit laus, non aegrotat, quin munere suo reliquisque officiis ad gubernationem pertinentibus adhuc fungatur. Imo Illustrissima Celsitudo Sua singulis paene diebus (ut vere testari possumus) has voces repetit, nihil se magis ex animo optare neque cupere, quam ut S. Regiae Vestrae Maiestati inclytoque Poloniae Regno ratione aetatis suae multum prodesse utiliterque consulere ac inservire possit. Ac speramus quidem fore, ut Illustrissima Celsitudo Sua id, quod cogitat et pectore volutat, in posterum etiam re ipsa, ut hucusque factum est, Deo adiuvante praestare possit. Ideoque nihil maiori nobis curae est, quam ut ista omnia, quae animum Illustrissimae Celsitudinis Suae vel conturbare, vel a cura valetudinis avocare queant, quantum eius fieri potest, amoveamus. Quicquid etiam ad valetudinem Illustrissimae Celsitudinis Suae recuperandam confirmandamque quoquo modo conducibile nobis videtur, id pro officio nostro ex consilio optimorum quorumque medicorum probe diligenterque curamus atque posthac etiam semper curaturi sumus. Neque etiam Illustrissima Celsitudo Sua ullis gravioribus negotiis adeo movetur, quin ab iis, ratione valetudinis suae habita, possit abstinere.

Inter illa autem, quae Illustrissimam Celsitudinem Suam hoc tempore vel maxime afficiunt, hoc est praecipuum, quod Illustrissima Celsitudo Sua iam tot annis et fere a facta subiectione usque negotia quaedam sua, S. Regiae Vestrae Maiestati notissima, coram S. Regia Maiestate Vestra et amplissimo Regni Poloniae senatu ad iustum finem, foederibus et pactis convenientem, deducere non potuerit. Ideoque ex Illustrissima Celsitudine Sua saepissime audivimus audimusque adhuc paene quotidie, istis negotiis non confectis, nihil sibi prorsus in hac vita iucundum fore, neque animo quieto se hinc discedere posse. Quam ob rem S. Regiam Vestram Maiestatem quanto possumus studio humillime oramus, velit se tandem erga Illustrissimam Celsitudinem eius clementi expectatoque responso ex sententia omnium ordinum Regni, secundum literam pactorum, ex praesentibus hisce Comitibus per legatos Illustrissimae Celsitudinis eius declarare.

Hoc si S. Regia Vestra Maiestas, uti speramus, fecerit, non solum Illustrissimam Celsitudinem eius maxima cura atque molestia, ipsaque aegritudine, quae magna ex parte inde exorta est, aliquo modo relevabit, verum et vitam Illustrissimae Celsitudinis eius, Deo propitio, per aliquot adhuc annos prorogabit. Illustrissima autem Celsitudo eius tantum beneficium, quoad vixerit, grata mente prosequetur, idque de S. Regia Vestra Maiestate inclyto-

que Poloniae Regno cum per se quibus poterit obsequiis subdite promereri studebit, tum accrescentem quoque filium ad parem erga S. Regiam Vestram Maiestatem totumque Regnum fidem et observantiam instituet, et nos quoque eius rei Illustrissimae Celsitudini Suae assidui hortatores erimus. Quorum Illustrissimas Celsitudines S. Regiae Vestrae Maiestati inprimis, deinde et nosmet ipsos, humillimos subditos et servos, reverenter commendamus, eamque annos adhuc plurimos optime valentem felicissimeque regnantem conservari unice precamur. Datae.

Principi, praesentibus Cancellario¹⁾, Friderico a Canitz et Suerino, audienti placuit.

In folio separato: Regi Poloniae nomine consiliariorum Illustrissimi Principis, 20 Decembris anno 63.

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5696.

S.l., 26.XII.1563.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

pro Thoma Coss, cive Regiomontano, qui negotiorum suorum causa, cum Sigismundo Wolski, ensifero Cracoviensi, et quibusdam Iudaeis ei intercedentium, ad Comitata Regni Varsaviensia proficiscitur, intercedit.

(Latine)

Conc., H B A, B, K. 1186.

1564

N. 5697.

S.l., 1.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Balthasare Schleff, subdito suo, actionem aduersus Iudaeum quendam Grodnensem habente, «a quo... malitiose circumventus frustratusque est», intercedit et rogat, ut causam eius, Stanislao Naruszewicz, capitaneo Grodnensi, iam prius a se commendatam, ab eo autem vicecapitano Grodnensi, Nicolao Damazowski, commissam et de uno tempore ad aliud dilatam, iudicari tandem et dirimi iubeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 9-10.

N. 5698.

S.l., 1.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Ostroróg, castellano Międzyrzecensi,

pro salutatione et officiis, per internuntium eius, Ioannem Appium Poley, sibi delatis, gratias agit; significat se eidem internuntio suo facilem ad se aditum concessisse libenterque eum audisse et in negotiis ipsi commissis oretenus respondisse; felicem annum novum ei exoptat.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1902.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 11-12.

N. 5699.

S.l., 1.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Mączyński, secretario Nicolai Radziwiłł «Nigri»,

commendat negotium Balthasaris Schleff, subditi sui (cfr. N. 5697).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 10-11.

*Albertus dux in Prussia
senatui Posnaniensi*

de arbitris ad causam, quae Ioanni Daubmann, typographo Regiomontano, cum heredibus defunctae viduae Eustathii Trepka intercedit, amicabiliter componendam constitutis, et de tractatione frustra ab ipsis tentata refert et postulat, ut heredibus defunctae viduae de iure serio iniungant, quo typographo suo sine mora satisfaciant.

Cfr. El. XLV, NN. 134, 140, 141, 142.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 13-14.

Senatui Posnaniensi, VII Ianuarii.

Famati, Discreti ac Prudentes, syncere nobis dilecti.

Certiores redditi sumus a praesentium exhibitore, typographo nostro Ioanne Daubmanno, quid vos anno superiore ad negotium ipsius, quod habet cum relictis et nunc defuncta vidua Eustachii a Trepkau¹⁾, responderitis. Cum autem responsum id tale fuerit, ut ipse debitum hucusque suum consequi non potuerit, ideoque qua ratione hoc negotium inter dictam viduam et typographum nostrum actum sit, perscribendum vobis esse existimavimus.

Constituti primum fuerunt utrinque arbitri, qui causam hanc amicabili tractatione componerent, consilarii nostri Wenceslaus Schack et Balthasar Gans, secretarius noster, una cum aliis ad illam transactionem deputatis, nempe cum Bartholomeo Richaw, secretario civitatis nostrae Regiomontanae, et Eustachio Lybas a parte typographi nostri, Ioannes Seclucianus vero, concionator Polonicus etc., et N., affinis viduae, civis Bosnaniensis, a parte altera. Frustra autem ista tractatio tentata fuit. Ipsa enim vidua, dubitans maritum suum tot libros accepisse, postulavit ab ipso typographo nostro, ut a servitore suo, qui istos libros marito suo tradidisset, eius rei testimonium aliquod sufficiens afferret. Recepitque, quicquid se sub iuramento enuntiasset, se marito Trepkau tradidisse, id se bona fide soluturam esse. Cum itaque istud servitoris sui testimonium non levibus sane impensis (quod is multis abhinc miliaribus consederit) typographo nostro fuerit petendum, solutio tamen non sine magno ipsius detrimento longius differtur, idcirco clementer gratioseque cupimus, velitis heredibus de iure serio iniungere, ut typographo nostro citra longiorem procrastinationem ex sententia testimonii satisfaciant. Facturi rem iustitiae convenientem et a nobis gratia clementiaque nostra compensandam. Datae etc.

E[noch] B[aumgartner]

1) Anna.

Albertus dux in Prussia

Gabriel Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

pro gratulatione de recuperata valetudine sua et novitatibus sibi communicatis gratias agit; de gestis comitis ab Artzen, aliquot arcium in Finlandia gubernatoris, de quibus etiam a duce Finlandiae sibi scriptum est, dolet; de sorte

Demetrii Wiśniowiecki et Comitiorum Regni Varsaviensium processu accuratius edoceri cupit; scribit aliqua nova de regibus Daniae et Sueciae et de duce Finlandiae adhuc superstite etc.

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 256.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5702.

S.l., 12.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Appio Poley

postulat, ut scripta quaedam sibi commissa oratoribus suis, ad Comitua Varsaviensia missis, remittat.

(Germanice)

Cfr. El. XLV, N. 173.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5703.

S.l., 13.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat ducem Finlandiae captivum salvum et incolumen visum esse in ea navi, qua in Sueciam abductus est; ducissam vero Gripsholmii in custodia teneri; suadet, ut de liberatione captivorum per electorem Brandenburgensem, Henricum ducem Brunsvicensem, landgravium Hassiae et duces Pomeraniae, qui magna auctoritate apud regem Sueciae esse dicuntur, agat; de pacificatione inter reges Daniae et Sueciae si quid certi compererit, se eum celaturum non esse promittit.

Cfr. El. XXXII, NN. 926, 931.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 14-16.

Regi Poloniae, XIII Ianuarii.

Binas S. Regiae Maiestatis Vestrae literas, diverso tempore datas, simul accepi. Quarum alteris S. Regia Maiestas Vestra consilium a me expetit, quid in causa Illustrissimi Ducis Finlandiae¹⁾ captivi faciundum censeam, et si quid certi de eius Principis statu et fortuna habeam, S. Regiae Maiestati Vestrae ut communicarem, tum ut auctoritatem meam ad Regem Suetiae²⁾ tam pro ipso Duce, quam pro Illustrissima ipsius coniuge³⁾ interponam. Principio igitur S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, quod internuntius quidam Danicus, qui nudius tertius hinc discessit, pro certo asseruit Illustrissimum Ducem Finlandiae adhuc superstitem esse ipsumque una cum Illustrissima coniuge, quae unam duntaxat puellam sive pedissequam penes se habeat, Gripsholmii in custodia teneri. Reliquas vero virgines gynaecei Stockholmium perductas. Addidit insuper is internuntius

se cum iis hominibus locutum, qui viderint Illustrissimum Ducem Finlandiae saluum et incolumem in ea navi, qua in Sueciam perductus est, versantem et obambulantem, nec ullum animi abiecti signum in ipso apparuisse, multo minus de vulnere quicquam innotuisse.

Quod autem S. Regia Maiestas Vestra postulat, ut meam ad Regem Sueciae auctoritatem pro captivis Principibus interponam, in eo libenter et promptissime S. Regiae Maiestati Vestrae morem gerere vellem, si quo modo recte commodeque fieri posset. Verum S. Regia Maiestas Vestra ex consiliariis meis istic intelliget, qualis nunc sit mea apud eum Regem auctoritas, qui me pro publico suo hoste habet. Quare consultum mihi videtur maxime, ut S. Regia Maiestas Vestra hoc ipsum per Illustrissimos Principes Electorem Brandenburgensem⁴⁾, Henricum Ducem Brunsvicensem, Landgravium Hassiae⁵⁾ perque Pomeraniae Duces⁶⁾, qui magna auctoritate apud Suecum esse dicuntur, expediundum curet. Quorum petitionibus haud dubie locus dabitur. Quod si S. Regia Maiestas Vestra non integrum sibi putaverit ab his Principibus hoc ipsum petere, mihiq; id negotii iniungere dignabitur. Non gravabor ipse, quanto possum studio et diligentia, Illustritates eorum ad hanc rem inducere.

Alteris literis S. Regia Maiestas Vestra postulat, ut cum certi aliquid de pacificatione Regis Daniae⁷⁾ cum Sueco habuero, eidem communicare velim. Quare etsi mea sponte hoc facturus eram, tamen haec S. Regiae Maiestatis Vestrae adhortatio efficit, ut diligentius his rebus operam sim daturus, et si quid eorum comperero, S. Regiam Maiestatem Vestram minime celaturus. Quicquid enim pro honore et commodo S. Regiae Maiestatis Vestrae praestare possum, in eo operam meam fidelem non patiar desiderari. Commendo S. Regiam Maiestatem Vestram Deo Optimo Maximo longis temporibus salvam, incolumem et florentem conservandam. Datae.

Constantinus Sylvius

1) Ioannes.

2) Ericus XIV.

3) Catharina Jagellonica.

4) Ioachimus II.

5) Philippus I.

6) Barnimus IX et eius nepotes.

7) Fridericus II.

N. 5704.

S.l., 13.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Zacharia Stopio, artis medicae licentiato, qui fratri suo Gulielmo, archiepiscopo Rigensi, «quoad in vivis fuit, in curando operam fidelem diligentemque praestitit», et nunc, archiepiscopo defuncto, non habet unde se suosque sustentet, intercedit et rogat, ut ipsi rex, ad quem archiepiscopatus Rigensis nunc rediit, quodammodo prospicere dignetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 17-19.

N. 5705.

S.l., 13.I.1564.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

pro litteris eius, 18.XII.1563 a. datis, et litteris reginae Catharinae sibi missis, necnon pro novitatibus ex Comitibus Varsaviensibus gratias agit; ob tardiores earum missionem tanta excusatione opus non fuisse scribit; litteras ad reginam mittit. (Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5706.

S.l., 27.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, Regni consiliariis pro Iacobo Pretwicz, capitaneo Trembovlensi, intercedit et rogat, ut bona quaedam eius in Podolia sita, patri olim ipsius [Bernardo] a rege donata, quae nunc una cum ceteris bonis, secundum communem executionis legem, ad fiscum regium reposcuntur, ab executione libera esse possint («cum ista bona duplici nomine, cum quod patri ipsius ob merita sua non vulgaria... concessa, tum quod intra fines Regni Poloniae non sint sita, a ceteris nonnihil differre videantur»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 19-20.

N. 5707.

S.l., 27.I.1564.

Albertus dux in Prussia

Iacobo Pretwicz, capitaneo Trembovlensi,

litteras eius, Varsaviae 12.I. datas, per servitorem ipsius Mazowiecki sibi redditas esse nuntiat; pro benevolentia patri eius olim exhibita tanta gratiarum actione opus non fuisse scribit; propter aerarii sui angustiam 400 aureos se ei nunc mutuo dare non posse respondet; item inter aulicos filii sui, propter completum iam aulicorum eiusdem numerum, se eum recipere nequire significat.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1907.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5708.

S.l., 3.II.1564.

Albertus dux in Prussia

Aemilio comiti Malvetio

vehementer miratur Horatium Curionem, in negotio quodam Venetias missum, datae sibi instructionis limites excedere ausum esse; pro rerum quarundam remissione et missione munerum gratias agit; 80 aureos, quos «parum fidus iste Horatius» nec iussu nec permissu suo ab eo mutuo acceperit, se

ei, etsi ad hoc non teneatur, redditurum esse nuntiat; suadet, ut in posterum non solum ipse sibi a Curione caveat, sed etiam alios Italiae procures de illo praemoneat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 21-23.

N. 5709.

S.l., 12.II.1564.

Albertus dux in Prussia

Christophoro (in ms. Stanislao) Lasota

litteras eius, 25.I. Varsaviae datas, propensae eius erga se voluntatis plenas, se accepisse nuntiat; negotia sua apud regem promovenda commendat; pro cane Britannico sibi dono misso gratias agit.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1908.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5710.

S.l., 13.II.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

victoriam de Moscovitis, ab exercitu regio reportatam, gratulatur; hortatur tamen regem, ut in posterum etiam rebus suis caute invigilet, neve hac victoria elatus nimis securus sit; consulit, ut de unione Lithuanorum cum Polonis nihil intentatum relinquat; orat, ne rex in negotio coadiutoris Rigensis properanter quid constituat et «lubricum» eius factum clementia potius et lenitate quam stricto iure prosequatur; pro spe successionis in archiepiscopatum Rigensem, filio Ioannis Alberti ducis Megapolensis, generi sui, facta, gratias agit.

Cfr. El. XXXII, N. 929.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 23-27.

Regi Poloniae, XIII Februarii.

Etsi libenter pro officii mei debito has ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas manu mea propria scriptas dedissem, tamen cum S. Regia Vestra Maiestas clementer me monere dignata est, ut valetudinis meae rationem haberem mihi que a scribendo temperarem, non indigne S. Regiam Vestram Maiestatem laturam esse spero, si quid hac in re peccatum a me fuerit. Inprimis autem gratulor S. Regiae Vestrae Maiestati de victoria, quam caesis aliquot Moschorum millibus exercitus S. Regiae Maiestatis Vestrae consecutus est. Faxit Deus, ut talis fortuna ad frangendas hostis immanissimi vires hominibus S. Regiae Vestrae Maiestatis perpetua sit, ut si non prorsus deleri illae fortiter, tamen reprimi possint. Sicut autem successus hic laetissimus S. Regiae Vestrae Maiestati accidit, ita diligenter providendum esse censeo exercitumque S. Regiae Vestrae Maiestatis monendum, ut rebus suis caute

invigilet, ne si Moschus¹⁾ hac clade offensus in vindictam excandesceret, viresque omnes suas in eundem terrasve S. Regiae Vestrae Maiestatis converteret, incautum illum opprimat, aut victoria elatum nimis securum offendat. Cum enim hostis iste multitudinem hominum abundet, dubium non est ipsum iacturam hominum caesorum leviter parvique facturum deque ultione cogitaturum esse. Itaque praestat in tempore hac de re praemonere exercitum S. Regiae Vestrae Maiestatis et auxiliares illi copias submittere, ne si cum validiore manu proelium committendum sit (ut est belli alea anceps), fortuna vultu mutato victoriam (quod absit) Moscho largiatur. Quae res cum non sine enormi periculo Regni terrarumque S. Regiae Maiestatis Vestrae futura esset, minime dubito S. Regiam Vestram Maiestatem, etiam me non monitorum, iam in eas cogitationes incumbere, ut quid expediat ad rem bene feliciterque gerendam, sit curatura. Illud tamen non rogandam modo S. Regiam Maiestatem Vestram, sed pro fide mea consulendum illi esse duxi, ut de unione Lithuanorum cum Polonis nihil intentatum relinquat, omnemque lapidem moveat, ne infecta re ex Comitibus²⁾ discedatur. Non enim facta unione, quivis sanae mentis homo et Regni Poloniae et Magni Lithuaniae Ducatus detrimentum inde certissimum quasi conicere potest. Si enim (quod Deus avertat) Lithuani in pugna contra Moschum occumberent, actum esset cum Lithuania. Si novas seu auxiliares Poloni ferre vires illius detractarent, neque ipsi quoque tum Poloni post eam cladem a periculo alieni essent futuri. Quam ob rem unicam hanc praecipuamque curarum hoc tempore S. Regiae Vestrae Maiestati esse debere ipsa facile per se intelligit, videlicet ut gentem utramque, et Polonam et Lithuanam, ad societatem unius corporis quibuscunque poterit rationibus permoveat, neutramque ex Comitibus dimittat, nisi unione prius facta. Quemadmodum prudentius me haec omnia S. Regiam Vestram Maiestatem iam pridem secum examinasse ac deliberasse minime dubito.

De negotio Ducis Christophori³⁾, deque interceptis literis Regis Sueciae⁴⁾, ad eundem Ducem scriptis, internuntii istic mei quaedam mihi communicaverunt. Qua in re non possum non Ducis Christophori vicem dolere. Utut autem haec se habent, maiorem in modum oro, ne quid S. Regia Vestra Maiestas properanter eo in negotio constituat, sed illud in primis pensi habeat, plurimum S. Regiae Vestrae Maiestatis interesse, ut hisce periculosis temporibus Regni terrarumque suarum tranquillitati et paci consulat atque illud expendat, quid Suecus Livoniae et Prussiae detrimenti inferre possit. Itaque lubricum Ducis Christophori factum non stricto iure, sed regia illa, qua excellit, lenitate, placabilitate et clementia potius prosequatur, easque rationes pro sua singulari providentia et prudentia ineat, ne nova incommoda Regno terrisque S. Regiae Vestrae Maiestatis prioribus accrescant.

Illustris Dominus Ioannes Albertus Dux Megapolensis, gener meus, honorificam suis ad me literis mentionem facit de successionis spe filio⁵⁾ Suae Illustritatis in archiepiscopatum Rigensem facta. Quo nomine non possum non maximas S. Regiae Vestrae Maiestati gratias agere, siquidem non commune tantum mihi beneficium hoc regium facio, sed fere quasi proprium duco, cum S. Regia Maiestas Vestra suam gratiam in eum contulerit, qui ex filia⁶⁾ mihi et nepos et instar filii charus est. Quam S. Regiae Maiestatis Vestrae erga me meosque clementiam singularem planeque regiam non modo confirmari, sed genero meo eiusque filio S. Regiam Vestram Maiestatem et benignissimum et liberalem porro etiam Regem esse enixe peto, ita sane, ut omnes intelligant S. Regiam Maiestatem Vestram, sicut hactenus fecit semper, familiae Megapolensi et Brandenburgicae prae ceteris favere, et a cura iureque protectionis Rigensis archidioecesis nihil remisisse, sed optime

illi per omnia consultum velle. Hac re S. Regia Vestra Maiestas nominis sui celebritatem egregie amplificabit ac familiam Megapolensem omnesque eos, qui propinquitatem illam attingunt, sibi addictissimos devinctissimosque redditura est. Qui in demerenda S. Regiae Vestrae Maiestatis gratia procul dubio se gratos memoresque eius beneficii per omnem occasionem praebituri sunt. Ego quoque quibuscunque fidelitatis et obsequii generibus potero, gratitudinis illius studiosissimus esse nunquam intermissurus sum. Quod reliquum est etc.

Ex relatione D. Cancellarii⁷⁾
A. Monzerus

- | | |
|---|---|
| <p>1) Ioannes IV Basilides, m. dux Moscoviae.
2) scil. ex Comitibus Regni Varsaviensibus (22.XI.1563-1.IV.1564)
3) dux Megapolensis, coadiutor Rigensis.
4) Ericus XIV.</p> | <p>5) Ioannes Albertus dux Megapolensis duos habuit filios ex Anna Sophia, filia ducis Alberti, procreatos: Ioannem (natum a. 1558) et Sigismundum Augustum (natum a. 1561).
6) Anna Sophia, ducissa Megapolensis.
7) Ioannes a Kreitzen.</p> |
|---|---|

N. 5711.

S.l., 13.II.1564.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro sollicitudine de valetudine sua et novitatibus sibi communicatis gratias
agit; nuntiat alium ad se rumorem de Polocia recens allatum esse, scil.
arcem illam a Mosco non esse captam et magnam de illo victoriam a nostris
reportatam.
(Germanice)
Cfr. El. XLIII, N. 257.
Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5712.

S.l., 13.II.1564.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
pro litteris eius, 26.I. Radomiae datis, et litteris suis reginae reverenter redditis
gratias agit; alias litteras reginae tradendas mittit; felicitatis anni novi exopta-
tionem sibi gratam fuisse nuntiat; ex litteris eius, ad burggraviatum suum
Regiomontanum [Christophorum a Kreitzen] missis, se cognovisse, quid
elector Moguntinus [Daniel Brendel ab Homburg] in Comitibus Imperii de
negotio suo (id est ducis Alberti) dixerit et quid elector Brandenburgensis
[Ioachimus II] ei responderit.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

monet et hortatur regem, ut — cum miles Germanicus iam dimissus sit et rex Sueciae arcem Lode in Livonia denuo obsederit — quam primum alios exercitus, sive Polonos sive Lithuanos, contra Suecum in Livoniam mittat, nec terram illam hosti praedam relinquat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 27-29.

Regi Poloniae, XVI Februarii.

Illustris Churlandiae Dux¹⁾ literis suis certiore me fecit S. Regiam Maiestatem Vestram militem Germanicum, quem per aliquot menses in Livonia aluit, numerato stipendio tandem dimisisse, atque Suecorum Regem²⁾ (fortasse eo cognito) cum quatuor maioribus machinis bellicis et mediocri exercitu arcem Lode denuo obsedissee, eundemque omni hostili conatu annisurum, ut inde prius quam eam expugnaret, non discedat atque ita deinceps reliquas etiam Livoniae urbes et arcas sub potestatem suam redigat. Etsi autem non dubitabam S. Regiam Vestram Maiestatem et antea haec cognovisse, et quod ad reprimendos hostiles hosce Sueci impetus ipsa prorsus necessitas postularet, per se, me non submonente, diligenter provisuram, tamen fides mea, quae me de salute S. Regiae Vestrae Maiestatis non cogitare et quod ad eam conferre posse videtur, non consulere nunquam sinit, hoc plane a me exigebat, ut S. Regiae Vestrae Maiestati, quicquid huius ad me perscriptum esset, confestim communicarem.

Rogo itaque S. Regiam Vestram Maiestatem etiam atque etiam maiorem in modum, adeoque etiam moneo et adhortor, cum iam militem Germanicum dimiserit, ut quam primum alios quoscunque exercitus, sive Polonos sive Lituanos, modo se defensores potius quam hostes praebeant, adversus Suecum in Livoniam mittat, nec eam terram (in quo dignitas S. Regiae Vestrae Maiestatis haud parum periclitatura esset) hosti praedam obiciat, ipsumque ita impune libereque grassari patiat. Suaderem id pluribus, nisi arbitrarer S. Regiae Vestrae Maiestati (ut quae, quantum in eo situm sit, non ignorat) ultro hanc rem cordi fore, ipsamque cum dignitatis suae regiae tum afflictissimorum Livonum, qui se defensioni et tutelae S. Regiae Vestrae Maiestatis subiecerunt, summam rationem habituram esse. Ego Deum immortalem ardentibus votis oro, ut S. Regiae Vestrae Maiestatis conatus fortunet eisque felices eventus largiatur. Tandem S. Regiam Vestram Maiestatem (cui me meaque subdita officia humiliter commendo) plurimis adhuc annis incolumem conservari exopto. Datae.

Iussu Cancellarii³⁾, idem audivit
Audivit et Princeps
E[noch] B[aumgartner]

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ericus XIV.*

3) *Ioannes a Kreitzen.*

S.l., 17.II.1564.

*Albertus dux in Prussia**Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,*

pro Ioanne Buchholtz, cive Regiomontano, cui cum socru sua Anna, olim Stephani Kochel, nunc Melchioris Pruski, civis Vilnensis, coniuge («a qua sibi vestes suas fere omnes et nonnulla alia vi et praeter ius et aequitatem ablata esse et adhuc retineri conqueritur») controversia est, intercedit et rogat, ut dictam eius socrum ad ablatorum restitutionem pro officio suo adigat.

*(Latine)**Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 29-30.*

E Regio Monte, 24.II.1564.

*Albertus dux in Prussia**Sigismundo Augusto regi Poloniae*

pro Matthaeo Iudice (Richter), concionatore in oppido Wschowa, intercedit et rogat, ut — cum civitas Wschovenss per multos inde annos certo aliquo et confirmato parcho caruerit — vigore iuris patronatus parochiam Wschovensem cum omnibus redditibus et pertinentiis ei conferat et hortum, ad Franciscanorum monasterium olim pertinentem, nunc propter incendium desertum et incultum, ei adiungat (cfr. N. 5534).

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 32-34.

Regi Poloniae, XXIII Februarii.

Præsentium exhibitor literarum, Venerabilis ac pie eruditus, sincere mihi dilectus Matheus Iudex, concionator Fraustadiensis, submissee a me vehementerque petiit se literis meis ad S. Regiam Maiestatem Vestram commendari, quod speret se non mediocriter iis adiutum iri. Itaque cum res sit eiusmodi, quae ad honorem Dei Optimi Maximi et ad Ecclesiae christianae incrementum spectet, non potui ei petenti hoc officii genus commode denegare. A S. autem Regia Maiestate Vestra petiturus est, quoniam Respublica Fraustadiensis per multos inde annos nullum aliquem certum et confirmatum parochum sive plebanum habuit, ut S. Regia Maiestas Vestra (ad quam ius patronatus eiusdem ecclesiae pertinet, cum nullius peculiaris Episcopi iurisdictioni subiecta sit) ipsi parochiam cum debitis suis redditibus et pertinentiis omnibus clementer conferre et confirmare dignetur. Quod ut S. Regia Maiestas Vestra faciat ipsumque voti sui compotem reddat, etiam atque etiam vehementer et obnix ore. Ipse enim in vera doctrina christiana non modo recte institutus est, sed eam quoque aliis commode tradere et feliciter docere potest, ut taceam, quod plebs eum libenter et cupide praedicantem audiat. Quae res ad colendam et propagandam vineam Domini plurimum sane momenti habet. Quare nihil dubito, quin S. Regia Maiestas Vestra, sine mea etiam intercessionem, ipsum hoc officio dignum iudicatura et precibus eius clementer locum factura sit.

Significavit mihi praeterea idem Mattheus Iudex hortum quendam, olim ad monasterium Franciscanorum pertinentem, nunc propter conflagationem desertum et incultum iacere (siquidem monachi, post ortum ex ipsorum negligentia incendium, fugam arripientes coenobium totum deseruerunt). Eum hortum ut S. Regia Maiestas Vestra ad parochiam (quae alioqui exiguos redditus habere dicitur) adiungere et eodem ordinare velit, iterum maximopere petit et contendit. Qua in re ut S. Regia Maiestas Vestra illi quoque clementer gratificetur, obnixae maioremque in modum peto. Ac vicissim S. Regiae Maiestati Vestrae omne meum studium, operam et officia sedula polliceor atque defero. Deus omnipotens S. Regiam Maiestatem Vestram diutissime custodiat eiusque consilia omnia fortunet. Datae etc.

Constantinus Sylvius

N. 5716.

S.l., 5.III.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

ad se perlatum esse nuntiat esse quosdam, qui arces et praefecturas nonnullas ab archiepiscopatu Rigensi alienare conentur; hortatur itaque regem, ut operam det, quo privilegia dioecesis istius salva atque inviolata conserventur.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 34-35.

Regi Poloniae, V Martii.

Perlatum ad me est esse qui hanc rem agant, quomodo arces et praefecturas quasdam ab archidioecesi Rigensi alienent. Cum autem ab ipsa archidioecesi hucusque honorificentissime gloriatum sit, S. Regiam Vestram Maiestatem non solum ipsius privilegiis pro sua persona nihil detraxisse, verum etiam ea ita, ut nihil in hunc casum vel de aliis quoque unquam suspicandum sit, literis sigilloque confirmasse, clementiamque suam haud levibus sumptibus contra Ordinem in Livonia contestatam esse, vehementer S. Regiae Vestrae Maiestati suadeo hortatorque sum, ne id, quod quidam conari dicuntur, permittat ac in eo, regiae dignitatis suae Principisque protectoris officii ratione habita, omnino operam det, ut privilegia archidioecesis istius salva ac inviolata conserventur. Hoc pacto S. Regia Vestra Maiestas et existimationi suae optime consulat et ego, si in optimam haec partem accepta intellexero, maximo me beneficio a S. Regia Vestra Maiestate (quam Ihesu Salvatori etiam atque etiam commendo) affectum esse fatebor. Datae etc.

Audivit Princeps et Canicius
Cancellarius¹⁾ legit
E[noch] B[aumgartner]

1) Ioannes a Kreitzen.

N. 5717.

S.l., 7.III.1564.

Albertus dux in Prussia

Gregorio Chodkiewicz, castellano Trocensi,

Winholdum Sibener Wolterowitz, quem inter Cancellariae suae scribas recipere se non posse scribit (cum «usitatum numerum scribarum» iam completum habeat), commendat, notitiam linguarum eius laudat («cum non modo Latinae et Germanicae, verum etiam Ruthenicae et Polonicae linguae cognitionem habeat») et rogat, ut in numerum servitorum suorum eum accipiat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 35-36.

N. 5718.

S.l., 14.III.1564.

Albertus dux in Prussia

reginae Angliae [Elisabeth]

pro navis cuiusdam suae, anno superiore in Galliam missae et ab hominibus eius interceptae, dimissione gratias agit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 36-37.

N. 5719.

S.l., 17.III.1564.

Albertus dux in Prussia

palatino Masoviae [Stanisław Ławski]

pro subdito suo Iacobo Velin, ut partem hereditatis, ad uxorem ipsius ex morte parentum in pago Rogienice districtus Lomzensis olim habitantium devolutam, eo facilius minoribusque cum impensis consequi possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 37-38.

N. 5720.

S.l., 20.III.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Alexandro Ruszkowski (de Rauschki), cui praeterita aestate in praesentia sua et Achatii Czema, palatini Marienburgensis, annuum stipendium ad vitae tempora a rege assignatum est, intercedit et rogat, ut litteras et diplomata huius regiae promissionis et provisionis annuae tandem ei impertiat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 40-41.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Ioannem Tastium, archiepiscopi Rigensis Gulielmi olim secretarium, commendat et rogat, ut ei beneficium aliquod in archidioecesi Rigensi, cuius obtinendi spes tam ab archiepiscopo defuncto quam a rege ipso ei facta erat, conferre dignetur.

Cfr. El. XXXII, N. 940.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 43-45.

Regi Poloniae, mutatis mutandis Vicecancellario, Nicolao Radziwil, XXVII Martii.

Multis mihi nominibus commendatus est vir doctus et honestus Ioannes Tastius, Reverendissimi quondam atque Illustrissimi Domini Archiepiscopi Rigensis, fratris mei charissimi piae ac inclitae memoriae¹⁾, secretarius, cum ob fidem, studium et industriam singularem, quam in obeundis negotiis Illustritatis Suae vitae tempore omni actionum genere praestitit, tum vero quod et meapte sponte in eum prolixa et benevola animi voluntate propendeam. Hic itaque cum submissem ad me referret, factam sibi a defuncto Reverendissimo Principe suo, antequam superiore autumno ad Comitium Petricoviensia²⁾ iret, in gratiam suscepti eius itineris, in primis vero meritorum, integro ante quadriennio Illustritati Suae totique archidioecesi praestitorum, alicuius in eadem archidioecesi beneficii spem et expectationem, absente vero se et occupato Petricovii negotiis Principis sui, Illustritatem Suam ex hac vita evocatam³⁾, eaque ratione datam promissorum fidem executioni non mandatam esse, non potui hac in parte bono viro, hoc etiam atque etiam humiliter a me flagitanti, apud S. Regiam Maiestatem Vestram precibus et intercessione mea deesse, hoc praesertim inde superintellecto, ostensam sibi, id apud S. Regiam Maiestatem Vestram dolenter conquerenti, assequendi eius beneficioli spem in dictis proxime Petricovii Comitibus, taleque responsum per Reverendum ac Magnificum Dominum Petrum Miskowski, Regni Vicecancellarium, nomine et iussu S. Regiae Maiestatis Vestrae sibi datum, effectum sibi clementissime hoc negotium a Maiestate Vestra Serenissima fore in hoc praesenti Warsoviensi Conventu⁴⁾, iteratam quoque eam munificentiae et pietatis S. Regiae Maiestatis Vestrae expectationem Rigae per legatum suum, Reverendum Dominum Narkuski, scedulaque speciali inter alia nomine Maiestatis Vestrae hoc sibi cautum.

Rogo itaque S. Regiam Maiestatem Vestram ea qua debeo reverentia, ut hac intercessione et commendatione mea adducta, hunc Reverendissimi Domini Archiepiscopi ministrum et secretarium clementissime sibi hoc nomine commendatum habere, speratoque et promisso beneficiolo in loco archidioecesis, quem et commodum et opportunum S. Regiae Maiestati Vestrae designabit, benignissime ornare dignetur. Consuletur in eo fidei et existimationi defuncti Principis, fratris mei charissimi, satisfiet et promissioni S. Regiae Maiestatis Vestrae, Petricovii et Rigae datae, denique collocabitur non male officium in hominem erga Rempublicam Livonicam tot annis bene meritum, quem suo item proemio ob toleratos in hac Livoniae ad S. Regiam Maiestatem Vestram translatione arduos labores nemo non dignum iudicat.

S. Regiam Maiestatem Vestram hisce longissimis vitae curriculis auspicatissimisque semper Imperii successibus Deo Optimo Maximo devote commendans. Datae etc.

1) *Gulielmus.*

2) a 30.XI.1562 usque ad 25.III.1563 a. celebrata.

3) *archiepiscopus Gulielmus obiit 4.II.1563 a.*

4) *Comitia Regni a 22.XI.1563 usque ad 1.IV.1564 a. Varsaviae peracta.*

N. 5722.

S.l., 27.III.1564.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Ostroróg, castellano Międzyrzecensi,
nuntiat Fridericum a Kanitz, consiliarium suum, litteras eius sibi reddidisse et
negotium ei commissum diligenter confecisse; equum, quem petiverat, ei
dono mittit.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1911.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 41-42.

N. 5723.

S.l., 29.III.1564.

*Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislao Ławski]
pro subditis suis, villae Prustki incolis, quibus ab incolis villae Boguszyn (Bogussen)
in silvis et nemoribus eorum plurima damna inferuntur, intercedit et rogat, «ut
Boguschensibus imperet, ne positas a commissariis metas porro transgre-
diantur, et si quid nostris subditis ab ipsis ereptum aut damni datum fuerit,
ut id ipsum sarciant meritasque eo nomine poenas luant».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 45-46.

N. 5724.

S.l., 6.IV.1564.

*Albertus dux in Prussia
Osvaldo Baldner, armifactori regio,
aliquot arma sibi confici eorumque pretia indicari petit.*

(Germanice)

Cfr. El. XLV, NN. 175, 176.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5725.

S.l., 8.IV.1564.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
pro Ioanne ab Hoiten, capitaneo Rastenburgensi, qui creditoribus Casparis a*

Münster, provincialis olim Livoniae marscalci, fidem suam obligavit, acceptis a marscalco certis fideiussoribus, intercedit et rogat, ut auctoritate sua apud regem capitaneum suum ita iuvet, «ne macula aliqua fides illius aspergatur» et ut rex rationes ineat, quibus creditoribus marscalci satisfiat.
(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 47-49.

N. 5726.

S.l., 14.IV.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, Nicolao Radziwiłł «Nigro» et Eustachio Wotłowicz

Ioannem Mączyński Vilnam redeuntem, de negotio Francisci Lismanini ei quaedam relaturum, commendat et rogat, ut nomine suo dicenti clementes aures praebeat, fidem plenam habeat et benigno responso eum expediat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 49-50.

N. 5727.

S.l., 15.IV.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

nuntiat librum Sacrae Scripturae, nuper impensis eius in typographia Brzestensi in lingua Polonica typis editum, sibi a secretario eius, Ioanne Mączyński, redditum esse; licet ipse hunc sanctum librum in eo sermone legere non possit, laetatur tamen Deum his temporibus «tantos suos thesauros Poloniae aliisque eius linguae peritis gentibus exhibuisse»; secretario eius operam suam in negotio ipsius cum Ioanne Daubmann habito exhibere se paratum fuisse significat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 50-52.

Duci in Olyka, XV Aprilis.

Litterae Illustritatis Vestrae una cum exemplo Sacrosanctorum Bibliorum, quae nuper ex typographia Brzestensi impensis Illustritatis Vestrae in lingua Polonica prodierunt, sunt nobis ab eiusdem secretario etc. Ioanne Mączyński redditae. Etsi autem verum quidem est, nos istum vere sanctum et omnibus mundi opibus anteferendum librum legere in eo sermone non posse, tamen nihilominus laetamur vehementer, his tandem ultimis temporibus Deum Optimum Maximum per Illustritatem Vestram tantos suos thesauros Poloniae aliisque eius linguae peritis gentibus exhibuisse. Cuius clementiam ardentibus votis precamur, ut hos tam pios Illustritatis Vestrae labores (quod quidem futurum minime dubitamus) ad divini nominis sui gloriam ac quam plurimorum salutem dirigat. Quod nos in eo genere praestitimus, quanquam id cum hoc Illustritatis Vestrae opere collatum sit perexiguū, tamen studium in eo nostrum Illustritati Vestrae aliisque recte iudicantibus probari est nobis gratum. Id autem omne aeterno Deo uni et trino eiusque Ecclesiae consecramus. Inprimis vero eundem Deum supplices oramus, ut

isti quantulicunque nostri conatus ad reprimendos evertendosque impios istos errores atque haereses, quae ad oppugnandam Filii Dei cum Patre coaeternitatem nunc passim in Polonia pullulare dicuntur, multum ponderis habeant. Vestram profecto Illustritatem omnia sua studia eo, ut ne istae haereses latius spargantur viresque acquirant, directuram Christique causam strenue adiuturam esse certo nobis pollicemur.

Secretarium Illustritatis Vestrae habuimus nobis commendatum, ac si opera ei nostra in negotio, quod cum Daubmanno¹⁾ habuit, opus quoquo modo fuisset, non fuisset ipsi defuturi. Ita autem inter eos convenit, ut quantum cum Illustritatis Vestrae, tum ipsius etiam causa facere vellemus testatum, ea in re facere non esset necesse. De negotiis ad nos per ipsum delatis ex ipso sententiam nostram, sic etiam qui valetudinis nostrae status sit, Illustritas Vestra cognoscet. Tandem Illustritatem Vestram a Deo omnipotenti diu salvam conservari perque ipsam Ecclesiam eius numerumque vere cognoscentium ipsum ad multa millia augeri exoptamus. Datae etc.

Principis commissio propria
Eidem et Doctori Jonae placuit
E[noch] B[aumgartner]

1) Ioannes Daubmann, typographus Regiomontanus.

N. 5728.

S.l., 19.IV.1564.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

pro subdito suo Balthasare Hartmann, cuius patrueli, Nicolao Hartmann, hereditas quaedam Lenzburgi cessit, intercedit et rogat, ut a regina Catharina intercessionem pro eo apud Maximilianum regem Romanorum impetret, qui eum episcopo Herbipolensi commendet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5729.

S.l., 30.IV.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

pro studio et diligentia in expediendis negotiis suis in Comitibus Varsaviensibus adhibita gratias agit; rogat, ut commissiones ad regundos terrarum Prussiae fines, praecipue eam, quae Bratianensem praefecturam spectat, edendas curet et regem submoneat annui stipendii per totum biennium non persoluti; rogat praeterea, ut regem admoneat, quo tormenta bellica cum globis, pulvere bombardico et reliquis attinentiis, expeditione Weierana iam finita, sibi remittat et pecuniam, Caunae ei mutuo datam, sibi restituat; litus maris praefecturae Polangensis contra subitos quosvis impetus muniri petit.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1919.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 52-55.

N. 5730.

S.l., 2.V.1564.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
meliorem valetudinem ei exoptat; de statu valetudinis suae refert; dulcia et amara
mela medica («susse und bittere pomerantzen») dono mittit.
(Germanice)
Cfr. El. XXXII, N. 946.
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5731.

S.l., 2.V.1564.

*Albertus dux in Prussia
Reinholdo Cracau
litus maris praefecturae Polangensis et aliarum duarum (scil. Krettingensis et
Gorzdinensis), ei a rege oppignoratarum, contra subitos quosvis impetus,
praesertim vero contra regis Sueciae incursiones, muniri petit.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5732.

S.l., 5.V.1564.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
exponit rationes, cur 200 lastas cineris et 3 sexagenarios asserum et lignorum,
quae Eustachius Wołłowicz in Ducatum suum transmissurus est, sine telonei
solutione admittere non possit.
(Latine)
Cfr. El. XXXII, N. 938.
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 55-57.*

N. 5733.

S.l., 7.V.1564.

*Albertus dux in Prussia
Abrahamo Kuncewicz (Kontzovitz)
pro Stephano Schutz, cive Caunensi, qui pro Michaelae Gelhor, cive Regiomontano,
aliquando fidem suam in teloneo interposuit, intercedit et rogat, ut eum,
cum dictus Gelhor teloneo iam satisfecerit, fide liberet et a debito absolutum
pronuntiare velit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 57-58.*

N. 5734.

E Regio Monte, 8.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Christophorum Zweifel, praefectum suum Sestnensem (Szesnensem), in negotio quodam suo ad regem proficiscentem, commendat et orat, ut eum voti compotem efficiat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 59.

N. 5735.

S.l., 9.V.1564.

Ioannes a Kreitzen, cancellarius ducis Alberti,

palatino Masoviae [Stanisław Ławski]

negotium Ioannis Kosmowski de hominibus illius profugis se ad principem suum rettulisse nuntiat; edoceri cupit, quibus in locis isti profugi nunc degant.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1918.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 60.

N. 5736.

S.l., 9.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, capitaneo Rogosnensi,

iterum pro subdito suo Valentino Stoll, cive Regiomontano, causam de hereditate Gedani habente, quem iam 24.II.1562 a., 13.VII. et 30.XI.1563 a. ei commendabat (cfr. El. LXXII, N. 5360).

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1853.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5737.

S.l., 10.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro subdito suo, cive Regiomontano Ioanne Buchholtz, cui negotium intercedit cum Melchior Pruski et eius coniuge Anna, dicti vero Buchholtz socru, de rebus ab eadem Anna ei ablati et Vilnae hactenus asservatis.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, NN. 921, 937, 1145, 1182.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 63-65.

N. 5738.

S.l., 10.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,

iterum pro Ioanne Buchholtz, cive Regiomontano, negotium cum Melchiore Pruski et eius coniuge, socru autem sua, civibus Vilnensibus, habente (cfr. N. 5714).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 61.

N. 5739.

S.l., 10.V.1564.

Albertus dux in Prussia

uxori Melchioris Pruski, civis Vilnensis [Annae]

postulat, ne res subdito suo Ioanni Buchholtz, contra ius et aequum ablatas, diutius retineat, sed sine mora et tergiversatione eas ipsi restituat.

(Germanice)

Cfr. El. XXXII, N. 937.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5740.

S.l., 23.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Matthia a Reck, commendatore Doblinensi, a ducibus Iuliacensi et Brunsvicensi sibi commendato, intercedit, ut per gratiam regiam territorium Doblinense in Livonia in possessione sua retinere possit.

Cfr. El. XXXII, N. 955.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 61-63.

Regi Poloniae, XXIII Maii.

Illustres Principes Julicensis¹⁾ et Brunsvicensis²⁾ literis suis ad me missis petiverunt a me vehementer, vellem intercessione mea apud S. Regiam Vestram Maiestatem efficere, ut Venerabilis et Generosus, syncere mihi dilectus Mathias a Regk, territorium Doblinense in Livonia per gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis in possessione sua retinere posset. Non autem me fugit, de hoc ipso territorio inter Illustrem Curlandiae Ducem³⁾ ipsumque praefatum Commendatorem Doblinensem nonnihil esse controversum. Ideoque ego intelligens, quantum oppressae atque afflictae istius provinciae interesset undiquaque dissensionum semina vitari, conatus quidem sum controversiam, de Doblinensi praefectura exortam, placide ac amicabili ratione componere. Verum conatus hosce meos optatus exitus non est subsecutus.

Cum autem neque nunc quidem, quod ad quietem salutemque conquasatae propemodum Livoniae conducibile videtur, possim praetermittere, neque etiam petitioni praefatorum duorum Principum non morem gerere. Ideoque non solum oro petoque S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum, sed etiam suadeo atque hortor, ut S. Regia Vestra Maiestas auctoritatem hac in re suam ita interponat, quo et Illustri Duci Curlandiae satisfiat, et ipsi Commendatori Doblinensi iusta conquerendi causa, quasi nulla sui ac meritorum suorum habita esset ratio, non relinquatur. Quod qua via commodè possit fieri, S. Regia Vestra Maiestas pro singulari sua prudentia facillime statuet. Quae praeterquam quod afflictissimae Livoniae hoc pacto optime consulet ac utrique parti rem gratam praestabit, totam quoque istius Commendatoris Doblinensis familiam, quae non postremae in Ducatu Julicensi auctoritatis est, ad referendam pro hoc beneficio gratiam arctissime sibi devinciet. Ego vero subditis meis officiis de S. Regia Vestra Maiestate id etiam atque etiam promereri studebo. Ihesus Christus S. Regiam Vestram Maiestatem diuturna valetudine optatisque omnium rerum successibus fruentem clementer conservet. Datae etc.

Ex relatione Cancellarii⁴⁾
Idem et Canitius audiverunt, Principi placuit.

- 1) Gulielmus, dux Cliviensis-Juliacensis.
2) Henricus II.

- 3) Gottardus Kettler.
4) Ioannes a Kreitzen.

N. 5741.

S.l., 23.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco, litteras eius, 12 V. Vilnae datas, se accepisse nuntiat et ex eis libenter cognovisse, «palatinum et summum militum Dorptensium praefectum», Mosci tyrannide posthabita, regi Poloniae se dedidisse; sperat fore, ut in posterum quam plurimi exemplum illius sequantur; rogat, ut per occasionem iterum de rebus Mosci scribat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 65-66.

N. 5742.

S.l., 3.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarło, magistro curiae reginae Catharinae, pro binis litteris, 11. et 15.V. Radomia datis, gratias agit; rogat, ut nomine suo pro lectica sibi missa reginae reverentes gratias agat; aliquot equos sibi mitti petit.

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, NN. 260, 261.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5743.

S.l., 6.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Valentino Dembiński, R.P. cancellario,

de Regni Poloniae supremi cancellarii dignitate in eum collata gratulatur; Sebastianum Ciechański, aliquandiu inter notarios Cancellariae suae sedulam operam navantem, nunc vero in numerum regionum cubiculariorum cooptatum, commendat.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1924.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 75-76.

N. 5744.

S.l., 6.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

pro studio et diligentia in conficiendis negotiis suis adhibita gratias agit; timet, ne — si commissiones ad regundos fines sibi missas tantisper apud se retineat, donec Bielscensia et Parczoviensia Comitata finiantur — eiusmodi mora robori illarum aliquid detractura sit; sententiam eius hac in re exposcit.

(Schedula: negotium Valentini Stoll apud regem promoveri petit).

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1919.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 73-75.

N. 5745.

S.l., 6.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Matthiae Zaliński (Szalienski), supremo cubiculario regio,

pro studiosissima eius bene de se merendi voluntate gratias agit et negotia sua apud regem promoveri petit.

(Schedula: Sebastianum Ciechański, in numerum regionum cubiculariorum receptum, commendat).

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1926.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 77-78.

N. 5746.

S.l., 7.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae,

ad querelas episcopi et capituli Varmiensis respondet et sententiam suam de piscatu anguillari in «mari recenti» (Frisches Haff, Świeża Zatoka) profert.

Cfr. El. XXXII, N. 944.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 66-73.

Regi Poloniae, VII Iunii.

Quae S. Regia Vestra Maiestas, Reverendi Domini Cardinalis et Episcopi Warmiensis¹⁾ eiusque Capituli supplicationibus adducta, de piscatu anguillari in mari recenti²⁾ proluxe ad me scribere dignata est, probe intellexi. Vellem autem Reverendum Dominum Cardinalem eiusque Capitulum per omnia S. Regiae Vestrae Maiestati ea exposuisse, quae ipsis de eodem piscatu aliquoties ad me scribentibus respondi. Ne autem is esse videar, qui violatorum pactorum nota merito aliquo meo aspergar, paucis ad querelam Domini Cardinalis eiusque Capituli me respondentem S. Regia Vestra Maiestas clementer audire dignetur.

Ac primo quidem infitias non eo, aliquot S. Regiae Vestrae Maiestatis ditiones ex captu anguillari utilitatem quandam sentire, ipsum etiam Cardinalem cum suo Capitulo emolumentum inde capere, iusque hoc a divis S. Regiae Vestrae Maiestatis ditiones ex captu anguillari utilitatem quandam sentire, ipsum etiam Cardinalem cum suo Capitulo emolumentum inde capere, iusque hoc a divis S. Regiae Vestrae Maiestatis maioribus magna ex parte eos donatum habere. Quod vero ab ipsis accusor, me contra pacta et foedera ingentem atque spatiosum maris recentis sinum pro meis et nonnullorum privatis usibus circumscripsisse, a quo naves anguillares abstinere cogentur, atque ipse Dominus Cardinalis cum suo Capitulo in annuis proventibus inde trecentorum florenorum iacturam faceret, talia de me ad S. Regiam Vestram Maiestatem ita nude perferre eos miror, cum obscurum illis non sit omnes status et ordines terrarum S. Regiae Vestrae Maiestatis Prussiae in publicis Comitibus aliquoties uno ore (solis Warmiensibus Canonis reclamantibus) conclusisse atque eo quoque nomine S. Regiae Vestrae Maiestati supplicasse, ut piscatus anguillaris in mari recenti in aliquot annorum decursum suspenderetur propter eas causas, quod quaelibet navis anguillaris, cum retia sua laxat, supra captum anguillarum singulis diebus et noctibus ultra tres tonnas omnis generis piscium perdit, inque escam avium redigit. Quae summa si cum trecentenario navium fere numero multiplicaretur, non modo Prussiae terris perniciosum eum piscatum esse iudicaverunt, verum etiam vicinis omnibus S. Regiae Vestrae Maiestatis sub Regno Poloniae provinciis, quae non anguillis tantum aluntur, sed maxima ex parte se familiamque suam sale conditis atque arefactis piscibus sustentant. Qui non aliunde quam ex Prussia in terras eas S. Regiae Vestrae Maiestatis inferuntur, quemadmodum omnes S. Regiae Vestrae Maiestatis praefecti id ipsum, ubi a S. Regia Vestra Maiestate interrogati fuerint, testabuntur.

Taceo iacturum eam, quam piscatores, qui illud genus piscandi in eo mari exercent, quo solo pisces illi saliti et sole exiccati terras S. Regiae Vestrae Maiestatis Regni Poloniae suppeditantur, ex piscatu anguillari accipiunt. Aut enim submerguntur illorum retia et rumpuntur, aut malitiose navibus anguillaribus subligata falce discinduntur. Itaque cum de anno in annum magis magisque piscium inopia per totam Prussiam et ditiones S. Regiae Maiestatis Vestrae Regni Poloniae conspiceretur, Domini senatores et status terrarum Prussiae me magnis precibus rogarunt, ut conclusioni ipsorum (cui S. Regia Vestra Maiestas assensa quoque esset) amanter clementerque subscriberem atque proventus meos annuos ex eo piscatu commodo publico in aliquot annos donarem. Quorum postulatis, si privatum meum commodum publico praeferre voluissem, certe potiore iure quam Dominus Cardinalis et Canonici facere id potuissem, siquidem non ex praescripto aliquo numero, sed pro arbitrio meo quotquot volo laxanda eiusmodi retia concedere meis, mihi eo in mari liberum est. Ad privata autem mea vel nonnullorum compendia sinum maris ingentem me circumscripsisse nunquam probaturi sunt.

Sinum enim, quem ingentem et spatiosum esse dicunt, non usque adeo magnum esse ipse situs loci loquitur. Ad privatos autem meos vel nonnullorum usus conservari illum, si volet S. Regia Vestra Maiestas, contrarium testibus tam S. Regiae Vestrae Maiestatis subditis, quam omnium Ducatus mei ordinum supplicationibus docebo. Cum enim Canonici Warmienses senatorum et ordinum terrarum Prussiae sanis consiliis ac salutaribus conclusionibus repugnarent atque in suo proposito obstinate persisterent, neque latum (ut dici solet) unguem commodo publico cedere de suo iure vellent (quos tamen, si non publici commodi causa, certe ex pietate christiana in tempus misericordiae exemplo praelucere aliis conveniebat), summa urgente necessitate, praecipue autem tam S. Regiae Vestrae Maiestatis quam meae miserae plebulae nomine, quae quotidianis lachrimis, lamentationibus et eiulatu piscium penuriam deplorabat, supplicatum mihi est, ut particulam istam maris in meo Ducatu pro Regni terrarumque S. Regiae Vestrae Maiestatis Poloniae et Prussiae commodo publico conservarem, quae a perditione navium anguillarum salva esset ac qualicunque ex parte pisces suppeditaret. In quo an quid peccatum a me sit, aut commodo meo privato quaesitum, non S. Regiam Vestram Maiestatem modo, sed quemvis facile iudicem fero.

Allegatur et hoc in literis S. Regiae Vestrae Maiestatis, quod si divi illius maiores, Poloniae Reges, piscatum anguillarum perniciosum quoquo modo iudicassent, haud dubie pridem illum abolendum curassent, neque novis pactionibus stabilivissent, in eo dubium mihi nullum est, si tempore divi parentis S. Regiae Vestrae Maiestatis terrae Prussiae tam populosae fuissent, sicut post sopita ita continua bella (diis gratia) nunc sunt, totque ac tantae terrarum Prussiae communes querelae de eo piscatu ad aures S. Regiae Maiestatis Suae pervenissent. Equidem S. Regia Sua Maiestas, ut fuit aequitatis et utilitatis publicae amatrix et conservatrix, passa non fuisset propter paucorum commodum privatum totam Prussiam totque Regni sui provincias premi, multo minus novis pactionibus malum hoc confirmasset, sed de tollendo eo apposita et salutaria remedia adhibuisset. Quod si ego quoque tempore initorum pactorum de pernicie tali submonitus fuisset, quam nunc oculis expositam cerno, nunquam in pactionibus calculum ei meum dedissem.

Quam ob rem plane confido S. Regiam Vestram Maiestatem, pro innata sua singulari prudentia proque cura et sollicitudine paterna, quam hactenus commodo publico adhibuisse illam omnes tam Regni Poloniae quam terrarum Prussiae incolae merito depraedicant, non permissuram esse, ut paucorum aliquot commodum publicae necessitati praeferatur, quodque iam pridem in tempus saltem suspendendo piscatu anguillari eidem S. Regiae Vestrae Maiestati placuit, displicere sibi quorundam instinctu non passuram esse. Quod si inveteratae consuetudines, quae iuris etiam vigorem obtinent, ubi nocere Reipublicae coeperint, exterminari, mutari atque emendari possunt, cur non eadem lege donationes privatae, si publicum affligant commodum, tollere vel emendare liceret?

Paucis ad Reverendi Domini Cardinalis eiusque Capituli querelas respondeo, propterea quod S. Regiae Vestrae Maiestati, prudentius me haec omnia intelligenti atque ex aequo et iusto consideranti, prolixitate non libenter molestus sum, petoque S. Regiam Vestram Maiestatem obnixae, si in suspendendo ad tempus eo piscatu senatorum et ordinum terrarum Prussiae supplicibus precibus pro tot provinciarum commodo per omnia clementer subscribere non dignatur, tamen pro earundem necessitate hoc clementer indulgeat, ut particula illa maris, a me ad crebras, ut supra dixi, tam S. Regiae Vestrae Maiestatis quam meorum subditorum preces circumscripta et conservata, in posterum quoque utilitati publicae inserviat. Quod si inde

est in redditibus annuis iactura aliqua, certe plus meo quam Domini Cardinalis aut Canonicorum aerario oberit, qua ego libentissime pro commodo communi careo. Perquam exilem autem esse dicturi sunt ii, quibus proximi charitas et commodum publicum cordi est, siquidem piscatoribus anguillarum, etiam si ab hoc parvulo sinu abstinent, spatiosum mare ad laxanda pernicio ipsorum retia patet. Itaque spero S. Regiam Vestram Maiestatem Domini Cardinalis et Canonicorum postulata, quibus Dominorum senatorum et ordinum in terris Prussiae salutaribus consiliis, tam pro S. Regiae Vestrae Maiestatis Regni Poloniae quam harum terrarum commodo institutis, ac meae quoque in provehendo eo benignitati reluctantur, minime probaturam esse. Factura in eo est S. Regia Vestra Maiestas rem piam et Rege christiano publicaeque utilitatis conservatore maxime dignam. Eritque S. Regiae Vestrae Maiestati ex assiduis tam Regni sui, quam meorum subditorum ad Deum hoc nomine interpositis precibus merces in coelis magna. Ego vero illud ipsum subdite demereri studebo. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae etc.

D.S.A. Monzerus

- 1) Stanislaus Hosius.
- 2) sinus maris Balthici, Germanice Frisches Haff, Polonice Świeża Zatoka vocatus.

N. 5747.

S.l., 14.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Annae de Niszczyce, Alexandri Itowski palatini olim Plocensis viduae, et, mutatis mutandis, Agneti de Siennio, Stanislai Niszczycki palatini olim Plocensis viduae,

respondet restitutionem rusticorum fugitivorum nunquam se denegasse, et ne nunc quidem ei denegaturum esse, dummodo nomina profugorum et praefectarum, sub quibus latitant, sibi perscribat.

(Latine)

Cfr. El. XLI, NN. 1922, 1941.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 77.

N. 5748.

S.l., 14.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Tarto, signifero terrae Premisliensis,

nuntiat se ex litteris eius intellexisse, quam acerba ei acciderit mors comitis a Tęczyn [Ioannis Baptistae Tęczyński] et quantum maeroris falsus rumor de suo ipsius obitu ei pepererit; de damnis in re domestica ab eo acceptis

dolet; pro equo gradario per Bernardum Pohibel sibi adducto gratias agit (quamquam memoria se non tenere scribit, utrum eiusmodi equus ab eo an a Gabriele Tarlo sibi missus sit).

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1917.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 79-80.

N. 5749.

Ex Nova Domo, 18.V.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat Conradum ab Emden, qui apud regem Sueciae officio magistri equitum fungebatur, ab eodem rege defecisse et regi Poloniae servitia sua offerre velle; suadet, ut rex hanc oblatam recuperandae amissae partis Livoniae occasionem apprehendat et eodem ab Emden, rerum Sueciae et Livoniae perito, magistro equitum contra Suecum utatur; rogat, ut ad tollendam controversiam inter commendatorem Doblinensem et ducem Curlandiae intercedentem commissarios suos quam primum expediat.

Cfr. El. XXXII, N. 955

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 81-84.

Regi Poloniae, XVIII Iunii ex Nova Domo.

Non absque magna voluptate cognovi ex Illustris Curlandiae Ducis¹⁾ literis, Generosum ac Nobilem Christophorum a Schenck Baronem, subditum meum, deinde quendam Conradum ab Ende, qui apud Suecorum Regem²⁾ magistri equitum officio in Livonia functus est, in archidioecesim Rigensem pervenisse. Iste Conradus refert eam ob causam cum suis equitibus se dimissum esse, quod noluerit se cum ceteris equitum magistris, quorum opera hactenus Suecus in Livonia usus est, in Sueciam conferre, suaque S. Regiae Vestrae Maiestati humiliter defert servitia. Bona praeterea fide de annonae aliarumque rerum charitate, quae non solum in Suetia, sed etiam Livoniae parte, quam Suecus nunc occupat, magna sit, eidem Curlandiae Duci communicavit. Inprimis autem suadet, ne tanta recuperandae amissae partis Livoniae occasio, quae alio tempore vix parem se oblatura sit, temere praetermittatur. Polliceturque absque graviore labore ac difficultate non solum Pernavium, sed et reliquas arces Suedicas recipi posse, modo civibus ob defectionem nihil periculi metuendum sit, illisque magistratus natione Germani praeficiantur. Etsi autem haec a Duce Curlandiae S. Regiae Vestrae Maiestati nuntiatum iri prorsus nihil dubito, tamen pro mea in S. Regiam Vestram Maiestatem fide summoque studio non possum, quid hac in re faciundum existimo, non audacter consulere. Quapropter S. Regiae Vestrae Maiestati non solum suadeo fideliter, verum etiam hortator sum, ut tantam rerum gerendarum opportunitatem cupide apprehendat, eoque magistro equitum contra hostem Suecum, cuius totus status, praesertim ad Livoniam quod attinet, ipsi notissimus est, uti ne recuset, sed quam primum aliquem commissarium, necessaria pecunia instructum, qui cum ipso et equitatu ipsius conveniat, in Livoniam ableget. Neque hic sumptuum magnitudo vel

quaecunque alia res S. Regiam Vestram Maiestatem debet detenere, cum illud ipsum, quicquid id fuerit, amissarum Livoniae arcium recuperatio multis partibus sit compensatura. Taceo, quam gloriosum hoc S. Regiae Vestrae Maiestati futurum sit, quantumque metum non solum Suecorum Regi, sed et hosti Moscho allaturum. Agerem hoc pluribus, nisi certo certius mihi persuasum esset S. Regiam Vestram Maiestatem suapte sponte satis incitamentum hanc ad rem fore.

Ex eiusdem Curlandiae Ducis literis porro intellexi in controversia, quae Illustritati eius cum Commendatore Doblinensi³⁾ intercedit, commissarios a S. Regia Vestra Maiestate esse constitutos. Quod quia mihi non minus quam eius Illustritati cognitu fuit gratissimum, ideoque adhuc S. Regiam Vestram Maiestatem vehementer peto, ne quid, quod ad eam controversiam, quae mala afflictissimae provinciae iam antea modo maxima ac infinita fere haud parum cumulare posset, penitus tollendam conducibile videatur, differri sinat, sed commissarios eam ad rem suos quam primum expediat. Quod ego quoque eam in partem praestare potuero, non solum libenter, sed et sedulo sum factururus. His S. Regiam Vestram Maiestatem Deo omnipotenti clementer conservandam etiam atque etiam commendo. Datae etc.

Primum Cancellario⁴⁾, deinde Principi
placuit
E[noch] B[aumgartner]

1) Gottardus Kettler.

2) Ericus XIV.

3) Matthias a Regk (vel Reck) (cfr. N. 5740).

4) Ioannes a Kreitzen.

N. 5750.

S.l., 18.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

nuntiat se propediem servitores suos ad coemendos 400 boves in Regnum Poloniae missurum esse et rogat, ut litteras regias de eis libere dimittendis sibi impetret.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1927.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 81.

N. 5751.

S.l., 19.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

nuntiat se duabus litteris suis a rege petivisse, ut ad negotia, inter Domum Megapolensem et ducem Curlandiae agitata, legatum suum mitteret; eundem Curlandiae ducem ei commendat.

Cfr. El. XLI, N. 1927.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 84-85.

Vicecancellario Regni Poloniae, Petro Miskowski, XIX Iunii 64.

Pervenit iam procul dubio ad aures Reverendae Vestrae Generositatis, quae negotia inter inclytam Domum Megapolensem ipsumque Curlandiae Ducem¹⁾ agitentur. Neque arbitramur S. Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, quid duabus literis ad manus illius proprias scriptis nuper adeo petiverimus, Reverendam Generositatem Vestram celasse. Cuius petitionis summa fuit, ut Sua S. Maiestas Regia legatum ad ea negotia conficienda suum mitteret. Etsi autem Sua Regia Maiestas perclementem et facilem eam ad rem se prae-buit, tamen ideo nobis satisfactum non est, quod cui nos legationem imponi petebamus, eo carere ad tempus S. Regia Maiestas Sua non posset. Quocirca alteris literis de alio legato submonuimus, de quo mittendo non solum existimamus S. Regiam Maiestatem Suam deliberasse non admodum, sed potius in id iam consensisse, nuntiumque vicissim nostrum expeditis plane confidimus.

Si tamen praeter spem nos hac in parte animus forte fallit, rogamus Reverendam Vestram Generositatem amice, ut et responsum nostro nomine urgeat et pro sua quoque persona pium hoc opus, quantum potest (potest autem plurimum), adiuvet, ipsumque Curlandiae Ducem sibi commendatissimum habeat. Erit id nobis tam gratum, ut nullam occasionem, qua Reverendae Generositati Vestrae vicissim commodare queamus, simus praetermissuri. Et Dux Curlandiae quoque id officii absque ulla dubitatione grato animo accipiet mutuaeque benevolentia compensare studebit. Reverenda Generositas Vestra diuturna valetudine fruatur. Datae etc.

Cancellario²⁾ primum, deinde
Principi quoque placuit
E[noch] B[aumgartner]

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5752.

Ex Nova Domo, 26.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

mittit nova, «quae his diebus ex partibus Daniae huc perscripta sunt».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 86.

N. 5753.

Ex Nova Domo, 26.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae,

negotium subditi sui et civis Regiomontani, Balthasaris Schleff, quod cum Iudaeo quodam Grodnensi habet, iterum commendat et rogat, ut illi tandem ius et iustitiam administrari iubeat (cfr. N. 5697).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 86-87.

N. 5754.

Ex Nova Domo, 26.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Gregorio Chodkiewicz, castellano Vilnensi, et, mutatis mutandis, Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, negotium Balthasaris Schleff, civis Regiomontani, quod ei cum Iudaeo quodam Grodnensi, Petro Piessack nomine, intercedit, cui nobiles Stanislaus Naruszewicz, capitaneus Grodnensis, et Nicolaus Domaszewski, vicecapitaneus sese immiscuerunt (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 87-88.

N. 5755.

S.l., 29.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

optimam valetudinem, longam vitam et omnem felicitatem ei a Deo precatur; aliquot mela medica («pomerantzen») dono mittit («so gutt und schon ich sie fur dismahl uberkommen konnen»).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5756.

S.l., 30.VI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Michaeli Hecht, Valentini Ungar plenipotente, intercedit et rogat, ut eum nomine principalis ipsius in decreto, «secundum harum terrarum iura obtento», conservet sententiamque regiam ea in causa latam firmam ratamque esse iubeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 88-89.

N. 5757.

Ex Novo Castro, 4.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Achatio Czema, palatino Marienburgensi, iterum intercedit et rogat, ut eius bona, pro praeclaris in Rempublicam Polonam meritis iure hereditario in Prussia ei concessa, ab executionis lege eximat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 89-90.

Regi Poloniae, IIII Iulii.

Exhibuit mihi Magnificus Dominus Palatinus Mariaeburgensis¹⁾, cum me hic in Novo Castro inviseret, quasdam inclyti Regni Poloniae constitutiones typis editas sigilloque S. Regiae Vestrae Maiestatis consignatas, quae inter alia iam nominati etiam Palatini bona, hereditario iure ob praeclara sua in Rempublicam Polonicam merita, quae in omnium hominum conspectu sunt, in Prussia ipsi concessa, legi executionis subiiciebant. Quod sane cum S. Regiam Vestram Maiestatem se illius rationem clementer esse habituram promississe non ignorem, magnopere sum miratus. Ne autem ne nunc quidem quicquam praetermittam, quod pro viro hoc deque S. Regia Vestra Maiestate totoque Poloniae Regno plurimorum memoria optime merito facere queat, iterum atque iterum S. Regiam Vestram Maiestatem oro et obtestor, ut cum viros fortes, qui res magnas pro patria gessissent, dignis praemiis afficiendos esse nunquam non putarit, eodem se adhuc animo (de quo quidem dubium nullum est) existere testatum apud omnes relinquat et Palatinum Mariaeburgensem, quod ad ea bona, quae hucusque iure hereditario ob merita sua tenuit, attinet, ab executionis lege eximat, meaeque multoties iam repetitae intercessioni tandem aliquid loci concedat.

Hoc pacto S. Regia Vestra Maiestas quam plurimos alios pari rerum gerendarum cupiditate accendet, et ego, quod precibus meis a S. Regia Vestra Maiestate datum fuerit, subditis meis officiis debitaque fide promereri enitar. Idem Palatinum Mariaeburgensem eiusque heredes quoque facturos esse plane confido. Deus omnipotens S. Regiam Vestram Maiestatem clementer conservet omnesque eius actiones clementer gubernet et ad divini sui nominis gloriam dirigat. Amen. Datae ex Novo Castro etc.

Relatio Cancellarii²⁾
E[noch] B[aumgartner]

1) *Achatius Czema.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5758.

S.l., s.d., VII.1564.

*Albertus dux in Prussia
universis*

litterae testimoniales pro Ioachimo Gerlach, cive Vratislaviensi, ex Ducatu Prussiae ad regem Poloniae proficiscente (testatur scil. «ipsum non venire ex loco aliquo pestilitatis contagio infecto, sed ex civitate nostra Regiomontana iter hoc esse ingressum», et rogat, ut ab omnibus, apud quos divertet, hospitio excipiat et in itinere suo ad regem adiuvetur).

(Latine)

Cfr. *El. XXXII*, N. 956.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 91.

N. 5759.

Ex Nova Domo, 6.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł «Nigro» et, mutatis mutandis, Eustachio Wołłowicz pro Michaele a Rossen, marscalco olim archiepiscopi Rigensis Gulielmi, omnibus fere bonis per Moscum spoliato, intercedit et rogat, ut operam suam apud regem pro eo interponat, quo annuum stipendium, ante biennium a rege ei promissum et decretum, tandem obtineat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 91-93.

N. 5760.

S.l., 7.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Konarski

rogat, ut consiliario suo, Friderico ab Aulack, ad regem ablegato, commodum aliquod hospitium apparandum curet, eumque in legatione obeunda adiuvet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5761.

E Regio Monte, 8.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,

miratur eum in praefectura Soldaviensi [ei oppignorata] equestres et pedestres copias conscribere, seque edoceri iubet, in quem finem «ista militum congregatio» in Ducatu suo fiat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 93-94.

Raphaeli Liesschinski, VIII Iulii, Regiomonti etc.

Generose, fidelis dilecte.

Perfertur ad aures nostras Generositatem Vestram in praefectura Soldaviensi equestres et pedestres copias conscribere. Quae res cum nobis insciis fiat, variae nobis cogitationes inde suboriuntur, praesertim cum obscurum nobis sit, in quem usum et finem ista militum collectio a Generositate Vestra in nostro Ducatu suscepta sit. Quia vero apparatus bellicos in Ducatu nostro clam nobis tractari parum ex dignitate nostra esse arbitramur, neque ex iure hypothecario ulli hoc competere planum est, tum praecipue vel hoc nomine nonnihil nobis ea res, si ita se habet, molesta accidit, quod Illustris filii nostri¹⁾ ratio, in confiniis Soldaviae nunc degentis, habenda erat, praecipue hoc pestilitatis tempore, cum militum congregatio seu multorum hominum ex diversis partibus accursus carere periculo temporibus istis non soleat.

De fide quidem et integritate Generositatis Vestrae dubium nobis nullum est, planeque confidimus istam militum conscriptionem per providentiam Generositatis Vestrae a subditorum nostrorum gravamine, rapinis, spoliis et militaribus depredationibus prorsus alienam fore. Deinde minime quoque suspicamur copias eas ad nostros praegravandos, aut molestiam iis, qui nobis quoquo modo coniuncti sunt, inferendam destinatas esse. Ne autem simus nescii, quo consilio atque in quem finem ista militum congregatio in nostro Ducatu fiat, clementer a Generositate Vestra postulamus, ut quam primum citisque itineribus illud ipsum ad nos perscribat. Factura nobis in eo Generositas Vestra rem gratam, se vero maxime dignam. Cupimus tandem Generositatem Vestram optime valere. Datae etc.

Relatio Domini Cancellarii²⁾
Andreas Moncer

1) *Albertus Fridericus.*

2) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5762.

S.l., 10.VII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
pro iuvene Michaeli ab Hoffen, subdito suo, intercedit et rogat, ut in numerum
cubiculariorum reginae recipiatur.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5763.

S.l., 10.VII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,
pro Michaeli ab Hoffen, ut eum reginae commendet (cfr. N. praeced.).
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.*

N. 5764.

Ex Novo Castro, 10.VII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Christophoro Tarnowski, castellano Wojnicensi,
servitores suos, Christophorum Blumenstein et Albertum Zezinski [Życzynski],
in Poloniam et Russiam mittit, ut pro aulae suae necessitate 400 boves
emant, et rogat, ut ipsis in hoc negotio adiumento esse velit, praesertim
cum in locis, ubi et emendi et expellendi sunt boves, bona eius hereditaria
sita sint.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, f. 95.*

Ex Novo Castro, 19.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ne tempus possessionis archiepiscopatus Rigensis a Ioanne Alberto duce Megapolensi adeundae diutius protrahat.

Cfr. El. XXXII, N. 960.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 96-98.

Regi Poloniae, XIX Iulii, ex Novo Castro.

Serenissime Rex etc.

Cognovi ex Illustri Megapoliae Duce, Domino Iohanne Alberto, genero meo, quid S. Regia Vestra Maiestas Illustritati eius de non adeunda archiepiscopatus Rigensis possessione, priusquam de quibusdam non exigui momenti articulis, in praesentem Conventum Partzoviensem¹⁾ reiectis, utrinque conventum esset, non ita diu scripserit. Cum autem dicto genero meo in omnibus, praesertim vero iis, quae Illustritati eius vel damno non levi futura, vel famae ac existimationi eius non parum nocitura prospiciam, non immerito praesto sim, nolui committere, quin de hoc ipso negotio, quod plane eiusmodi esse intelligo, ut cum eo praeter fortunas dignitas et existimatio ipsius coniuncta sit, hasce ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas mitterem.

Cum enim S. Regia Vestra Maiestas Illustritati eius archiepiscopatus Rigensis administrationem in proximis Warsoviensibus Comitibus²⁾ clementer concesserit atque ipsi non tum solum, verum etiam postea per literas iniunxerit, ut quam primum de possessione archiepiscopatus adeunda depellendis-que ab eo, necessitate ita postulante, periculis cogitaret, nisi haud mediocriter consilia rationesque S. Regiae Vestrae Maiestatis perverti vellet, adnixa est ab eo tempore Illustritas eius sedulo, ut cum promissis suis, tum voluntati quoque S. Vestrae Maiestatis Regiae, quam posset celerrime satisfaceret. Recepit non sine magna sumptuum difficultate ad constituenda archiepiscopatus praesidia milites, quorum maior pars ad locum designatum iam pervenit, omniaque, quae in tantillo temporis intervallo curari potuerunt, confecit, ut capiundae archiepiscopatus possessioni absque ingenti Illustritatis ipsius detrimento, adeoque nominis ac dignitatis laesione, mora nulla interiici queat. Quibus hunc in modum sese habentibus, oro S. Regiam Vestram Maiestatem maximopere ac submisce, ut ne tempus possessionis adeundae hereditatis proroget, neque ullo modo dubitet, quin Illustritas eius in illis rebus, quae in dubio relictas sunt, transigendis, cum alias quoque in omnibus possibilibus, S. Regiae Vestrae Maiestati sese accommodatura sit. Quod quidem Nobili ac Generoso Friderico ab Aulack, meo ad S. Regiam Vestram Maiestatem internuntio, pluribus proponendum commissum est. Ego hoc obiter saltem (ne quid, quod facere ad hanc rem posse videretur, praetermitterem) scribendum esse duxi.

Principi sic placuit
Enoch Baumgartner

1) Comititia Regni Parczoviae a 24.VI. usque ad 12.VIII.1564 celebrata sunt.

2) scil. a 22.XI.1563 a. usque ad 1.IV.1564 a. peractis.

Ex Nova Domo, 21.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

commendat negotium Ioannis Alberti ducis Megapolensis et rogat, ut operam suam apud regem interponat, ne qua mora possessioni archiepiscopatus Rigensis ab eodem duce Megapolensi adeundae interponatur.

Cfr. El. XLI, N. 1933.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 98-100.

Regni Poloniae Vicecancellario Petro Miskowski, XXI Iulii ex Nova Domo.

Cum ex literis Illustris Principis Megapolitani Iohannis Alberti, generi nostri, intellexissemus S. Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et consobrinum charissimum, mutata subito animi sententia, non ita pridem ad Illustritatem eius scripsisse, ne archiepiscopatus Rigensis possessionem prius adiret, quam de quibusdam adhuc dubiis articulis utrinque satis convenisset, nosque in eo non solum iam dicti generi nostri, verum et ipsius S. Maiestatis Regiae dignitatem, si res iam semel conclusa omnibusque Romani Imperii Principibus nota in dubium vocaretur protrahereturve, haud leviter periclitaturam omnino iudicassemus, non potuimus, quae nostra erga S. Regiam Maiestatem fides generumque nostrum amor est, quod ad utriusque honorem existimationemque tutandam facere videbatur, non libere consulere atque monere. In quo genere Reverendam Generositatem Vestram, pro sua apud S. Regiam Maiestatem auctoritate, plurimum posse non opinamur solum, sed certo etiam statuimus.

Ideoque eam amice maioremque in modum petimus, velit operam suam cum nostra coniungere seduloque iuvare, ut ne qua mora possessioni archiepiscopatus adeundae interponatur. Alias enim, quomodo in primis S. Regiae Maiestatis, deinde Ducis etiam Megapolitani dignitas satis salva esse possit, non videmus, praeterquam quod ipse etiam Dux Megapoliae, cum iam (quemadmodum Reverenda Vestra Generositas ex nostra ad S. Regiam Maiestatem epistola nostroque internuntio, Friderico ab Aulack, plenius cognoscet) de omni apparatu ad occupandum archiepiscopatum providerit, damno non levi ex ea re afficeretur. Non autem dubitamus Reverendam Generositatem Vestram, quae dignitatis nominisque regii studiosissima est, quamque nobis in omnibus honestis rebus haud gravatim gratificari satis perspectum habemus, nihil in hoc negotio promovendo diligentiae opportunitatisque esse praetermissuram. Ideoque in petendo sumus breviores Reverendamque Vestram Generositatem Christo Salvatori longis temporibus incolumem ac felicem conservandam commendamus. Datae etc.

Commissio Do. Cancellarii¹⁾ per schedulam
Principi consentienti placuit etc.
Enoch Baumgartner

1) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5767.

Ex Nova Domo, 21.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco,

pro incolis districtus Jurborgensis et Oppidi Novi, qui tam frequentibus et intolerabilibus exactionibus nomine regis se exhauriri atque emungi queruntur, ut non solum onus istud ferre non possint, sed et sibi quod debent et tenentur, solvere vix queant.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 100-101.

N. 5768.

Ex Nova Domo, 27.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Adamo de Poes, litterarum exhibitore, a duce Iuliacensi et Cliviensi sibi commendato, qui cum fratre olim Stanisłai Wąsowicz negotium habet de bonis seu mercibus quibusdam, «sibi in Livonia ab ipso Stanislao sine iusta causa arrestatis et detentis».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 102-103.

N. 5769.

Ex Nova Domo, 30.VII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de magistri Ordinis Theutonicorum, a magno duce Moscoviae et conniventibus Lubecensibus adiuto, consiliis et machinationibus, ad Livoniam spectantibus, narrat; de eiusdem magistri legationibus in Moscoviam et Lubecam missis; suadet, ut ad evertenda eiusmodi callida consilia rex vel vi armata Moscum opprimat, vel cum eo paciscatur condicionibus, a dignitate regia non alienis; ne civitas Rigensis ad defectionem inclinet, consulit, ut rex condiciones ei propositas mitiget; in negotio archiepiscopatus Rigensis rogat, ut rex sine mora certum diem assignet, quo archiepiscopatum Ioanni Alberto duci Megapolensi, genero suo, se esse traditurum statuatur.

(Schedula: novas rationes adducit ad accelerandum negotium archiepiscopatus Rigensis Ioanni Alberto duci Megapolensi tradendi).

Cfr. El. XXXII, N. 960.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 103-114.

Regi Poloniae, XXX Iulii, ex Nova Domo etc.
Serenissime Rex etc.

S. Regiam Vestram Maiestatem subdite celare non possum secretius mihi renuntiatum esse, Generalem Ordinis Theutonicum per Germaniam Magistrum¹⁾, legatione anno superiore ad Ducem Moschorum²⁾ missa, latentis aliquid mali contra S. Regiam Vestram Maiestatem machinatum esse. Hoc enim fuisse eius tunc legationis simulatum caput, ut Moschus Furstenbergium³⁾ ex captivitate in pristinum dignitatis statum Livoniaeque restitueret. Cum tamen postea fuerit compertum aliquanto latius de perpetuo cum Magistro Ordinis foedere tunc actum fuisse, Moschum enim, dato oratori diplomate in lingua Germanica conscripto, novis autem et ab ipso antea non usitatis, aquilae scilicet volantibus, insignibus appensis, ac characteribus Rhutenicis ipsius Moschi nomine subscripto, in hanc sententiam respondisse.

Certo scitur se non modo Furstenbergium captivitate dimissum libertate donaturum, verum etiam totius Livoniae dominium illi traditurum esse, Ordinemque in Livonia et Prussia pristinis sedibus et dignitati restitutum ac perpetuum foedus cum Magistro Generali Ordinis Sacroque Romano Imperio sanciturum. Ad stabiliendas autem pactiones eas cupere Moschum, ut Magister Ordinis viros graves in Moschoviam quam primum mitteret illisque insignem virum adiungeret, quem coadiutorio Furstenbergii munere fungi vellet. Quo facto se facili labore terras Prussiae recuperaturum, inque manus et possessionem Magistri Teutonicum eas daturum esse. Se vero perpetuis potius temporibus fore et Livoniae et Prussiae protectorem, fidemque christianam sub osculo sanctae crucis amplecti velle. Pro recompensatione autem horum omnium petere se ab Ordine tributum annuum.

Magister Ordinis hoc responso laetatus, rei bene gerendae opportunitatem negligere nolens, Lubecum duos ex commendatoribus suis (quorum alter commendatura Confluentiae in Germania fruitur), viros aetate graves, cum Iohanne Wagnero, secretario olim Furstenbergii, misit. Eos in proximo mense Iunio Lubecae adhuc visos esse, tractatos illic lautissime et singulis fere diebus in aedibus civis cuiusdam, Francisci a Slitten, visitatos a duobus consularibus Lubecensibus. Ac navim, quae in Moschoviam eos vehat, paratam fuisse certum est. Esse praeterea in civitate Amburgensi internuntium quendam S. Imperatoriae Maiestatis vel Romani Imperii, qui se illis navi parata coniuncturus atque una in Moschoviam navigaturus est. Quae cum permittentibus et conniventibus Lubecensibus fiant, suspicio est Lubecenses sua cum Magistro Teutonico consilia communicare et machinationis istius socias fortassis partes, ad propria ipsorum compendia, quae illis bello in Livonia durante interclusa hactenus fuere, clam alere.

In confesso quoque est Ordinis Magistrum aliquibus in civitate Lubecensi omnia stipendia numerare. Multa vini vasa, cum auri argentique summa insigni, a Magistro Ordinis Lubecum missa esse dicuntur, ut cum oratoribus in Moschoviam vehantur. Conscondisse autem illos iam (ut creditur) navim et litore solvisse sub initium huius mensis propter ventos tunc temporis secundos illis spirantes. Magistrum vero Ordinis spem suam in unicum Moschum collocare. Quam primum enim Moscho victoria contra S. Regiam Vestram Maiestatem affulserit, dicitur militem auxiliarem per Lubecum in Livoniam missurum esse atque ea quoque via de occupandis Prussiae terris rationem inventurum, neque ullo unquam antea tempore quam hoc pristinam Ordinis sui restitutionem ardentius sperasse et ursisse.

Haec cum non vanis ad me rumoribus, sed secretius ab homine fide digno mihi hunc addictissimum ex ipsa civitate Lubecensi ad me perlata sint, pro mea fide S. Regiae Vestrae Maiestati consulo, ut rebus suis pro ea, qua divinitus pollet, providentia diligenter invigilet. Si enim (quod omen Deus

avertat) Moschus a Sacro fortassis Romano Imperio complices habiturus esset plerosque ex S. Romani Imperii statibus vel ipsum etiam (quod tamen adhuc non crediderim) Imperatorem, facile S. Regia Vestra Maiestas iudicare poterit, quam grave sibi sit futurum tueri Livoniam, tueri simul quoque Prussiam, ex alia parte conflagrare cum Moscho et Regni quoque sui fines ab impressionibus hostilibus defendere. Quod si rumor hic ad aures Livonum perveniret, metuendum equidem esset, cum provincia ea pertaesae esse dicitur praesidiorum Polonicorum et Lithuanorum, quod tyrannide illorum gravius quam ab ipso Moscho afflicta sit, ne vel levi aliqua ad defectionem sollicitatione iugum illud afflictionis excussura et pristinum dominorum suorum imperium libenter amplexatura fortassis esset, quemadmodum varios ea de re passim sermones spargi audio.

Ad evertenda vero, de quibus supra dixi, callida et periculosa contra S. Regiam Vestram Maiestatem suscepta consilia nullum aliud esse medium videtur, nisi ut S. Regia Vestra Maiestas aut vi armata Moschum opprimat omnibusque hostilibus incursionibus resistat, aut si inferiorem se viribus esse existimaverit, quam ut magnitudini rei bene gerendae sufficiat, cum Moscho paciscatur conditionibus quibuscunque poterit, a dignitate tamen S. Regiae Vestrae Maiestatis non alienis. Deinde, si S. Regiae Vestrae Maiestati visum esset, non inconsultum iudicarem, ut primo quoque tempore ad Serenissimum Daniae Regem⁴⁾ internuntium aliquem mitteret. Qui diceret permolestae S. Regiam Vestram Maiestatem ferre, quod Lubecenses legatos tales foverent, qui contra S. Regiam Vestram Maiestatem ad percutiendam cum Moscho foedera ope et opera illorum in Moschoviam navigaturi essent, vel iam eo navigassent. Facile divinare S. Regiam Maiestatem Vestram ad compendia sua ipsos talia facere levisque alicuius lucri causa, quo durantibus in Livonia bellis caruissent, id factum fuisse. Cum tamen S. Regia Vestra Maiestas ipsis minime pristinam negotiationem vel prohiberet vel invideret liberamque non minus, quam sub Ordine fuisset, permetteret ac in posterum etiam permissura esset, idcirco petere S. Regiam Vestram Maiestatem, ut Sua Serenitas Lubecenses tanquam confoederatos suos hortaretur, ne faveant partibus eorum, qui ex professo S. Regiae Vestrae Maiestatis hostes sunt, vel quoquo modo hostium complices. Durum enim S. Regiae Vestrae Maiestati fore, si eos, quos ex confoederatione Danica et Polonica pro amicis reputaret, hostium S. Regiae Vestrae Maiestatis socios esse experiri deberet. Operae pretium quoque factura S. Regia Vestra Maiestas esset, si Serenissimum Daniae Regem rogaret, ut classi suae, quam in mari habet, de intercipienda navi cum legatis Magistri in Moschoviam missis invigilaret, idque pro iure eius societatis, quod ei cum Maiestate Vestra intercederet.

Non minor quoque mihi videtur habenda esse ratio civitatis Rigensis, ne ipsa ad defectionem inclinet. In quo sanius consilium pro mea tenuitate non invenio, quam ut S. Regia Vestra Maiestas duras, si quae illis propositae sunt, conditiones mitiget temporique se accommodet. Si enim civitas Rigensis (quod absit) deficeret, magna Livoniae pars (si non tota) amissa videretur. Itaque lenitate animos illorum sibi S. Regia Vestra Maiestas devinciatur, oro. Quod si ad Ordinem redirent, nihil Generali in Germania Magistro ad occupandam Livoniam et Prussiam obstare videretur, quandoquidem ex Germania cum militibus rebusque omnibus ad bellum necessariis liber ei traiectus per mare tunc esset. Itaque non postrema haec curarum S. Regiae Vestrae Maiestatis erit, cum terrarum suarum salutem magna ex parte in ea positam esse prudentius me intelligat.

Quae de Illustri Principe Domino Ioanne Alberto Duce Megapolensi, genero meo, proxime ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi, scire illam arbitror. Nunc celare S. Regiam Vestram Maiestatem non possum

Illustritatem Suam, vigore recessus Warschoviensis et literis peculiaribus quoque, quibus S. Regia Vestra Maiestas Suam Illustritatem hortatur, ut quam primum archiepiscopatum adeat, et quae facturum se recepit, maturet, adductam, consiliarios suos equites peditesque in Livoniam misisse, ut occupato archiepiscopatu, praesidiis arces, sicut iusserat S. Regia Vestra Maiestas, et Sua Illustritas sub boni Principis fide literis et sigillis pollicita est, firmaret. Submisit et virum gravem commissarium suum, qui ad 15 Iunii a commissariis S. Regiae Vestrae Maiestatis traditionem archiepiscopatus acciperet. Hi vero cum in Livoniam venissent, magno cum ludibrio retrocedere copiasque militares reducere coacti sunt. Neminem enim illic offenderunt, qui promissa S. Regiae Vestrae Maiestatis praestaret. Neque Curlandiae Duci⁵⁾ quicquam ea de re a S. Regia Vestra Maiestate significatum fuerat. Ipsi quoque status et ordines archiepiscopatus novum aliquem Archiepiscopum agnoscere fidemque ei dare abnuisse dicuntur, propterea quod Dux Christophorus⁶⁾, quem semel receperant, iuri suo literis et sigillis adhuc non renuntiasset. Neque integrum sibi fore iudicarunt Archiepiscopum novum recipere, qui non ordinarie ab ipsis postulatus esset.

Cum tamen in Comitibus Warschoviensibus legati archidioecesis Rigensis a genero meo (licet non necessarium esse hoc S. Regia Vestra Maiestas iudicaverat) conventi, additionem archiepiscopatus approbassent et promotores se Illustritati Suae in accipienda possessione eius obtulissent, quia vero res aliter atque ita nunc cecidit, ut famam, dignitatem et existimationem Domini Ducis Megapolensis per totam Germaniam irrisionis nota aspersura sit, taceo sumptus in equites peditesque ab Illustritate Sua perditos, equidem non possum et S. Regiae Vestrae Maiestati et ipsi quoque genero meo non condolere. Quid enim dicturi sint Germaniae Principes, si literae S. Regiae Vestrae Maiestatis super concessione archiepiscopatus et maturanda additione illius editae proferentur, etiam me tacente S. Regia Vestra Maiestas facile existimare potest, ut non modo huius notae aspersio fortassis Domini Ducis Megapolensis, sed omnium illorum quoque animos, qui quacunque ex parte necessitudine illum attingunt, exulceratura sit. Itaque pro officio meo submisce S. Regiam Vestram Maiestatem submonendam esse duxi, ut his tantis malis occurrat, Principes sibi addictos ne alieniores a se reddat, neque patiaturs hoc de se spargi animum se in eo mutasse, quod verbo regio, sigillo manusque propriae subscriptione concedere et mandare semel dignata est, sed primo quoque tempore certum diem assignet, in quo archiepiscopatum Duci Megapolensi tradituram se esse statuatur. Ea ratione non modo Duci Megapolensi sumptuum factorum et aspersae notae oblivionem inducet inque pristina erga S. Regiam Vestram Maiestatem observantia Illustritatem Suam conservabit, sed recessui quoque Warschoviensi satisfacisse dicetur. Dubiumque mihi nullum est ipsum Ducem vicissim omnia bona fide ea facturum esse, quae recepit, facileque iis in articulis, de quibus utrinque adhuc non disceptatum est, se voluntati S. Regiae Vestrae Maiestatis ex iusto et aequo accommodaturum. Ego vero, quibuscunque officiorum generibus potero, id ipsum S. Regiae Vestrae Maiestati compensare studebo. Submisce autem peto, ut S. Regia Vestra Maiestas ea, quae in his pro fide mea illi communico ac consulendo suadendoque ad illam perscribo, prudentius secum examinet et quod maxime expedire videbitur, exequatur. Deus Optimus Maximus S. Regiam Vestram Maiestatem diu conservet incolumem, resque ac negotia illius omnia prosperis successibus secundet. Datum.

Relatio Cancellarii⁷⁾ et consiliariorum
Burgravii⁸⁾, Marschalchi, Wolffgangi
Kreitz, Eliae Canitz, Doctoris Jonae.
Andreas Moncer

Cedula literis iniecta

In harum consignatione accepi literas, quibus certior factus sum militares illas copias, a Duce Megapolensi in Livoniam missas, a praefectis Illustratis Suae vicissim revocatas esse, ut in Livonia tantisper, donec S. Regia Vestra Maiestas aliquid certi ea in re constituat, detineantur. Cum itaque haud exiguis sumptibus illae copiae in Livoniam mitti (quemadmodum S. Regia Vestra Maiestas morem Germanorum militum, et quanta cum difficultate alantur, non ignorat) potuerint, longe maioribus autem vel detinendi diutius vel rursus reducendi sint, ideoque S. Regiam Vestram Maiestatem iterum maiorem in modum subditeque peto, ut hoc negotio pro necessitate diligenter considerato, praecipue vero quantum non solum Duci Megapolensi, verum etiam ipsi S. Regiae Vestrae Maiestati subita haec sententiae animique mutatio dedecus paritura sit, cogitato, primo quoque tempore commissarios in Livoniam suos ad tradendam commissario Megapolensi archiepiscopatus Rigensis possessionem ableget, ut ita imminutio dignitatis ac existimationis utrinque caveatur et arces Livonienses citra moram et cunctationem iustis praesidiis firmentur. Faciet in eo S. Regia Vestra Maiestas non solum prudenter, sed et suis rebus hac ratione optime consulere. Datum ut in literis.

Ex consilio Cancellarii
praesentibus Principe, Elia a Canitz
et Secretario
Enoch Baumgartner

- | | |
|---|---|
| 1) <i>Volfgangus Schutzbar.</i> | 5) <i>Gottardus Kettler.</i> |
| 2) <i>Ioannes IV Basilides.</i> | 6) <i>dux Megapolensis, coadiutor Rigensis.</i> |
| 3) <i>Gulielmus a Fürstenberg, magister olim Ordinis Livoniensis.</i> | 7) <i>Ioannes a Kreitzen.</i> |
| 4) <i>Fridericus II.</i> | 8) <i>Christophorus a Kreitzen.</i> |

N. 5770.

S.l., 4.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco, nuntiant se litteras mandati ad praefectum suum Ragnetensem dedisse, ut subditos Jurborgenses et Novawolenses iubeat omnia ea praestare, quae vigore litterarum hypothecarum regi praestare tenentur; pro communicatis novis gratias agit; significat se iam pridem transitum per Ducatum suum Gedanensibus et Elbingensibus [propter pestem] interdixisse.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 115-116.

Salutem etc.

Redditae nobis sunt Magnificentiae Vestrae literae, quibus petit subditis Jurborgensibus et Novae Volae mandari, ut iuxta constitutionem S. Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, currus cum

commeatu pro necessitate belli contra Moschum expediant. Velle enim S. Regiam Maiestatem hoc illis remissione certi cuiusdam census annui compensare. Qua in re ne quid in nobis desideretur, mandati literas ad praefectum nostrum Ragnetensem dedimus, ut subditos praedictos iubeat omnia ea praestare, quae vigore literarum hypotheciarum S. Regiae Maiestati praestare tenentur, quaeque communi totius Magni Lithuaniae Ducatus approbatione ad expeditionem hanc generalem decreta sunt, illis se non eximant. Quod facturos esse confidimus.

Pro novis nobis communicatis gratias agimus, daturi operam, ut hoc Magnificentiae Vestrae studium omni benevolentia demereamur.

Transitum Gedanensibus et Elbingensibus iam pridem interdiximus, certisque in locis vigiles disposuimus, qui itinerantes observent. Ac porro etiam, quantum in nobis erit, diligenter provideri ista iubebimus, cum non minus nostrorum quam S. Regiae Maiestatis hominum saluti prospectum cupiamus. Deus Optimus Maximus misereatur omnium. Et quam peccata plurima iustam illi excitarunt iram, hanc paterne mitiget. Datae etc.

Relatio Burggravii¹⁾
Andreas Moncer

1) Christophorus a Kreitzen.

N. 5771.

Ex Nova Domo, 6.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum pro subdito suo Alexandro Ruszkowski (de Rauski) intercedit et rogat,
«ut illi tandem literas ex Cancellaria tradere iubeat, quibus tum de suo servitio, tum de accipiendo vicissim stipendio certus esse queat».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 116-117.

N. 5772.

Ex Nova Domo, 6.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

pro Alexandro Ruszkowski (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 117-118.

N. 5773.

Ex Nova Domo, 6.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wollowicz, M.D.L. curiae marscalco,

pro oppidanis Jurborgensibus et Novawolensibus, conquerentibus contributionem de bobus hoc tempore, nondum finita messe, se sine gravi damno et iactura pendere non posse, intercedit et rogat, ut «aliquam moram et temporis spatium concedere ipsis velit, in quo pecuniam colligere possint, quae pro bobus exigitur».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 118-119.

N. 5774.

Ex Nova Domo, 8.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Ioanne Frydrychowski, Bernardi Pretwicz olim servitore, ut villam quandam ab eodem Pretwicz sibi donatam, nunc autem Pretwicz mortuo alteri petenti datam, quiete possidere possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 120-121.

N. 5775.

S.l., 9.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de palatino Culmensi, qui res subditis suis contra mandata regia ablatas non restituit, queritur et rogat, ut rex ei sub poena aliqua digna iniungat, quo subditis suis ablata absque mora restituat, neve in posterum quidquam ante commissariorum cognitionem moliri audeat.

Cfr. El. XXXII, N. 963.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 121-123.

Regi Poloniae, IX Augusti etc.

Serenissime Rex etc.

Non potest S. Regia Vestra Maiestas non meminisse, quam multis mandatis, et quidem adhuc anno praeterito, Palatino Culmensi¹⁾ iniunxerit, ut meos subditos bona sua, donec per commissarios cognitio facta esset, absque ullo impedimento quiete possidere permetteret, neque quicquam pendente lite contra eos attentaret, imo etiam quae illis vi abstulisset, restitueret. His S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatis non solum praefatus Palatinus non obtemperavit, dum ablata subditis meis non restituit, verum etiam denuo subditis meis Stollis nuncupatis aliquot equos et nuper adeo Capitaneo Schonbergensi, Theophilo a Polentz, retia sua a stagno Traupel nominato vi

abstulit, unumque ex servis ipsius (quem adhuc captivum detinet) abduxit, ut ipse Polentz hisce gravibus iniuriis ad recuperanda sua retia abducendumque vicissim quendam ex Palatini subditis plane compulsus fuerit. Palatinus vero aegre hoc ferens, dedit ad me literas perquam minaces.

Cum autem ipse Palatinus harum turbarum contra S. Regiae Vestrae Maiestatis mandata regia author fuerit, primusque, cognitione commissariorum non expectata, pacem violarit atque adeo ipse sibi iudicis partes hac in re sumpserit, idcirco S. Regiam Vestram Maiestatem maiorem in modum enixeque oro, dignetur tandem ipsi Palatino Culmensi non tantum serio, sed etiam sub poena aliqua digna iniungere atque mandare, ut subditis meis ablata absque mora restituat, nec in posterum quidquam ante commissariorum cognitionem adversus eos moliri ausit, paxque et tranquillitas, ut inter vicinos convenit, sancte conservetur. Nec dubito S. Regiam Vestram Maiestatem horum omnium iustam rationem esse habituram, idque ideo, ne ego in hac grandi aetate mea gravioribus molestiis, quae vitae meae non parum detrahere possunt, afficiar. De quo S. Regiam Vestram Maiestatem anno superiore consiliariis meis clementer praecepisse, ipsam in recenti adhuc memoria habere non diffido. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem subdite celare non debui. Quam Christo omnipotenti in bona diuturnaque valetudine conservandam commendo. Datae etc.

Enoch Baumgartner

1) *Ioannes Działyński.*

N. 5776.

S.l., 12.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntiat se subditis suis iam antea transitum in Lithuaniam interdixisse, civibus vero Regiomontanis iniunxisse, ut in Lithuaniam iter facientes a locis infectis abstineant, nec sine litteris suis testimonialibus terras regis intrent.
Cfr. El. XXXII, N. 956.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 123-124.

Regi Poloniae, XII Augusti.

Serenissime Rex etc.

Quod S. Regia Vestra Maiestas a me postulat hominibus iis, qui ex locis peste infectis veniunt, in Lithuaniam transitum prohiberi, illud etsi antea iam curatum a me erat, tamen postulante quoque S. Regia Vestra Maiestate diligentius provideri iussi, dispositis circumcirca vigilibus, qui itinerantes observent. Civibus Regiomontanis, qui quoquo modo iter in Lithuaniam habituri sunt, iniunxi, ut a locis infectis abstineant et ne sine literis nostris testimonialibus terras S. Regiae Vestrae Maiestatis intrent. Orandus autem est Deus, ut misericordiae suae memor iustam suam iram, quam peccata plurima illi excitarunt, clementer mitiget faxitque, ut vera ducti poenitentia poenae remissionem exorare ab eo possimus. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati respondenda esse duxi. Quam feliciter valere exopto. Datae etc.

Andreas Moncer

N. 5777.

S.l., 12.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia
Sebastiano Ciechański, cubiculario regio,
litteras suas ad regem scriptas mittit et rogat, ut eas regi reddat et responsum
ad eas regium per primum aliquem opportunum nuntium mittat.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1932.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 124-125.

N. 5778.

Ex Nova Domo, 12.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia
consulibus Cracoviensibus et, mutatis mutandis, Vratislaviensibus et Pragensi-
bus
subditum suum, Ioannem Steiffel, cum uno ex concivibus eorum negotium de
altari quodam ex alabastro («althar von alepaster») habentem, commen-
dat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5779.

S.l., 12.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
aliquot caseos mittit et rogat, ut eos nomine suo reverenter et obsequiose reginae
tradat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5780.

S.l., 18.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia
Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,
aliqua nova scribit: de Christophoro et Ioanne Alberto ducibus Megapolensibus,
de duobus ducis Christophori servitoribus primum Rostochium, postea in
Sueciam nescitur quo consilio festinanter profectis.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 125-126.

Petro Miskowski, XVIII Augusti etc.

Salutem etc.

Perscripsimus non ita pridem ad internuntium nostrum, Fridericum ab Aulack, nonnulla negotia, ut S. Regiae Maiestati Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, per Reverendam Generositatem Vestram communicarentur. Praeter ea nunc hoc etiam ad nos perfertur, Dominum Christophorum Ducem Megapolensem scriptis quibusdam, ex captivitate emissis, Dominum Iohannem Albertum apud plerosque Principes Imperii haud leviter insimulasse, matrem quoque Illustritatis Suae¹⁾ S. Regiam Maiestatem Poloniae in propria persona propediem invisuram esse. Item nuper duos Ducis Christophori servitores, quorum alter Iohannes Gans dictus, alter capitanei officio in Lembsen functus est, ex Schonenburgo, arce ad dioecesim Ratzeburgensem pertinente, tanta festinatione Rostochium properasse, ut unus ex equis in via conciderit ac mortuus sit. Postea eos Rostochii conscendisse ac subito in Sueciam navigasse. Quam rem moliantur, tempus fortasse in apricum proferet. Nos haec, ut quidem ad aures nostras pervenerunt, ad Reverendam Vestram Generositatem, ut S. Regiae Maiestati deinceps, si ita visum esset, arcano exponerentur, perscribenda esse censuimus. Deus omnipotens Reverendam Vestram Generositatem diu conservet incolumem. Datae.

Princeps ipse audivit
Enoch Baumgartner

1) Anna, filia Ioachimi I electoris Brandenburgensis.

N. 5781.

Ex Nova Domo, 20.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

propter pestem in viciniis Ducatus sui grassantem se nepoti eius Ludovico aditum ad se concedere non posse significat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 127-128.

Domino Petro Paulo Vergerio, XX Augusti etc.

Salutem etc.

Cum singulari quadam erga Reverendam Dominationem Vestram animi propensione feramur, facere non possumus, quin ad omnes ipsius epistolas respondeamus. Quod igitur ad proximam et ad petitionem Reverendae Dominationis Vestrae attinet, ut Ludovico nepoti conveniendi nos potestatem facere velimus, sciat Reverenda Dominatio Vestra ac penitus persuasum sibi habeat non facile sibi aliquid, quod recte fieri possit, a nobis denegari. Quod autem hac in parte ei gratificari non potuimus, causa haec est, quod in plerisque locis Ducatum nostrum attingentibus et alicubi etiam in ipsis ditioribus nostris pestis grassari incipiat, ideoque fugiendi periculi causa, quantum Deus omnipotens eius concedere vult, in Novam Domum, Regiomonti vicinam, cum paucis aulicorum nostrorum secessimus. Petimus itaque Reve-

rendam Vestram Dominationem peramanter, ne id, quod ad colloquium Ludovicum non admiserimus, secus atque a nobis factum est interpretetur. Dimissionis causas iam ante Reverenda Dominatio Vestra ex literis nostris cognovit. Ad eas nunc accedit pestis grassatio, propter quam imminuere quam augere aulam nostram maluimus. Quapropter hoc quoque loco rogamus, ut Reverenda Dominatio Vestra, quod tempori inserviendum esse statuimus, boni consulat. Alias in nullis rebus, ad Reverendam Vestram Dominationem spectantibus, de nostro erga ipsam favore quicquam sumus remisuri. Reverenda Vestra Dominatio felicibus rerum successibus utens bene valeat. Datae ex Nova Domo etc.

Enoch Baumgartner

N. 5782.

Ex Nova Domo, 25.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

mittit litteras Ioannis Alberti ducis Megapolensis, ad regem inscriptas; iterum rogat, ut rex eiusdem ducis consiliariis possessionem archidioecesis Rigensis absque mora tradendam curet.

Cfr. El. XXXII, NN. 960, 962.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 129-131.

Regi Poloniae, XXV Augusti, ex Nova Domo etc.

Serenissime Rex etc.

S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare non possum, quod adiunctas hasce literas, ad S. Regiam Maiestatem Vestram inscriptas, Illustris Princeps, Dominus Ioannes Albertus Dux Megalburgensis, gener meus charissimus, his diebus ad me misit, amanter petens, ut eas S. Regiae Maiestati Vestrae perferendas curarem. Quas ut S. Regia Maiestas Vestra sereno vultu clementerque accipiat, etiam atque etiam obnixe oro.

Conqueritur praeterea Sua Celsitudo iis in literis, quas ad me scripsit, sane dolenter, quod cessio sive traditio archidioecesis Rigensis propter eas causas, quas S. Regia Maiestas Vestra Suae Celsitudini perscripsit, tam diu protrahitur, quodque tantis sumptibus et expensis interea oneratur. Nam Sua Celsitudo iam pridem certos consiliarios, vicegerentes et praesidiarios aliquos milites in Livoniam misit, quos gravi sumptu (quemadmodum S. Regia Maiestas Vestra non ignorat) alere cogitur.

Quare cum non dubitem Suam Celsitudinem omnia, quae ad honorem, dignitatem et commodum S. Regiae Maiestatis Vestrae spectare videbuntur, diligenter et fideliter curaturam et voluntati S. Regiae Maiestatis Vestrae implendis propositis condicionibus se accommodaturam, vehementer et submisso oro, S. Regia Maiestas Vestra primo quoque tempore Suae Celsitudinis consiliariis et vicegerentibus possessionem archidioecesis tradendam curet, ut habeat unde eos, quos iam Sua Celsitudo praemisit et posthac in eam provinciam praesidii causa missura est, alat et sustentet, ne cum ludibrio, ignominia et gravi damno decedere inde cogantur. Id Sua Celsitudo perpetuis

officiis demereri studebit et ego omnibus debitis servitiis S. Regiae Maiestati Vestrae rependere sedulo conabor. Quam Christus Optimus Maximus longissimis temporibus salvam, felicem et incolumem tueatur. Datae etc.

Constantinus Sylvius

N. 5783.

Ex Nova Domo, 28.VIII.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wotłowicz, M.D.L. curiae marscalco,

400 oves, quas sibi mitti petebat, hoc autumnno se ei dare non posse nuntiat, «siquidem omnes, quae nunc super legitimum numerum oves supersunt, iam pridem aut aliis promissae aut alio destinatae sunt»; anno venturo eas ipsi mittere pollicetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 128-129.

N. 5784.

Ex Nova Domo, 5.IX.1564.

Albertus dux in Prussia

senatui Caunensi

rationes interclusorum ad tempus itinerum et prohibita navigationis explicat.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 136-137.

Senatui Caunensi, quinta die Septembris, ex Nova Domo.

Salutem etc.

Ex literis vestris, XXV die praeteriti mensis Augusti ad nos datis, quae de interclusis ad tempus itineribus ac navigatione a vobis scribuntur, clementer cognovimus. Ut autem causas istius interclusionis cognoscatis, scire vos volumus eam non esse factam ob rumorem infecti (ut vos putatis) aeris, aut quod pestis luem in vestra quoque civitate grassari coepisse cognoverimus, sed quod S. Regia Maiestas Poloniae etc., Dominus noster clementissimus et consobrinus carissimus, propter pestem Gedani et Elbingae vehementer saevientem, in nonnullis autem Ducatus nostri locis exorientem, id a nobis fieri plane voluerit. Cum itaque non solum a vestra civitate, verum etiam a toto Magno Ducatu Lithuaniae prohibendae tetrae luis causa, volente S. Regia Maiestate, id consilii a nobis susceptum sit, cogitare facile potestis, illa insciente et antequam, quorsum malum hoc pestilens evasurum sit, constet, nos navigationem vicissim liberam permittere non posse. Quam primum autem Deus omnipotens (quem eo nomine etiam atque etiam ardentibus votis invocamus) iram suam a nobis averterit, libenter et in hac et aliis etiam in rebus ad conservandam bonam vicinitatem spectantibus vobis gratificaturi sumus. Imo nobis ne nunc quidem optatius esse quicquam posset, quam ea tempora, quibus navigationem intercludi oporteret, non accidisse. Neque enim non intelligitis ea ratione reditus nostros, quod ad vectigalia attinet,

haud parum imminui. Quam tamen decessionem pati quam communi saluti, quantum in nobis esset, non consulere maluimus. Atque haec vobis ad literas vestras respondenda esse duximus. Datae.

Relatio Burggravii¹⁾
Doctor Jonas et Doctor Franciscus²⁾
legere.

1) *Christophorus a Kreitzen.*

2) *Lismaninus.*

N. 5785.

Ex Nova Domo, 11.IX.1564.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae, pro litteris gratias agit et rogat, ut porro etiam saepe se litteris invisat; de morte imperatoris, praecipue propter reginae immensum dolorem, vehementer dolet et consolationem reginae a Deo precatur; pro communicatis novitatibus et recessu Comitiorum Parczoviensium sibi misso gratias agit; regi Parczovia Cnissinum proficiscenti benedictionem divinam exoptat.

Cfr. El. XLIII, NN. 265, 266.

Ostpr. Fol., vol. 46.

An hern Terla, Neuhaus den 11 Septembris 64.

Wir haben numehr zwey schreiben, das erste den 16, das ander den 28 monatstag Augusty negstvorflossen datirt, von euch bekhommen, dieselben bayde vorlesen und inhalts, den wir lengicht zu wiederholen und zu repetiren nicht notig achten, vorstanden und eingenommen. Thun uns anfenglichen der dinstlichen schriftlichen ersuchunge gegen euch als unserm besondern geliebten in gnaden bedancken und sinnen gnedigist, ihr wollet euch der muhe nicht bevielen lassen und uns mit eurem schreiben oft besuchen.

Als ihr aber meldet und uns zu erkennen gebet, das die ro.kay. mt. von Gott dem almechtigen aus dieser zergencklichen, schnöden welt in die ewige freude, ruhe und sehligkait abgefordert¹⁾, solcher abgangk ist uns umb gemaines nutzes und wolfart willen vast betrueblich zu vornehmen gewesen, aber noch schmerzlicher ist uns, das wier dadurch unser allergnedigste fraw, die künigin²⁾, in grossem hertzlichem betrubnus wissen sollen.

Weil es aber ein fall, der nicht zu wiederbringen, und alle menschen darzu erschaffen und geboren seint, das sie durch den zeitlichen todt in die ewige freud und sehligkait eingehen müssen, wier auch wissen, das hochgemelte ko.mt. durch godtlich wordt woll belernet, wie sie sich in solchen fellen halten und schicken sollen, damit sie den laitt und khummernus wieder Gottes willen auch nicht zu viel raum geben und zuelassen, do bitten wier göttliche almechtigkait, ehr wolle ire ko.mt. durch seinen gaist und gnade stercken, auf das sie solch schirer creutz mit gedult ertragen mögen. Zweifeln auch nicht, ihr als ein christ und ihrer mt. trewer rat und diener, werdet derselbigen disfals mit geburlichem christlichem trost beystendig zu sein nicht nachlassen.

Der mitgetheilten zeitung in baiden schreiben, sowoll auch des uberschickten recesses der partzowischen handlung³⁾, thun wir uns gegen euch mit gnaden bedancken. Und begeren gnedigist, wes weiter vorlaufen und

sich zutragen wirt, ihr uns solches, sovill uns zu wissen ziemlich, iederzeit mittailen und eröffnen wollet. Bitten auch Gott den almechtigen, ehr wölle ie die gnade geben und vorleyhen, damit ko.mt. alle ihre sachen und hendel Gott allein zun ehren und zu erbraitterung seines ainigseligmachenden wort-tes, auch volgens der löblichen Cron Polann und allen derselben incorporir-ten landen zu trost, gedey und aufwachs sehlighlichen vorrichten, auch iren feindten allen mit grosem lob und preys obsiegen mögen.

Das konigliche mt. ihren wegk von Partzaw nach Knitzin genommen, darzu wünschen wir Gottes seggen. Hetten aber woll gehoffet, solches auf einen andern weg gericht gewesen sein solte. Und bitten den allerhochsten Godt, sein almacht wolle das alles, so beschwerlich, mit gnaden abwenden und nach seinem vatterlichen willen zur besserung schicken, welches wier euch hinwieder zu gnediger andtwort nicht vorhalten wöllen. Und seint auch mit sondern gnaden gewogen und zugethon. Datum Neuhaus, den 11 Septembris anno etc. LXIII.

B. Gans
C. Dargitz

1) *Ferdinandus I obiit 24.VII.1564.*
2) *Catharina.*

3) *Comitia Regni a 24.VI. ad 12.VIII.1564 a.*
Parczoviae celebrata.

N. 5786.

Ex Nova Domo, 13.IX.1564.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim

*de exitu Comitiorum Parczoviensium se ab internuntio suo edoctum esse nun-
tiat; de Tartarorum [ad Moscum] defectione dolet; ob mortem imperatoris
tam communis Reipublicae causa, quam propter reginae immensum dolo-
rem valde se turbatum esse scribit; significat se Deum orare, ut hoc tam
tristi tempore reginae adesse velit; de Bernardo Pohibel erga coquinae regi-
nalis praefectum se male gerente indignatur.*

(Schedula: de litteris eius, 27.VIII. datis, a se acceptis).

Ostpr. Fol., vol. 46.

An Ehrharten von Kunhaim, 13 Septembris 64.

Wier haben dein schreiben, den 16 vorschines monats Augusti zu Radom datirt, bekhommen, inhalts, der zu repetiren nicht nottig, lesende eingenom-
men. Sovill anfangklichen den gehaltenen tag zu Partzava¹⁾ anlangt, ist nicht
ohne, wir habens allerley bericht, wes daselbst gehandelt, von unserm ge-
sandten empfangen. Und ob wir woll viel ding der löblichen Crohn und
gemainem nutz zum besten in andere wege gericht sehen, können wir doch
dawieder nicht. Bitten allein, Gott der almechtige wolle durch seine götliche
gnade und barmherzigkeit alle sachen dahin richten, dadurch sein göttlicher
nahme geehret, gelobet und gepreuset, auch in gemeiner christenheit fried,
lieb und ainigkheit erhalten werden muge.

Der abfall des Tadtern, darvon man eine zeitlang reden wöllen, hat uns
warlichen allerley schmerzliche betruebnus vorursacht. Weil wir aber
gleichwoll hernach berichtet worden, als solle es so gros, wie man sich

vermutet, nit sein, haben wir uns desselben wiederumb getröstet, und begeren gnediglichen, wes dir weiter aigentlich furkompt, du uns dasselbe berichten wollest.

Der römischen kay.mt., unsers allergnedigsten herrn, abgangk²⁾ ist uns umb gemainer wolfart willen gantz hoch betrublich, aber nach schmerzlicher gefellet uns solches, das wir unsere allergnedigste königin³⁾ uber ander furstehende beschwer nach mit diesem betrubettem creutz beladen sollen wissen, und ob uns dein schreiben, weil darinne gemeldet, das ire mt. sich gleichwoll woll zu friede geben, unsere bekhommernus, die wir irer mt. halben tragen, etwas gelindert, konnen wir doch woll gleuben, das ire mt. sich im ansehen mehr tröstlicher, als vielleicht das gemut ist, gestellet. Wier wollen aber den Allerhöchsten mit unsern vleissigem gebet embsigk anrufen und bitten, das ehr durch seine kraft und stercke bey ihrer ko.mt. sein und sie durch die gnade des heiligen geistes nicht allain in diesem creutz, sonder aller ander widerwertigkhait gnediglichen sterckhen wolle.

Das auch ire mt. uns solchen fall nicht ehe zu erkennen geben und dier der erste brief, den ihre mt. seindt der zeit, als der fall geschehen, mit aigner handt an uns geschriben, ist, wolten wier nicht gerne, das ire mt. sich unserernt halben viel und hoch bemuen solte. Begeren auch gnedigst, du soviel dir muglich dafur sein wollest, dann uns warlichen laitt sein muste, das ire ko.mt. uber tragende beschwer unserernt halben mit ainiger muhe belegt solten werden.

Ferner haben wier warlichen, das die personliche zusammenkhunft auch uber beschehen, vortrösten und demutig anregen, vorblieben darzu, das man sich in anderen dingen seltsam erzeigt, nicht mit weniger schmerzen unsers gemuts, als das obige, vernommen. Weil aber solchs zu endern in unserer macht nicht, so bitten wier allain Gott den allerhöchsten, ehr wolle durch seine götliche gnade und kraft solche beschwerung einmal endern und zu christlichen wegen, auch ihme selbest zu ehren wenden und schicken. Nachdem wier dann der besserung mercklichen hoffen, do begeren wir abermals gantz gnedigst, du wollest, wes in diesen und bewusten hendeln (darzu wier von Gott dem almechtigen seine gnade wunschen und bitten) furfelt, in vortrawen vorstendigen.

Aus eingelegtem zettel vermercken wier, wie unbescheiden sich Bernhart Pahibell gegen höchstgedachter ko.mt. kuchenmaister vorhelt, das ist uns in warheit nicht lieb. Haben ihm demnach ernstlich geschrieben und bevolen, das ehr sich gegen ihme einstellen und der gebur vorhalten solle.

Was das geschrey, so von dem hern marienburgischen woywoden etc.⁴⁾ erschallen, anlangt, davon wirt zaiger andern und besseren beschaidt bringen. Und müssen solche dergleichen dinge, welche sich ieweillen der bosen welt ahrt nach zutragen, Gott lassen bevolen sein. Dis wolten wir dir etc. Datum Newhaus den 13 Septembris anno etc. 64 etc.

Cedula

Als wir algereit dis schreiben an dich gefertiget, wirt uns dein brief, denn 27 Augusti negst vorlaufen, behendiget, den wir gelesen. Das nun unser gendigsten frawen und künigin an übersendung der kehse zu gefallen geschehen, das hören wir gerne, dann uns nicht erfrewlicher begegnen mag, weder do ihrer ko.mt. wir viel angenehmer freuntschaft und dinst erzaigen khönnen. Wunschen nochmals, wie zuvohr, ire ko.mt. mit ergetzlickhait genissen mugen. Deiner brief halben, die du uns zuvor durch Merten, den postreuter, und unsern jungen, den Frantzosen, zugeschickt, darfstu keine beisorg tragen, dann uns dieselben woll und unvorsehret zukommen. Die handlung des

pragauischen tages ruhen in sich. Der liebe Gott wolle alle ding mit gnaden zu seinen ehren schicken. Wes man in Polan von des turckischen kayzers abgang⁵⁾ und der veste Ohfenn halben geredet, stellen wier an seinen ort. Wunschen und bitten von hertzen, das alle sachen zu gemeiner christenheit wollfart gerichtet mugen werden.

Das mandat, so du uns zugeschicket, sicht gewiesslich, wie du schreibest, seltzam aus. Konnen aber noch zur zeit darauf nicht judiciren, sondern wollen fernern umbgangk erwarten.

Was den eingelegten zettel deiner aigenen handt ahnlanget, achten wir darauf weitleuftig zu andworten nicht nöttig, in betrachtung, das wier zu-vohrn im schreiben von diesen hendeln notwendige meldung thun. Und wolten dir dis neben anderen gnediger wolmainung nicht bergen. Datum ut in literis.

B. Gans se[cretarius]

1) *Comitia Regni Parczoviensia a 24.VI. ad 12.VIII. a. 1564 celebrata sunt.*

2) *Ferdinandus I obiit 24.VII.1564.*

3) *Catharina.*

4) *Achatius Czema.*

5) *Solimanus II obiit a.1566.*

N. 5787.

S.l., 14.IX.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vlnensi, M.D.L. cancellario, ad se perlatum esse nuntiat, regem Sueciae ad Christophorum ducem Megapolensem, coadiutorem Rigensem, ex captivitate Polona liberandum, aliquos ex suis ingenti pecunia praeditos Argentoratum misisse, ut filium palatini [Nicolaum Christophorum], ediscendis litteris ibi operam navantem, raperent et abducerent.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 137-139.

Duci Olycensi, XIII Septembris.

Officia nostra amica ac fraterna et quicquid grati praestare possumus. Illustris Princeps, Amice ac Frater singulariter nobis dilecte.

Faceremus profecto contra fraternam necessitudinem, quam cum Illustritate Vestra habemus, si eam vel minimum, quod incommodo ei esse possit, celaremus. Multo igitur magis in re longe maxima, cuiusmodi hoc tempore non vano rumore ad nos perlata est, id cavendum esse existimamus. Rex enim Suecorum¹⁾, dum omnem movet lapidem, quo pacto Christophorum Ducem Megapolensem²⁾ ex captivitate liberet, rescivisse dicitur filium Illustritatis Vestrae³⁾ Argentorati, quod quidem hucusque nobis ignotum fuit, literis operam navare. Ideoque non paucos ex suis, ingenti vi pecuniae instructos, ad abducendum eum subornavit. Quam rationem liberandi Ducis Christophori expeditissimam esse arbitratur. Etsi autem Argentoratum sit urbs satis munita atque propterea fortasse abductio non metuenda, tamen id etiam atque etiam considerandum existimamus, vi-ne potius quam fraude ac dolo rem sint tentaturi. Nihil certe inexpertum eos relicturos esse, quo viam ad perficiendum id, quod meditantur, inveniant, nullum est dubium, et pecunia saepe res prope impossibiles confici Illustritas Vestra non ignorat.

Ideoque possent fortasse (quae illius loci conditio est) aliqui non infimae sortis homines pecunia corrumpi, qui filium Illustritatis Vestrae vel recreationis causa, vel ad convivium, vel quocunque alio praetextu extra urbem invitarent, ut ita in manus Suecorum incideret et abduceretur. Quod cum saepe usu venerit, atque etiam aliquando cuidam Truchssio, Baroni a Walpurgk, duo filii, qui Parisiis similiter literarum studiis incumbabant, ex ipsa urbe abducti ac postea difficillimis sumptibus redimendi fuerint, pro novo non est habendum. Sed cum Illustritas Vestra pro industria sua singulari haec longe melius quam nos intelligat, inveniet haud dubie remedium, quo tantis technis occurri queat. Nos quidem haec quam primum cognovimus, Illustritati Vestrae pro nostro erga ipsam amore propensaue voluntate secretius communicanda esse duximus etc.

Cancellarius⁴⁾ retulit, eodem audiente Principi
placuit
Enoch Baumgartner

1) *Ericus XIV.*

2) *coadiutor Rigensis.*

3) *Nicolaus Christophorus Radziwill.*

4) *Ioannes a Kreitzen.*

N. 5788.

Ex Nova Domo, 18.XI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

in negotio Ioannis Alberti ducis Megapolensis rege in pristina sententia perseverante, suadet, ut alia aliqua eius negotii expediendi ratio ineatur, qua cum regis tum ipsius ducis Megapolensis existimationi rectius consulatur; nuntiatur praeterea de rebus Sueticis se ad vicecancellarium Regni scripsisse (cfr. N. seq.).

Cfr. El. XXXII, N. 962.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 140-141.

Regi Poloniae, XVIII Septembris, ex Nova Domo etc.

Serenissime Rex etc.

Intellexi tandem ex proximis S. Regiae Vestrae Maiestatis literis eam, quod negotium Domini Ioannis Alberti Ducis Megapolensis attinet, in pristina perseverare sententia, nec de ea ulla ratione deduci posse. Quod cum ita sit, rem totam una cum eventu suo, quem felicem esse precor, Deo commendo. Hoc autem ne nunc quidem pro fide mea reticere possum, non videre me, qua ratione rebus eum in modum dispositis dignitati S. Regiae Maiestatis Vestrae satis prospectum sit. Genero quidem meo, praeterquam quod maximos sumptus misso in Livoniam milite frustra fecerit, macula non levis aspergetur. Quam ob rem adhuc suaderem aliam horum tractatum rationem iniri, qua cum S. Regiae Vestrae Maiestatis, tum ipsius etiam Ducis Megapolensis existimationi rectius consuleretur, si consiliis meis fidelibus locum aliquem relictum esse putarem. Quoniam autem S. Regia Maiestas Vestra anum hac de re suum non videatur mutatura, non arbitror me operae pretium facturum, si eandem cantilenam subinde recolam.

De rebus Sueticis sententiam meam ad Dominum Vicecancellarium¹⁾ perscripsi, quam S. Regia Maiestas Vestra ex ipso cognoscere non dedignabitur. Quam multos annos rectissime valere exopto. Datae etc.

Ex relatione D. Cancellarii²⁾
Princeps eodem praesente audivit.
Enoch Baumgartner

1) Petrus Myszkowski.

2) Ioannes a Kreitzen.

N. 5789.

Ex Novo Castro, 18.IX.1564.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

pro negotiis sui apud regem promotis gratias agit; in negotio executionis necessum esse arbitrat, ut rex moderationem adhibeat; sententiam suam et consilium exponit, quomodo cum rege Sueciae agendum sit eiusque conatus evertendi; in causa Ioannis Alberti ducis Megapolensis rege de pristina sententia deduci nolente, se non videre scribit, qua ratione dignitati regiae eiusdemque ducis existimationi prospici possit.

(Schedula: de pecunia regi mutuo data sibi restituenda).

Cfr. El. XLI, NN. 1933, 1935, 1936.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 141-152.

Vicecancellario Regni Poloniae etc., 18 Septembris ex Novo Castro.

Salutem etc.

Duas accepimus a Reverenda Vestra Generositate diverso tempore literas. Priores consiliarius noster Fridericus ab Aulack, quem ad Partzoviensia Comitia¹⁾ ablegaveramus, nobis reddidit, posteriores cum literis S. Regiae Maiestatis Poloniae, Domini nostri clementissimi et consobrini charissimi, ad nos perlatae sunt. Ex utrisque autem, quanto studio quaque industria ac diligentia Reverenda Vestra Generositas negotia praefato nostro ad S. Regiam Maiestatem internuntio commissa adiuverit, satis superque perspeximus. Quod ut acceptissimum nobis fuit, ita operam daturi sumus, ut animum Reverendae Vestrae Generositatis propensum ac benevolum erga nos mutua bene merendi voluntate tueamur.

Responsum S. Regiae Maiestatis per dictum consiliarium nostrum nobis expositum quod attinet, multa quidem ex eo de executione Prutenica cognovimus, quae prius nobis nota non fuerunt. Sed tamen nihilominus adhuc omnino necessum esse arbitramur, ut S. Regia Maiestas eam adhibeat moderationem, qua amplitudini, famae, dignitati atque existimationi cum suae propriae, tum divi quoque parentis sui maxime consulatur, animique Prutenorum his turbulentis temporibus, quibus etiam subditi satis leniter ac mansuete tractati difficiliter in officio contineri possunt, non nimium offendantur, neque privilegia eorum, revera sanguine ipsorum parta, ullo pacto violentur. Etsi autem penitus suspicari non possumus eos fidei S. Regiae Maiestati praestitae oblitos, aut pertaesos subiectionis ad defectionem inclinatos,

tamen hoc metuendum esse etiam atque etiam iudicamus, ne aliquando officium suum adversus hostes, qui iam dudum de bello hisce regionibus inferendo, ut eas sui iuris faciant, constituerunt satis alacriter ac fortiter atque ita, ut alias fortasse facturi essent, non faciant.

Hoc autem iam dudum certo certius scimus, non solum Magistrum Teutonici Ordinis²⁾ nonnullosque Romani Imperii status adversus Livoniam atque Prussiam bellum moliri, verum etiam ipsum Suecorum Regem³⁾ dominium harum provinciarum unice affectare summoque earum desiderio teneri, ita etiam, ut et hoc et praeterito anno classe mari commissa fortunam suam adversus eas experiri voluerit. Quod quidem ipsius consilium expeditio Danica hactenus perturbavit. Quod autem nunc de pacificatione cum S. Regia Maiestate constituenda legatos misit, certe fraude, dolo atque insidiis non caret. Quam ob rem fecit S. Regia Maiestas persapienter, quod inscio Danorum Rege⁴⁾ nihil certi cum Sueco constituere voluit. Nam cum Sua Maiestas Regia de transmissis ad nos legationis Suedicae capitibus regioque ad ea responso iudicium nostrum (quod quidem de tantis rebus perexiguum est) requirat, neutiquam committendum esse censemus, ut fides nostra Suae Maiestati Regiae ulla in re defuisse merito cuiquam videri possit.

Pactionem itaque cum Rege Suecorum fieri manibus pedibusque dissuademus. Est enim certissimum, quod a pace colenda animus ipsius adeo abhorreat, ut paene ipsum amabile pacis nomen ei invisum sit. Legatione autem ad Suam Regiam Maiestatem missa nihil aliud molitur, quam ut societatem et foedus ipsum, quod Maiestati Suae cum Serenissimo Danorum Rege intercedit, dissuat. Hoc si ipsi succederet, universas vires suas, quas nunc necessario divisas habet, adversus unicum Danorum Regem converteret nec acquiesceret prius, quam Serenitatem eius (quod Deus prohibeat) plane oppressisset Regnoque Daniae potitus esset. Id hac ratione etiam absque magno labore se effecturum arbitratur (sicuti etiam efficere potest), si amicitia cum Maiestate eius Regia reconciliata copias militares (quas quidem non exiguas in Germania collegit, in Suecia autem praeter suos rusticos militiae ignaros nullas habet), resque ad victum pertinentes (nulla enim alia re ad bellum necessaria, neque pecunia, quae belli nervus est, neque navibus instructissimis destituitur) per Prussiam transvehere in Sueciam possit. Oppresso et devicto Danorum Rege, certo constitutum apud se habet, ut gratitudinem erga Regiam Maiestatem declaret suam. Causam enim coeperit, quo iure quaque iniuria, ut pace dirempta easdem vires suas, et quidem victoria de Rege Daniae adauctas, in S. Regiam Maiestatem Suam convertat eamque pari modo Regno turbet idque ipse occupet.

Si Maiestas Regia pacis conditiones non acceperit, hanc ingressurus est viam, ut cum Rege Daniae in simulatam gratiam redeat, atque ita ab alterutro duorum Regum pace impetrata, alterum primo loco, postea utrumque devincat ac deinde pro sua dominandi cupiditate terminos Regni sui subinde proferat. Audet enim (quod paene incredibile est) sibi non solum Regnorum Poloniae ac Daniae, verum etiam totius Germaniae atque fere cuiusdam monarchiae spem facere. Hanc esse ipsius animi intentionem nobis, qui hoc habemus exploratissimum, ne minimum quidem dubium est. Quod autem pacisci vult, hinc fit, quod subditos omnium ordinum, praesertim vero primates ac procures Regni sibi infensos habet, et rustici eodem aliqua ex parte inclinant. Hique adeo cum salis, lupuli multarumque aliarum rerum ad vitam degendam necessariarum in Suecia magna penuria sit, frumentum quoque hoc anno parcius provenerit, commeatu nunc temporis undequaque illis intercluso, urgere ac sollicitare apud Regem non desistunt, ut cum alterutro saltem duorum Regum, aut Poloniae aut Daniae, de pace conveniat, ut

rerum necessariorum defectui mederi possint, interimque de altero devincendo strenue cogitet ac postea, foedere disrupto, in alterum vim belli convertat. Quod quidem Rex se per quascunque condiciones, sive aequas sive iniquas, dummodo animum suum expleat, facturum recepit. Nihil minus autem ipsi cordi est quam pax constans ac firma, nisi fortasse cogatur a subditis, imperium aliquo modo detrectantibus, ad accipiendum eas condiciones, quas alias non facile admissurus esse videtur. Quod quidem fieri posse confidimus.

Quamquam autem sententiae nostrae hoc contradicere videri queat, quod Sueci nuper aliquas Battavorum naves sale onustas interceperunt, tamen id contra ea, quae scribimus, nihil facit. Non enim putandum est eas naves tantam rerum necessariorum copiam Suecis attulisse, quae vel in dimidium vel integrum annum tanto Regno sufficiat. Quapropter tantam gerendarum rerum occasionem, qua nos ipsos uti oportet, hosti sub eiusmodi praetextu pacem poscenti deferendam esse consulere nullo modo possumus.

Quapropter rebus hunc in modum se habentibus, quid facto opus sit, sole meridiano clarius est. Non est credendum Sueco, non paciscendum cum ipso, multo minus indutiae faciendae. Nam si indutiae fierent, ille interea temporis de omnibus rebus necessariis sibi prospecturus ac deinceps tanto facilius rem ex animi sententia confecturus esset. Aut si quis cavendum esse existimet, ne forte S. Regia Maiestas animum a pace alieniorem habere videatur, tunc omnino in pacificatione hae condiciones proponendae sunt, ut illi Rex Danorum non minus quam S. Regia Maiestas Sua inseratur, adeoque Suecorum Rex neque adversus S. Regiam Maiestatem Poloniae, neque adversus Regem Daniae aut utriusque Regis confoederatos ullo unquam tempore quicquam hostile vel occulte vel aperte attentare ausit. Quo pacto autem hae condiciones constitui possint, nos non videmus. Suecus certe, quoniam rem seriam non agit, in pacificationem nos venire vix admittet. Quare etiam fucum ipsius pessimo veneno deteriorem, quantum fieri potest, fugiendum statuimus. Quae omnia S. Regiae Maiestati meliore ordine elegantioreque oratione exponi petimus. Nos saltem obiter ista, quae certissimis certiora esse scimus, Reverendae Generositati Vestrae commemorare volumus.

Sed neque hoc praetereundum esse arbitramur, quod rumore haud vano ad nos perfertur alere Suecum maximis suis sumptibus, cum hic in Prussia, tum in Polonia quoque atque Livonia, complures exploratores, qui eum de omnibus, quae tam inter Regiam Maiestatem et Moscum⁵⁾, quam alibi geruntur, subito certiores faciant. Qui isti sint, adhuc quidem ignoramus. Quod ubi constiterit, ocus S. Regiae Maiestati Suae communicabimus. Hoc tamen ex hominibus fide dignis cognovimus, ex Furstenbergio⁶⁾ isto, apud quem non ita pridem literae aliquae, a Sueco ad Dominum Christophorum Ducem Megapolensem⁷⁾ scriptae, per Ducem Curlandiae⁸⁾ repertae sunt, quique adhuc in Polonia commorari dicitur, res multas indagari posse, quod is exploratorum Suedicorum non postremus sit et plura etiam scripta apud se servet. Eodem modo certiores reddimur a quibusdam in Suecia quidem habitantibus, sed magis in hanc partem propendentibus, fide non indignis, anno elapso Gedanenses centum lastas salis in Sueciam transportasse, hoc vero anno duas naves eo misisse. Quae cum non absque gravissimo S. Regiae Maiestatis periculo, adeoque contra totum Regnum Poloniae fiant, vehementer nobis Gedanenses videntur admonendi, ne quid eiusmodi, qui nunc rerum status est, facere tentare-ve ausint.

Atque haec sunt, quae significanda S. Regiae Maiestati necessario esse arbitrati sumus. Ne autem vel hae literae nostrae non satis diligenter observatae, aut earum argumentum ad eiusmodi homines (quod periculo nobis esset

futurum) perveniat, rogamus amice, ut nobis cum hoc ipso veredario nostro, quam primum S. Regiae Maiestati negotia in iis comprehensa relata fuerint, remittantur.

Quod tractatus Livonicos cum Domino Iohanne Alberto Megapoliae Duce attinet, videmus S. Regiam Maiestatem de sua sententia deduci non posse. Etsi autem, quo pacto rebus eum in modum constitutis, cum S. Maiestatis Regiae, tum ipsius etiam Ducis Megapolensis dignitati satis prospectum sit, non intelligamus, tamen tandem cum consiliis hac in parte nostris nullus locus relictus esse videatur, rem omnem una cum eventu suo, quem felicem esse optamus, Deo aeterno committimus. Praeter id, quid faciendum nunc sit, non possumus statuere. Datae.

Commissio Principis per Cancellarium⁹⁾
Idem cum Friderico ab Aulack audivit et
legit
Principi, audiente Cancellario, placuit etc.

Cedula

Non minus hinc etiam propensam Reverendae Generositatis Vestrae erga nos voluntatem perspeximus, quod petitioni nostrae a S. Maiestate Regia impetrando, ut nobis pecunia, quam anno superiore Maiestati eius mutuo dedimus, a Thesaurario Marienburgensi¹⁰⁾ restitueretur, haud illibenter gratificata est. Verum id mandatum, quod dictus Thesaurarius etiam ne mille quidem florenos in promptu esse sancte affirmarit, nihil nobis profuit. Cum autem ista triginta millia florenorum, quae ad usuram, ut S. Regiae Maiestati gratificaremur, aliunde mutuati sumus, nunc vicissim a nobis per creditorem exigantur, nullum aliud consilium quod sequamur invenimus, quam ut apud S. Regiam Maiestatem iterum instemus. Si vero (quod nolle-mus) parum sumus profecturi, proximum est, ut Palatinum Mariaeburgensem¹¹⁾ tanquam fideiussorem de solutione in momento praestanda serio urgeamus. Quod quidem intermittere quam facere malimus. Nam cum Palatinus tantam summam, praesertim hoc periculoso tempore, difficulter et non sine gravi usura conflare possit, S. Regia Maiestas solvendi rationem, praeterquam quod rem indignitas etiam quaedam consequutura est, multo difficilior, quam nunc est, effecerit. Creditor enim, si satisfactum ipsi ad praescriptum tempus non fuerit (quemadmodum satisfacere ei, priusquam nobis satisfiat, non possumus), haud dubie interesse grande requiret. Hoc cum nos sustinere non voluerimus (sicuti etiam S. Regiam Maiestatem id non velle putamus), onus primum a nobis in fideiussorem transferetur, is porro a Regia Maiestate damna rependi contendet, ut ita solutio perdifficilis sit futura posteriorque summa priorem multum superatura. Idcirco Reverendam Generositatem Vestram precamur, ut dignitati et commodo S. Regiae Maiestatis dictique Palatini ac nostris quoque rationibus consulat, utque nos, pecunia ad summum intra duorum mensium spatium accepta, fidem nostram liberare possimus, diligenter adiuvet. Eius officii non solum non futuri sumus immemores, verum etiam id per occasionem compensaturi. Datum ut in literis etc.

1) Comitata Regni Parczoviae a 24.VI. ad 12.VIII. a. 1564 celebrata.

2) *Volfgangus Schutzbar.*

3) *Ericus XIV.*

4) *Fridericus II.*

5) *Ioannes IV Basilides.*

6) *Gulielmus a Fürstenberg, magister olim Ordinis Livoniensis.*

7) *coadiutor Rigensis.*

8) *Gottardus Kettler.*

9) *Ioannes a Kreitzen.*

10) *Ioannes Kostka.*

11) *Achatius Czema.*

N. 5790.

S.l., 26.IX.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Rey de Naglowice et mutatis mutandis, Adamo Zieliński et N. Bomiński propter pestem in aliquibus Ducatus sui partibus grassantem filium eius, in aula sua prope filium suum hucusque commoratum, ei remittit.

Cfr. El. XLI, NN. 1939, 1940.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 152-153.

Nicolao Rey de Naklowitze, Adamo Szelinski, iudici terrestri Radomien-
si, et nobili N. Bominski, XXVI Septembris anno etc. LXIII.

Albertus etc.

Generose, nobis sincere dilecte.

Quandoquidem propter grassantem in aliquibus Ducatus nostri partibus pestem Illustrem filium nostrum¹⁾ ad castra nostra silvestria seu venatoria cum comitatu suo misimus, faciendum nobis omnino esse duximus, ut numerus nobilium puerorum, qui cum Illustritate Sua hactenus vixerunt, hoc tempore contraheretur. Itaque et filium Generositatis Vestrae²⁾ inter eos, quos parentibus remisimus pueros, Generositati Vestrae cum nobili hoc Martino Quiatkowski de Rozice, servitore nostro, remittendum esse censuimus, ne tam suo ipsius, quam cum filii nostri periculo, in ista puerorum copia, si contagium hoc pestilitatis (quod Deus avertat) aliquem illorum invaderet, versaretur. Ne autem aegrius Generositas Vestra hoc ferat secus-ve accipiat, clementer benigneque contendimus. Nisi enim ratio praesentis huius temporis illud ipsum flagitaret, facile passuri fuisset, ut idem Generositatis Vestrae filius diutius cum filio nostro prima literarum rudimenta mutuo exercitio discendo continuasset. Atque haec Generositati Vestrae clementer significanda esse duximus. Datae etc.

Andreas Moncer

1) *Albertus Fridericus.*

2) *Andreas.*

N. 5791.

Ex Novo Castro, 3.X.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

instrumenta monetalia, in usum regis in Inferiore Germania confecta, permissu suo in Regio Monte deposita esse nuntiat et responsum regium exspectat, quo ea porro a servitore suo perferri velit.

Cfr. El. XXXII, N. 966.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 157-158.

Regi Poloniae, III Octobris anno etc. LXIII.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quidam Antonius Trap Regiomontem his diebus venit, literas Constanti-
ni Ferbers, consulis Gedanensis, ad me perferens. Ex quibus intellexi, cura ipsius instrumenta quaedam monetalia in usum S. Regiae Vestrae Maiestatis in Inferiore Germania parata esse, quae quam primum ad S. Regiam Maiesta-

tem Vestram transportari vellet. Etsi autem, omni negotiatione hoc tempore inter Gedanenses et Regiomontanos inhibita, concedere, ut ea instrumenta Regiomonti deponerentur, vitandi periculi causa nonnihil dubitavi, tamen dubium istud studium summum erga S. Regiam Vestram Maiestatem meum, quo ei in omnibus possibilibus morem gerere vehementer cupio, facile correxit, ut tandem instrumenta ea in honorem S. Regiae Vestrae Maiestatis Regiomonti deponi sim passus, donec S. Regia Vestra Maiestas, quo illa perferri a praefato Antonio porro velit, clementi responso declaret. Ego hoc S. Regiae Vestrae Maiestati significandum esse censui. Quam diuturna valetudine felicissimisque rerum successibus frui exopto. Datae ex Novo Castro etc.

Enoch Baumgartner

N. 5792.

Ex Novo Castro, 3.X.1564.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwiłł, palatino Vlnensi, M.D.L. cancellario, quid Christophorus Ottendorff, civis Regiomontanus, a se petiverit et quid ipse in eius causa ad vices tenentem ipsius Caunam scripserit, ex scheda litteris inclusa eum intellecturum esse scribit; rogat, ut subditorum suorum clementem rationem habeat («ut aut solutio vigore literarum Illustritatis Vestrae illis praestetur, aut cum Iudaeis nomine Illustritatis Vestrae transigatur, vel si quid aliud fieri eo in negotio Illustritas Vestra velit, praefecto suo Caunensi demandet»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 154.

N. 5793.

Ex Novo Castro, 3.X.1564.

Albertus dux in Prussia

praefecto Caunensi

pro Christophoro Ottendorff, cive Regiomontano, cui civis quidam Vlnensis, Zena Zerecki nuncupatus, certam pecuniae summam debet et solvendo in termino Gedani assignato non fuit, intercedit et rogat, ut auctoritatem suam pro eo interponat, «ut aut solutio vigore literarum Domini Ducis Olicensis praestetur, aut cum Iudaeis transigat, donec Dominus Dux, quid fieri cum literis suis velit, rescripserit» (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 155-157.

N. 5794.

Ex Novo Castro, 13.X.1564.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. curiae marscalco,

de teloneis in districtu Jurborgensi, sibi a rege oppignorato, solvendis; de bonis et mercibus, defraudatoribus telonei confiscatis, per dimidiam partem inter telonearios et praefectos suos dividendis.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 158-160.

Ostaphio Volowitz, ex Novo Castro, XIII Octobris anno etc. LXIII.

Albertus etc.

Quibus condicionibus districtus Jurburgensis a S. Regia Maiestate Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, nobis oppignoratus sit, Magnificentiam Vestram fugere non arbitramur. Nostri quidem commissarii, quos ad eam actionem ablegaveramus, sub reditum suum nobis exposuerunt, inter cetera hoc quoque constitutum utrinque fuisse:

Quandoquidem S. Regia Maiestas praedicta in tradenda hypotheca sibi vectigalia reservaret, Capitaneos eius loci nostros, si quando usu venerit, ut aliqui itineribus deviis a theloneo deflecterent, a praefectis thelonei in auxilium vocatos, operam suam cum illis coniungere debere, ut eiusmodi defraudatores deprehensi amissione cunctorum bonorum, pro quibus vectigalia non solvissent, dignas poenas luerent. Quorum bonorum dimidia pars una thelonariis, altera vero praefectis nostris cedere deberet. Etsi autem nostri Capitanei paratos ac diligentes ea in re se exhibuerint, tamen id a thelonariis regiis pariter non est factum. Plerumque enim etiam quod ope Capitaneorum nostrorum consecuti sunt, soli retinuerunt.

Accidit autem, ut paucos ante dies a subditis nostris vigilantia Capitanei Ragnetensis aliqui deprehensi sint, qui nonnullos boves noctu per loca a theloneo devia agerent. Hoc comperto, thelonarii dimidiam boum partem postulant. Cum tamen ipsi fere semper eam nobis quodammodo praeeriperint, petimus itaque a Magnificentia Vestra amanter, ut quid aequum hac in re sit, secum expendat, thelonariisque iniungat, ut de iis omnibus, quae hactenus soli receperunt, cum nobis ratione mutui consensus dimidia pars deberetur, nobis satis faciant. Tum quoque haud gravate de bobus, quantum convenit, illis tradi iubebimus. Nos enim commoda S. Regiae Maiestatis propriae utilitati nostrae (quantum eius fieri recte potest) longe praeferre Magnificentia Vestra plane sibi persuadeat velimus. Quam bene valere optamus etc.

Consentiente Principe etc.

N. 5795.

Ex Novo Castro, 15.X.1564.

Albertus dux in Prussia

Antonio Mailleto

ob pestem grassantem se ei, tertium iam mensem Cnipaviae moranti («ubi hoc malum praecipue invaluit et quodammodo radices egit»), aditum ad aulam suam concedere non posse nuntiat; si igitur negotium aliquod, ad regem Galliae [Carolus IX] pertinens, sibi proponere velit, per litteras, «accuratissime obsignatas», id ei facere licere.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 160-162.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

quid in negotio [matrimoniali] ducis Curlandiae per legatos effectum sit, regem ex litteris suis ad vicecancellarium Regni datis, intellecturum esse nuntiat; significat praeterea duces Pomeraniae de pace inter reges Daniae et Sueciae concilianda laborare; suadet, ut rex propter communem tranquillitatem internuntios suos ad huiusmodi tractatus pacis quoque ableget.

(Schedula: pro baronibus a Dohna, ut arcem quandam in Livonia tranquille possidere queant).

Cfr. El. XXXII, N. 952, 968.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 163-166.

Regi Poloniae, XXVII Octobris anno etc. LXIII.

Quid in negotio Illustris Ducis Curlandiae¹⁾ per legatos²⁾, qui ante paucos dies reversi sunt, effectum sit et in quibus terminis id nunc consistat, S. Regia Vestra Maiestas ex Vicecancellario suo³⁾, amico mihi singulariter dilecto, cognoscet, ad cuius Reverendam Generositatem ideo ista perscripsi, ne S. Regiam Maiestatem Vestram literis meis prolixioribus fortasse molestia aliqua afficerem, et quod alias etiam S. Regiam Vestram Maiestatem consilio Reverendae eius Generositatis hac in re usuram esse existimarem. Interea autem certum nuntium accipio, Illustres Pomeraniae Principes⁴⁾ de pace inter duos Reges, Daniae⁵⁾ et Sueciae⁶⁾, concilianda laborare et tantum iam effecisse, ut Serenitates eorum causam suam ipsorum Illustritatum ac consiliariorum utriusque Regni arbitrio commiserint. Quae quidem actio in finibus Regni Sueciae, ubi id Daniam attingit, instituetur.

Quoniam autem procul dubio et S. Regia Maiestas Vestra, tanquam quae cum Serenissimo Danorum Rege foedere devincta est, de suis quoque legatis ad hos tractatus mittendis interpellabitur, rogo S. Regiam Vestram Maiestatem obnixi, eidemque fideliter consulo ac suadeo, ut propter communem tranquillitatem, concordiam ac pacem, quibus S. Regiae Vestrae Maiestati nil unquam charius fuisse scio, internuntios ad hanc pacificationem suos cum sufficientibus mandatis ableget, nec loci ad hanc actionem destinati longinquitate moveatur, clementer secum reputans hanc qualemcumque viarum asperitatem dulcissimis uberrimisque concordiae fructibus multis modis compensatum iri. Sunt enim qui de Rege Suecorum hoc sibi polliceantur fore, ut Serenitas eius, pace firma ac solida undequaque constituta, vires opesque suas omnes adversus barbarum hostem Moschum convertat. Deus omnipotens clementer largiatur, ut rem exoptatus eventus consequatur. Quae autem in pacificatione cavenda esse putem, ante hoc tempus S. Regiam Vestram Maiestatem aliquoties monui ut non arbitrer operae pretium me facturum, si ista denuo hic repetam. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem pro mea erga ipsam fide celare non debui. Quam diutissime salvam ac incolumem conservari ex intimis cordis penetralibus opto atque precor. Datae.

Relatio Cancellarii⁷⁾, idem audivit
Princeps praesente Friderico a Canitz
consensit
Enoch Baumgartner

Schedula etc.

Tota Burggraviorum et Baronum a Dohna, subditorum meorum, familia nunc temporis superstes, supplex mihi exposuit annis praeteritis fratri suo Henrico, qui in proxima adversus Dominum Christophorum Ducem Megapolensem etc. expeditione globo bombardico ictus vitam finivit, eiusque hereditibus omnibus arcem quandam in Livonia, cui Novum Molendinum nomen sit, ab Illustri Curlandiae Duce, tum temporis Magistri titulum adhuc gerente, propter egregiam ipsius operam, quam toti Livoniae adversus hostes illius pugnando fideliter navasset, iure hereditario concessam donatamque esse. Quae donatio postea, cum Livonia protectioni S. Regiae Maiestatis Vestrae se subiiceret, Duxque Curlandiae titulum mutaret, a S. Regia Vestra Maiestate ratificata ac confirmata sit. Esse vero nunc aliquos, qui mortuo Henrico eam arcem a S. Regia Vestra Maiestate exorare attentent. Quam ob rem meam ad S. Regiam Vestram Maiestatem intercessionem, ne id fieret, maiorem in modum praefati Barones petiverunt. Cum itaque res absque dubio ita se habeat et merita ipsius Henrici a Dohna cum erga Livoniam, tum quoque ipsam S. Regiam Maiestatem Vestram (pro qua tandem vitam suam profundero non dubitavit) non obscura extent, ac de ceteris etiam fratribus non minor spes sit, idcirco S. Regiae Vestrae Maiestati hos Barones etiam atque etiam commendo, utque tranquilla istius arcis possessio ipsis relinquatur, studiose peto. Istud beneficii ego subditis meis obsequiis promereri conabor. Et ipsi Barones, in quibus egregia quaedam indoles est, ea S. Regiae Vestrae Maiestatis clementia ad quaecunque onera ac pericula pro S. Regia Vestra Maiestate devincientur. Datum ut in literis.

Enoch Baumgartner

1) Gottardus Kettler.

2) Franciscus Żeliszewski, legatus regis, et Fridericus a Kanitz, legatus ducis Alberti.

3) Petrus Myszkowski.

4) Barnimus IX eiusque nepotes.

5) Fridericus II.

6) Ericus XIV.

7) Ioannes a Kreitzen.

5797.

S.l., 28.X.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

refert, quid legatis regis et sui, ad principes Germaniae missi, de negotio matrimoniali ducis Curlandiae egerint et consecuti sint; suggerit, cuiusmodi litterae ea in re ad marchiones Brandenburgenses et duces Megapolenses a rege dandae sint.

(Schedula: de modo litteras regias ad marchiones Brandenburgenses et duces Megapolenses mittendi; de mutuo sibi a rege reddendo).

Cfr. El. XLI, N. 1938.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 166-175.

Petro Miskowski, XXVIII Octobris anno etc. LXIII.

Internuntius S. Regiae Maiestatis Poloniae etc., Domini nostri etc., Nobilis ac Generosus Franciscus a Silslaw¹⁾, Capitaneus Risenburgensis et in Meslantz²⁾, qui aestate proxime praeterita cum nostro consiliario ac supremo

cubiculario, Friderico a Canitz, in negotio Illustris Curlandiae Principis³⁾ ad quosdam Germaniae Principes mittebatur, legatione diligenter confecta paucos ante dies reversus est. Cum autem ad S. Maiestatem Regiam iter propter invalescentem in plerisque locis pestis luem minus tutum esse existimet, transmissis nobis per dictum consiliarium nostrum responsis ad legationem consecutis, obnixè submissequè rogavit, ut ea S. Regiae Maiestati quam primum reddi curaremus. Quandoquidem igitur nil aequè unquam studuerimus, quam ut S. Regiae Maiestati voluntatem nostram ad quaevis honesta obsequiorum genera propensissimam comprobaremus, idcirco petitioni illius tanto facilius annuimus. Responsa autem ea S. Regiae Maiestati per Reverendam Generositatem Vestram potissimum reddi ideo volumus, quod et S. Regiam Maiestatem consilio Reverendae Generositatis Vestrae in praecipuis quibusque materiis libentissime uti et ipsam Reverendam Vestram Generositatem, quae huic causae maxime faveret, istud oneris non invitam suscepturam esse sciremus.

Etsi autem responsum Domini Iohannis Alberti et Domini Ulrici, fratrum et Ducum Megapolensium, eiusmodi sit, ut generalitate moram aliquam negotio allaturum esse videatur, tamen alter fratrum, Dominus Iohannes Albertus, postea literis manu propria ad nos scriptis hoc pacto mentem suam declaravit, ut id minimum metuendum esse arbitremur, dum inter cetera Illustritas eius scribit, se plerosque ex consiliariis terrestribus (ut vocantur) in eam sententiam, ut suis etiam suffragiis sponsalia ista comprobent, pertraxisse. Cumque omnes cognati, quorum id interesset, una cum consiliariis eodem valde propenderent, negotium hoc optatum, volente Deo, eventum facile consecuturum, modo daremus operam, ut sorori⁴⁾ Illustritatis Suae, quae in nostra et illius potestate tota esset, in donatione propter nuptias satis prospiceretur. Cuius sibi exemplum quam primum transmitti vehementer Illustritas Sua petit. Postea hoc quoque ab Illustritate Sua additur, ne nos dilatio ad festum Paschatis usque (quam alii libenter longiorem constituerent) moveat, sed ut quandocunque nobis videretur, vicissim ea de re instaremus. Tunc nec Suae Illustritatis operam nec studium nobis defuturum esse etc.

Censemus itaque ad negotium promovendum hoc solum reliquum esse, ut S. Regia Maiestas ad Dominum Ioachim Electorem, Dominum Iohannem et Dominum Iohannem Georgium, Marchiones Brandenburgenses, deinde etiam ad praefatos duos Principes Megapolenses, denuo ea de re literas det. Quae quidem nostro iudicio ad singulos Marchiones mutatis mutandis hoc argumento scribi possent. Intellexisse S. Regiam Maiestatem ex internuntii sui relatione, quam faciles quamque benevolas sese Illustritates eorum in re proposita praebuissent, dum Dux Elector Brandenburgicus eiusque filius Dominus Iohannes Georgius, Marchiones, legatum suum internuntio S. Regiae Maiestatis et nostro adiunxissent, idque negotii tanta diligentia apud Domum Megapolitanam adiuvissent, Dominus Iohannes Marchio autem id non minus per literas praestitisset adiuncta gratiarum actione. Quoniam autem S. Regia Maiestas Sua ex responso Ducum Megapolensium animadverteret negotium eas ob causas, quod servitores suos hoc periculoso tempore ed ea, quae ad hanc rem necessaria Illustritatibus eorum viderentur inquirenda, mittere non possent, quodque responsum matris Illustritatum eorum aliquanto obscurius ac generalius esse videretur, ac denique res cum reliquis fratribus ac consanguineis ipsorum communicata non esset, protrahi atque ita definitivam cathegoricamque responsionem ad instantis Paschatis festum usque reiici ac suspendi, quod quidem praeter expectationem S. Regiae Maiestatis Suae contigisset, itaque S. Regiam Maiestatem Suam adhuc

ab Illustritatibus eorum petere ac flagitare, ne gravarentur nunc denuo ea de re ad nominatos Duces Megapolenses et ad matrem eorum quam diligentissime scribere, consulendoque adiuvere, quo S. Regiae Maiestati Suae primo quoque tempore expectatum aliquod responsum daretur, ne illos, quorum interest, ancipites dubiosque diutius tenere cogerentur. Quod futurum esse S. Regia Sua Maiestas omnino statueret, si consideraretur se non minus inclytæ Domus Megapolitanae, quam alterius partis emolumentum hac in re propositum sibi habere, deinde etiam quicquid necessarium ad eam rem videretur, ex nemine, quam ex nobis, rectius cognosci posse, quemadmodum etiam S. Regiae Maiestatis Suae arbitratu res tota, una cum formula donationis propter nuptias, a nobis ad Illustritates eorum modo perscripta esset.

Ad haec responsum Ducissae Megapolensis viduae⁵⁾, quod S. Regia Maiestas Sua vidisset non adeo dubium aut obscurum, imo satis certum atque perspicuum, ac denique negotium ipsum ad omnes, quorum id interesset, quique elocandae Ducissae virginis potestatem haberent, a S. Maiestate Sua Regia perlatum esse, ut fere in solo consensu istorum duorum Principum Megapolensium, maiorum natu, res tota consistere videretur. Quapropter etiam S. Regia Maiestas Sua ad Illustritates eorum literas dedisset, omnino confidens, si et ipsi Marchiones (quemadmodum S. Regia Maiestas Sua peteret) porro instarent, fore, ut Illustritates eorum sine longiore aliqua dilatione coniugium hoc ratum essent habituri. Quod ipsum S. Regia Maiestas Sua vicissim amice gratioseque esset compensatura, et quod semel recepisset, tum Ducissam Megapolensem virginem, tum Ducem Curlandiae sibi commendatissimos habitura etc. cum conclusione.

Ad Duces Megapolenses literae tales fortasse scribi possent, praemissis praemittendis: Praeter spem S. Regiae Maiestatis Suae evenisse, quod negotium hoc ab Illustritatibus eorum in tempus longius prolatum esset, idque tanto magis, quod isti tractatus in primis ad emolumentum inclytæ Domus Megapolitanae suscepti a S. Regia Maiestate fuerint, Dominique consanguinei, ut reciperentur, fideliter suaserint, ac mater denique ipsa haud difficulter in eosdem consenserit, refutatis illis, quae ab Illustritatibus eorum in responso praetenduntur (in modum, ut in literis ad Marchiones). Post illa peti ab Illustritatibus eorum posset, vellent fidelibus consiliis ac suasionibus amicorum suorum tandem locum dare, et quod istis omnibus et singulis placeret, suo etiam consensu sine mora aliqua probare. Et quae praeterea ex superiori-
bus literis his inseri commode poterunt.

Ad Ducissam matrem similiter in exordio gratiarum actio posset institui, postea subiungi: Etsi S. Regia Maiestas ex responso Illustritatis eius consensum nec dubium nec obscurum perspiceret, tamen cum filii eiusdem ob causas supra positas negotium distulissent, rogare Suam Maiestatem Regiam, vellet Illustritas eius porro apertius se declarare, ne filii causa aliqua differendae rei relinqueretur, aut ulla ex parte res per illam stetisse videretur. Facturam Illustritatem eius opus pium et laudata Principe non indignum, praeterquam quod ipsa S. Regia Maiestas Sua filiam Illustritatis eius una cum Duce Curlandiae coniuge singulari favore esset prosequutura. Quid ad istam partem, quae Ducis Christophori ex captivitate dimittendi mentionem facit, rescribendum sit, ipsa S. Regia Maiestas, tum Reverenda quoque Generositas Vestra per se facile viderit.

Atque haec sunt, quae ad conficiendum hoc negotium vim aliquam habitura existimamus, liberum interim S. Regiae Maiestati Reverendaeque Generositati Vestrae relinquentes, ut quod ipsis visum fuerit, addant demant-ve. Vestram autem Reverendam Generositatem amanter rogamus, ut Ducis Curlandiae causam sibi commendatissimam habeat, eamque quibuscunque

potest officiis promoveat et adiuvet, non dubitans ipsum Curlandiae Ducem Reverendae Vestrae Generositati dignas gratias relaturum. Nos quidem mutua benevolentia id officii, quod in nos collatum esse putabimus, quacunque re poterimus, compensaturi sumus. Reverendam Generositatem Vestram diu valere optamus. Datae.

Cancellarius⁶⁾ et Fridericus a Canitz audivere
Enoch Baumgartner

Schedula

Hoc quoque, quod ad celeritatem rei confert, obiter monendum esse censuimus, commodum nobis videri, ut S. Regia Maiestas literas suas, quas ad Marchiones Brandenburgenses et Duces Megapolenses scriptura est, per cubicularium aliquem suum et primum quidem ad Marchiones mittat. Qui postea ipsorum Marchionum scripta, quae in hac causa ab Illustratibus eorum petentur, secum in Megapoliam una cum literis regiis perferat. Cuius quidem rei in epistolis ad Marchiones mentio facienda est, ut suas literas cubiculario regio in Megapoliam perferendas tradant. Sic uno eodemque et brevi temporis intervallo res posset expediri. Literarum autem, quas S. Regia Maiestas ad istos Principes omnes dederit, petimus nobis exempla transmitti.

De mutuo quidem Reverenda Generositas Vestra proximis literis suis nobis respondet, provisuram esse S. Regiam Maiestatem, ut istud nobis reddatur, daturamque operam, ne quod inde damnum ad nos pervenisse videatur. Quod quidem responsum, cum neque tempus neque locum, ubi vel quando nobis satisfieri debeat, contineat, aliquanto est incertius. Cum autem nunc temporis (quod et superioribus literis Reverendae Generositati Vestrae significavimus) ista triginta millia florenorum, unde mutuum id S. Regiae Maiestati dedimus, vicissim a nobis exigantur, nos autem consilium aliud liberandae fidei ac existimationis nostrae, quae non leviter, atque ut alias nunquam, hac in re periclitari videntur, non habeamus, quam ut de solutione facienda instemus. Ideoque Reverendam Generositatem Vestram etiam atque etiam obtestamur, velit porro apud S. Regiam Maiestatem efficere, ut de loco solutionis (quem quidem opportunum) et de tempore (quod breve designari nobis cupimus) quam primum certiores reddamur. Ad Thesaurarium enim Mariaeburgensem⁷⁾ nos remitti hanc ob causam ferre non possumus, quod is neque nunc ullam pecuniam in promptu se habere affirmet, neque tantam summam brevi aliquo tempore colligere possit. Quam ob rem aut certius aliquid hac in re constituatur oportet, aut nos extrema necessitate coacti, ne nomini nostro tam foeda macula, quasi fidem creditori datam fefellissemus, aspergatur, mutuum a fideiussore, Palatino Mariaeburgensi⁸⁾, qua decet severitate exigamus. Quod ipsum quoque parum cum dignitate S. Regiae Maiestatis futurum prospicimus. Speramus autem S. Regiam Maiestatem hanc liberandae fidei tuendaeque existimationis nostrae necessitatem nobis minime imposituram esse, et Vestram Reverendam Generositatem id etiam operam daturam plane confidimus. Quae nos pro eo officio non ingratos extitisse perietur. Data ut in literis.

Enoch Baumgartner

1) *Franciscus Żeliszewski.*

2) *Polonice: Międzyzyleż.*

3) *Gottardus Kettler.*

4) *Anna, soror ducum Megapolensium, filia Alberti VI.*

5) *Anna, filia Ioachimi I electoris Brandenburgensis (obiit a.1567).*

6) *Ioannes a Kreitzen.*

7) *Ioannes Kostka.*

8) *Achatius Czema.*

N. 5798.

Poppen, 17.XI.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut Erasmo Kuffel, aerarii sui notario, in Regnum Hungariae misso, ut vina Hungarica ibi empta pro aulae suae necessitate advehat, immunitatem a teloneis in Regno Poloniae secundum pacta utrinque inita concedere velit.
(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 971.

Ostpr. Fol., vol. 57, f. 178.

N. 5799.

Poppen, 17.XI.1564.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Petro Myszkowski]

Erasmum Kuffel, aerarii sui notarium, in Pannoniam mittit, ut vina aliquot Hungarica pro aulae suae necessitate istic empta sibi advehenda curet; rogat, ut immunitatem a vectigalibus, pactis utrinque conventis concessam, servitori suo a rege impetret.

(Latine)

Cfr. El. XXXII, N. 971; El. XLI, N. 1945.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 175-176.

N. 5800.

Poppen, 17.XI.1564.

Albertus dux in Prussia

Iusto Ludovico Decio

rogat, ut Erasmo Kuffel, aerarii sui notario, in Pannoniam misso, ut vina Hungarica ibi coempta in aulam suam advehat, immunitatem a teloneis a rege impetret.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 176-177.

N. 5801.

Olecko, 19.XI.1564.

Albertus dux in Prussia

capitaneo Augustoviensi et, mutatis mutandis, praefecto in Bakalarzewo

de Iudaeo quodam Augustoviensi queritur, qui nulla prorsus lacessitus iniuria nulloque honesto praetextu cuidam ex subditis suis districtus Olecensis 5 tonnas salis vi abstulit; rogat, ut Iudaeum illum ad sal ablatum subdito suo restituendum adigat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 179.

N. 5802.

Olecko, 19.XI.1564.

Albertus dux in Prussia
Iacobo Wolski, praefecto in Bakatarzewo,
nuntiat se ex capitaneo suo Olecensi cognovisse, cuidam subdito suo pagi Ma-
runtzen ab incola quodam oppidi Bakatarzewo equum ademptum esse;
postulat, ut subdito suo damnum resarciendum curet, cum equus ablatus
a novo domino assiduis laboribus adeo confectus sit, ut in posterum illius
usus nullus esse possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 179-181.

N. 5803.

S.l., 28.XI.1564.

Albertus dux in Prussia
capitaneo Caunensi
mittit exemplar litterarum, 3.X. ad eum datarum, quae «propter pestilitatis
luem» ei redditae non sunt, in negotio Christophori Ottendorff et Gottardi
Gotzen (cfr. N. 5793).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 181-182.

N. 5804.

Ioannisburgi, 29.XI.1564.

Albertus dux in Prussia
Iosto Ludovico Decio, aulico regio,
pro armorum, ab Osvaldo Baldner ad usum suum confectorum, visione et de-
scriptione gratias agit.

(Germanice)

Cfr. El. L, N. 595.

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5805.

Ioannisburgi, 30.XI.1564.

Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Carolo IX]
pro lectica et quattuor mulis sibi missis et privilegiis quibusdam concessis
gratias agit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 185-187.

N. 5806.

S.l., 30.XI.1564.

Albertus dux in Prussia
Iob Breitfuss, burggravius Vilnensi, architecto regio,
litteras eius, 24.XI. Augustoviae datas, se accepisse nuntiat; pro perscriptis
novitatibus, etsi horribiles fuerint, gratias agit.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5807.

S.l., 1.XII.1564.

Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislao Ławski]
pro subditis suis Iacobo et Ioanne de Tracze et Georgio et Martino de Bzele,
quibus praefectus in pago Bajtkowo piscaturam in «stagno Bajtkoviano»
prohibet et gravi iniuria eos afficit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 190-191.

N. 5808.

Ioannisburgi, 8.XII.1564.

Albertus dux in Prussia
magistro Conrado Dasypodio, scholae Argentinensis visitatori et professori,
pro benevolentia et humanitate, adolescentibus Pruthenis, vere praeterito Argen-
toratum excolendi ingenii causa missis, exhibita, «universo Professorum
Scholae Argentinensis collegio» gratias agit, praesertim quod «invalescen-
te pestis contagio salutis atque incolumitatis eorum rationem habendam
eosque ad loca tutiora mittendos esse statuerint, viatico etiam eos iuve-
rint»; rogat, ut «de ipsorum diligentia, in literis profectu totaque vita»
crebrius scribat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 191-193.

N. 5809.

Ioannisburgi, 8.XII.1564.

Albertus dux in Prussia
Ioanni Sturmio, scholae Argentinensis rectori,
pro litteris, 3.VII. Argentorati datis, et pro benevolentia et cura, qua adolescentes
Pruthenos, in schola sua bonis litteris ediscendis operam dantes, prosequi-
tur, gratias agit; rogat, ut de eorum in studiis profectu et tota vita, «necnon
quousque in singulis examinibus, quae crebra in Gymnasio vestro haberi
audimus, progrediantur», se certiore reddat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 193-195.

N. 5810.

Ioannisburgi, 12.XII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Annae de Niszczyce, viduae Alexandri Ilowski, palatini Plocensis,
nuntiat se capitaneo suo Olecensi mandasse, ut profugos in praefectura sua
latitantes dimitteret eique restitueret.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, NN. 1941, 1951.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 195-196.

N. 5811.

S.l., 16.XII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Konarski, aulico regio,
pro Henrico Foller, armifactoris suo, qui filium suum, Ioannem Albertum Foller,
in aula Augusti electoris Saxoniae inde ab a. 1559 manentem, domum revo-
care cupit, intercedit et rogat, ut regem hortetur, quo in iuvene Foller ab
electore ad patrem remittendo auxilio esse velit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5812.

Ioannisburgi, 17.XII.1564.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
hortatur regem, ut rerum Livonicarum, praecipue vero civitatis Rigensis, Mosco-
rum insidiis et forte maiori adhuc periculo ex parte magistri Ordinis Theuto-
nicorum expositae, summam rationem habeat.*

*(Schedula: pro Henrico Foller, armifactoris suo, ut rex de filio eius domum
remittendo ad electorem Saxoniae scribat).*

Cfr. El. XXXII, NN. 971, 974.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 196-199.

Regi Poloniae, Johansburgi, XVII Decembris anno MDLXIII.

Etsi non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem ex Illustris Ducis Curlan-
diae¹⁾ literis, quae de rebus Livonicis, praesertim vero de civitate Rigensi
dimissoque a Gubernatore Danico equite Germano, ab Illustritate eius scri-
buntur, abunde intellecturam, eaque in re, quod ipsa prorsus necessitas
exigere postulareque videtur, etiam nullo monitore facturam esse, tamen ad
officium meum magnopere pertinere arbitror, ut ipse quoque S. Regiae Ve-
strae Maiestati qualecunque consilium meum in omnibus rebus, quae ei

periculo esse posse intelligam, communicem. Quapropter S. Regiam Vestram Maiestatem et peto et hortor vehementer, ut rerum Livonicarum, inprimis autem civitatis Rigensis, cui Moschum²⁾ insidias struere eamque quibuscunque artibus sub potestatem suam redigere conari certum est, summam rationem habendam atque gravaminibus, quibus se oppressam esse queritur, quam primum liberandam esse in animum inducat, suosque commissarios ad conficiendam hanc rem citra dilationem aliquam mittat, aut si id propter pestilitatis contagium fieri tam cito per commissarios non potest, quacunque alia ratione curetur.

Ad haec plane metuendum est, ne maius forte periculum isti provinciae a Magistro Teutonico³⁾ quam ab hoste Moscho, cum quo et foedere devinctus est, et contra eam provinciam communi consilio nescio quid adversi molitur, immineat. Habet enim S. Regia Vestra Maiestas procul dubio in recenti memoria, quae iisdem de rebus cognovisse me non ita diu scripsi. Cum itaque fere eadem ad Ducem Curlandiae, quam ad me quoque nunc denuo perlata sint, verendum tanto magis est, ne aliquando inopinatum aliquod malum securos nos obruat, cunctisque periculis mature obviam eundum, pari quoque diligentia cavendum esse statuo, ne eques Germanus a Gubernatore Danico ob indutias cum Sueco factas dimissus, aliumque dominum requirens, ad hostem sese convertat. Quem metum sic sublatum iri existimo, si a S. Regia Vestra Maiestate (quod etiam atque etiam suadeo, et ipsum equitem, etiamsi amplius stipendium, quam fert mos Polonicus, non detur, inprimis cupere audio) mature recipiatur. Faciet S. Regia Vestra Maiestas rem ad sese ipsam mirifice pertinentem, rebus autem Livonicis, nunc temporis turbulentis atque afflictis valde, optime consulat. Ego quidem fidei meae, S. Regiae Maiestati Vestrae debitae, satisfacere hac in re volui, ea fultus spe, S. Regiam Maiestatem Vestram suae ipsius necessitati nusquam defuturam esse. Quam Christo omnipotenti in diutina valetudine conservandam fideliter commendo. Datae etc.

Commissio Principis per Fridericum a Canitz
Idem audivit
Enoch Baumgartner

Cedula etc.

Petiit etiam a me submissee armaturae meae praefectus, Henricus Föller, ut ad S. Regiam Vestram Maiestatem de filio ipsius ab aula Ducis Electoris Saxoniae⁴⁾ avocando, quo ante annos aliquot a S. Regia Maiestate Vestra, ut in exercitiis certaminibusque equestribus institueretur, cum commendationibus missus est, scriberem. Quam rem ut pater petat, eo potissimum movetur, quod et tempus ipsum, quo ibi manere debuit, iam dudum elapsum sit, et filium, quaecunque ea in aula disci in eo genere exercitii possunt, mediocriter percepisse existimet, tum vero maxime, quod veretur, ne optimam iuventutis suae partem nihil agendo, vel a pravo sodalicio corruptus male agendo transigat. Cum itaque hanc curam ipsius, quam pro filio, S. Regiae Maiestati Vestrae devoto, gerit, non possim non aequam censere, rogo S. Regiam Vestram Maiestatem diligentissime, velit eiusmodi literas ad Ducem Electorem Saxonicum scriptas, cum equo et viatico aliquo necnon honorario munere, quod magistro eius S. Regiae Vestrae Maiestatis nomine dari possit, mihi mittere, quo ad parentem et ad S. Regiam Vestram Maiestatem,

nisi aliud ipsi visum fuerit, redire possit. Copiosius autem hac de re S. Regia Vestra Maiestas ex cubiculario suo, Nobili ac Generoso Christophoro Conarski, cognoscet. Cui clementem se S. Regia Vestra Maiestas praebeat, submisso oro. Datum ut in literis.

Enoch Baumgartner

1) *Gottardus Kettler.*

3) *Volfgangus Schutzbar.*

2) *Ioannes IV Basilides.*

4) *Augustus.*

N. 5813.

Ioannisburgi, 17.XII.1564.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro baronibus a Dohna intercedit, praecipue vero rogat, ut «arcem istam, Fridericum a Dohnen ab Ordine olim Theutonico in Livonia propter ipsius egregia in eam Rempublicam merita hereditario iure donatam,... ab heredibus illius alienari ne permittat».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 200-201.

N. 5814.

Ioannisburgi, 17.XII.1564.

Albertus dux in Prussia

Petro Myszkowski, R.P. vicecancellario,

iterum de negotio matrimoniali ducis Curlandiae (cfr. N. 5797).

Cfr. El. XLI, NN. 1938, 1945.

Ostpr. Fol., vol. 57, ff. 201-204.

Petro Miskowski, Johansburgi, XVII Decembris anno etc. LXIII.

Intelleximus ex proximis Reverendae Generositatis Vestrae literis eam petitioni atque voluntati nostrae in negotio Curlandico, S. Regiae Maiestati Poloniae etc., Domino nostro clementissimo et consobrino charissimo, exponendo iuvandoque, abunde satisfacisse. Quae quidem Reverendae Generositatis Vestrae diligentia, cum singulari erga nos studio atque amore coniuncta, cum nobis non posset non gratissima esse, sumus eam porro digna laudatione ad Illustrem Curlandiae Ducem¹⁾ prosequuti, a quo eam debito in loco positum iri nihil plane dubitamus. Ac ut cognitum iucundum quidem id nobis fuit, sedulitate et studio Reverendae Generositatis Vestrae, quae vehementer nobis probantur, effectum esse, ut S. Regia Maiestas, cunctis rebus, quae illi admirationem aliquam afferre potuerunt, neglectis, in eam tandem sententiam se pertrahi passa est, ut denuo literas ad Illustrissimae

Principis²⁾ tutores scribere easque per aliquem puerum suum transmittere non recusarit, sic molestum vicissim hoc nobis admodum accidit, quod scrupulum istum de donatione propter nuptias, quae moram haud brevem impedimentumque non exiguum negotio afferre potuit, illis ipsis literis nostris non caverimus. Tam diu enim est, quod exemplum eius donationis cum in Megapoliam, tum in Curlandiam quoque misimus, ut quotidie nos responsum, praesertim ex Curlandia, accepturos esse confidamus.

A Ducibus Megapolensibus³⁾ enim responsum diutius et ad statutum tempus Paschatis usque suspendi ideo fortasse queat, quod primam legationem nullae literae S. Regiae Maiestatis, quae negotium urgerent, subsecutae sint. Etenim existiment de donatione agi recte non posse, nisi prius, dare-ne sororem suam Duci Curlandiae coniugem velint nec-ne, statuerint. Quamquam autem nos quidem scripserimus, tamen literae regiae plus ponderis atque auctoritatis sunt habiturae. Quam ob rem tota negotii conficiendi ratio in eo consistere potissimum videtur, ut S. Regia Maiestas, si id hucusque propter eum scrupulum factum non est, alteras ad Duces Megapolenses, quanto quidem rectius Duci Curlandiae consultum vult, tanto celerius literas mittat. Nos, ubi responsum ad donationem utrinque fuerit, Regiam Maiestatem nihil eius celabimus ipsamque donationis formulam, in Teutonicam linguam translatam, Maiestati eius Regiae mittemus, ut et ipsa auctoritate ac prudentia sua, quae ad utriusque partis honorem, amplitudinem atque incrementum pertinere videbuntur, statuere possit. Quam quidem missionem propterea differre cogimur, quod scriba noster, cuius opera in scribendis Latinis utimur, quoniam unum tantum apud nos habemus, nunc temporis sit occupatio.

Hoc si apud S. Maiestatem Regiam Reverenda Generositas Vestra effecerit eique rei celeritatem addiderit, erit id nobis sane gratum. Longe autem maximo beneficio Reverenda Generositas Vestra nos sibi devinxerit, si quanto coepit studio, tanto porro elaborare perrexerit, ut nobis pecunia nostra, S. Regiae Maiestati mutuo data, iam nunc absque ulla mora reddatur. Est enim ipsum tempus, quo nos eam pecuniam creditori Lipsiae persolvere debemus, festum scilicet Nativitatis Christi, prae foribus, ut non meminimus alio unquam tempore fidem atque existimationem nostram (quibus quidem nihil prius nihilque carius in vita habuimus) in pari periculo fuisse. Itaque Reverenda Generositas Vestra hanc rem sic intelliget, nobis quidem nullam moram, quae cum fide, fama atque existimatione nostra coniuncta non sit, ullo pacto molestam futuram esse, hanc autem, quoniam sic comparata est, ut nullum consilium persolvendi debiti nobis reliquum sit, non posse nobis non esse molestissimam. Rogamus autem atque obtestamur Reverendam Generositatem Vestram magnopere, ut sua hoc sedulitate atque industria apud S. Maiestatem Regiam nobis effectum reddat, ut ope illius ex difficultate hac longe maxima nos eluctatos esse gloriari possimus. Nostra vicissim officia Reverendae Generositati Vestrae nunquam deerunt. Quam felicem valere cupimus. Datae etc.

Commissio Principis propria per Canitzium
Idem probavit
Enoch Baumgartner

1) *Gottardus Kettler.*

2) *Anna, soror ducum Megapolensium.*

3) *Ioannes Albertus et Ulricus III.*

N. 5815.

S.l., 26.XII.1564.

Albertus dux in Prussia
Osvaldi Baldner, armifactoris regii, filio
nuntiat 400 taleros, patri eius pro armis ad usum suum fusis debitos, Norimbergae numeratum iri; adhuc unum sclopetum sibi a patre eius confici petit.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 46.

N. 5816.

S.l., 30.XII.1564.

Alberti ducis in Prussia vicesgerentes
Osvaldo Baldner, armifactori regio,
nomine principis sui certiozem eum faciunt 400 taleros, pro 3 sclopetis ad usum
ducis fusis ei debitos, non Cracoviae, sed Norimbergae a factore Ottendorffii,
Volfgando Wilsein, eum accepturum esse.
(Schedula: quantum sclopetum sibi confici petit).
(Germanice)
Cfr. El. XLV, NN. 175, 176.
Ostpr. Fol., vol. 46.

ELENCHUS EPISTULARUM

Nr.

Dat.

ALBERTUS DUX IN PRUSSIA:

5489	Sigismundo Augusto regi Poloniae	S.l.	10.I.1563
5501	»	S.l.	16.II.1563
5502	»	S.l.	18.II.1563
5505	»	S.l.	1.III.1563
5506	»	S.l.	1.III.1563
5508	»	S.l.	3.III.1563
5510	»	S.l.	4.III.1563
5511	»	S.l.	6.III.1563
5514	»	S.l.	8.III.1563
5518	»	S.l.	15.III.1563
5522	»	S.l.	26.III.1563
5524	»	S.l.	30.III.1563
5527	»	S.l.	8.IV.1563
5529	»	S.l.	16.IV.1563
5530	»	E Regio Monte	20.IV.1563
5531	»	S.l.	21.IV.1563
5532	»	S.l.	21.IV.1563
5533	»	S.l.	24.IV.1563
5536	»	S.l.	2.V.1563
5537	»	S.l.	2.V.1563
5540	»	S.l.	4.V.1563
5542	»	S.l.	9.V.1563
5544	»	E Regio Monte	13.V.1563
5545	»	S.l.	14.V.1563
5547	»	S.l.	15.V.1563
5549	»	E Regio Monte	17.V.1563
5550	»	S.l.	18.V.1563
5552	»	E Regio Monte	21.V.1563
5553	»	S.l.	22.V.1563
5554	»	S.l.	26.V.1563
5555	»	S.l.	26.V.1563
5556	»	S.l.	26.V.1563
5560	»	S.l.	28.V.1563
5561	»	S.l.	29.V.1563
5562	»	S.l.	5.VI.1563
5565	»	Insterburgi	14.VI.1563
5566	»	»	16.VI.1563
5568	»	Ragnetæ	18.VI.1563
5569	»	»	18.VI.1563
5571	»	»	20.VI.1563
5573	»	»	22.VI.1563

Nr.			Dat.
5574	Sigismundo Augusto regi Poloniae	Vischwillae	27.VI.1563
5581	»	Caunae	9.VII.1563
5583	»	»	11.VII.1563
5584	»	»	11.VII.1563
5586	»	»	12.VII.1563
5590	»	»	17.VII.1563
5591	»	»	17.VII.1563
5592	»	»	17.VII.1563
5593	»	Georgenburgi	19.VII.1563
5596	»	Ragnetæ	21.VII.1563
5599	»	S.l.	2.VIII.1563
5601	»	S.l.	8.VIII.1563
5605	»	S.l.	13.VIII.1563
5606	»	S.l.	13.VIII.1563
5608	»	Instenburgi	19.VIII.1563
5610	»	Romitten	22.VIII.1563
5611	»	Sperling	23.VIII.1563
5612	»	»	29.VIII.1563
5613	»	Angenburgi	30.VIII.1563
5614	»	S.l.	2.IX.1563
5616	»	S.l.	3.IX.1563
5617	»	S.l.	4.IX.1563
5618	»	E Regio Monte	7.IX.1563
5619	»	S.l.	7.IX.1563
5623	»	S.l.	9.IX.1563
5624	»	Preussisch Mark	11.IX.1563
5626	»	In Mariana Insula	15.IX.1563
5629	»	»	17.IX.1563
5631	»	»	26.IX.1563
5632	»	»	28.IX.1563
5634	»	S.l.	5.X.1563
5635	»	S.l.	6.X.1563
5638	»	E Regio Monte	12.X.1563
5639	»	S.l.	13.X.1563
5640	»	S.l.	13.X.1563
5647	»	S.l.	20.X.1563
5653	»	S.l.	29.X.1563
5661	»	E Regio Monte	2.XI.1563
5662	»	S.l.	4.XI.1563
5663	»	S.l.	4.XI.1563
5671	»	E Regio Monte	29.XI.1563
5672	»	S.l.	30.XI.1563
5673	»	S.l.	30.XI.1563
5678	»	S.l.	3.XII.1563
5682	»	S.l.	6.XII.1563
5683	»	S.l.	6.XII.1563
5686	»	E Regio Monte	7.XII.1563
5687	»	»	7.XII.1563
5688	»	S.l.	8.XII.1563
5692	»	S.l.	9.XII.1563
5693	»	S.l.	20.XII.1563

Nr.				Dat.
5694	Sigismundo Augusto regi Poloniae	S.l.		20.XII.1563
5697	»	S.l.		1.I.1564
5703	»	S.l.		13.I.1564
5704	»	S.l.		13.I.1564
5706	»	S.l.		27.I.1564
5710	»	S.l.		13.II.1564
5713	»	S.l.		16.II.1564
5715	»	E Regio Monte		24.II.1564
5716	»	S.l.		5.III.1564
5720	»	S.l.		20.III.1564
5721	»	S.l.		1.IV.1564
5726	»	S.l.		14.IV.1564
5732	»	S.l.		5.V.1564
5734	»	E Regio Monte		8.V.1564
5737	»	S.l.		10.V.1564
5740	»	S.l.		23.V.1564
5746	»	S.l.		7.VI.1564
5749	»	Ex Nova Domo		18.VI.1564
5752	»	»	»	26.VI.1564
5753	»	»	»	26.VI.1564
5756	»	S.l.		30.VI.1564
5757	»	Ex Novo Castro		4.VII.1564
5765	»	»	»	19.VII.1564
5768	»	Ex Nova Domo		27.VII.1564
5769	»	»	»	30.VII.1564
5771	»	»	»	6.VIII.1564
5774	»	»	»	8.VIII.1564
5775	»	S.l.		9.VIII.1564
5776	»	S.l.		12..VIII.1564
5782	»	Ex Nova Domo		25.VIII.1564
5788	»	»	»	18.IX.1564
5791	»	Ex Novo Castro		3.X.1564
5796	»	S.l.		27.X.1564
5798	»	Poppen		17.XI.1564
5812	»	Ioannisburgi		17.XII.1564
5813	»	»		17.XII.1564
5578	Bakfark Valentino	Caunae		4.VII.1565
5724	Baldner Osvaldo	S.l.		6.IV.1564
5816	»	S.l.		30.XII.1564
5815	Baldner, filio Osvaldi	S.l.		26.XII.1564
5806	Breitfuss Job	S.l.		30.XI.1564
5667	«Byliewiczowae Hannae»	E Regio Monte		18.XI.1564
5801	capitaneo Caunensi	Olecko		19.XI.1564
5803	capitaneo Augustoviensi	S.l.		28.XI.1564
5805	Carolo IX	Ioannisburgi		30.XI.1564
5564	«castellanis, dignitariis et officialibus, generalibus iudiciis terrestribus, Varschoviae praesidentibus»	S.l.		9.VI.1563
5628	Catharinae reginae Poloniae	S.l.		16.IX.1563
5650	»	S.l.		23.X.1563
5668	»	S.l.		28.XI.1563

Nr.			Dat.
5730	Catharinae reginae Poloniae	S.l.	2.V.1564
5755	» » »	S.l.	29.VI.1564
5762	» » »	S.l.	10.VII.1564
5579	Chodkiewicz Gregorio	Caunae	6.VII.1563
5585	» »	Caunae	11.VII.1563
5717	» »	S.l.	7.III.1564
5754	» »	Ex Nova Domo	26.VI.1564
5622	Chodkiewicz Ioanni	S.l.	7.IX.1563
5777	Ciechański Sebastiano	S.l.	12.VIII.1564
5665	commissariis regiis in districtu Jurborgensi	S.l.	15.XI.1563
5546	commissariis regiis Varsaviae congregatis	S.l.	14.V.1563
5778	consulibus Cracoviensibus	Ex Nova Domo	12.VIII.1564
5521	consulibus Lomzensibus	S.l.	20.III.1563
5521	consulibus Przasnisiensibus	S.l.	20.III.1563
5778	consulibus Vratislaviensibus	Ex Nova Domo	12.VIII.1564
5731	Cracau Reinholdo	S.l.	2.V.1564
5603	Czapski Sebastiano	S.l.	8.VIII.1563
5808	Dasypodio Conrado	Ioannisburgi	8.XII.1564
5800	Decio Iosto Ludovico	Poppen	17.XI.1564
5804	» »	Ioannisburgi	29.XI.1564
5743	Dembiński Valentino	S.l.	6.VI.1564
5580	Dohna, Henrico a	S.l.	8.VII.1563
5656	Drozdowski Iacobo	S.l.	29.X.1563
5497	Dulski Ioanni	S.l.	4.II.1563
5534	» »	S.l.	1.V.1563
5543	» »	S.l.	11.V.1563
5620	» »	S.l.	7.IX.1563
5649	» »	S.l.	20.X.1563
5675	» »	S.l.	30.XI.1563
5681	» »	S.l.	5.XII.1563
5736	» »	S.l.	9.V.1564
5718	Elisabeth reginae Angliae	S.l.	14.III.1564
5587	Górka, Andreae a	Caunae	12.VII.1563
5587	Górka, Lucae a	»	12.VII.1563
5615	» »	E Regio Monte	2.IX.1563
5587	Górka, Stanislao a	Caunae	12.VII.1563
5600	» »	E Regio Monte	4.VIII.1563
5622	Hajko Ioanni	S.l.	7.IX.1563
5528	Hlebowicz Komajewska Christinae	E Regio Monte	13.IV.1563
5572	Hołowicki, praefecto Caunensi	Ragnetae	21.VI.1563
5655	Hornostaj Gabrieli	S.l.	29.X.1563
5490	Iacobo Heraclidi Basilico	S.l.	22.I.1563
5519	» »	S.l.	18.III.1563
5582	» »	Canuae	10.VII.1563
5622	Iaroslao Matthaedi duci Rapalo- viensi	S.l.	7.IX.1563
5598	Jordan Spytconi	Ragnetae	23.VII.1563
5642	» »	S.l.	15.X.1563
5674	» »	S.l.	30.XI.1563

Nr.			Dat.
5567	Konarski Nicolao	S.l.	16.VI.1563
5760	» »	S.l.	7.VII.1564
5811	» »	S.l.	16.XII.1564
5733	Kuncewicz Abrahamo	S.l.	7.V.1564
5494	Kunheim, Erhardo a	S.l.	28.I.1563
5500	» »	S.l.	5.II.1563
5509	» »	S.l.	3.III.1563
5513	» »	S.l.	6.III.1563
5516	» »	S.l.	12.III.1563
5523	» »	S.l.	29.III.1563
5644	» »	S.l.	16.X.1563
5670	» »	S.l.	28.XI.1563
5705	» »	S.l.	13.I.1564
5712	» »	S.l.	13.II.1564
5728	» »	S.l.	19.IV.1564
5779	» »	S.l.	12.VIII.1564
5786	» »	Neuhausen	13.IX.1564
5709	Lasota Christophoro	S.l.	12.II.1564
5487	Leszczyński Raphaeli	S.l.	7.I.1563
5492	» »	S.l.	post 27.I.1563
5512	» »	S.l.	6.III.1563
5643	» »	S.l.	15.X.1563
5761	» »	E Regio Monte	8.VII.1564
5541	Lismanino Francisco	S.l.	4.V.1563
5520	Lubecki Ioanni	S.l.	18.III.1563
5674	Łaski Nicolao	S.l.	30.XI.1563
5719	Ławski Stanisłao	S.l.	17.III.1564
5723	» »	S.l.	29.III.1564
5807	» »	S.l.	1.XII.1564
5795	Mailleto Antonio	Ex Novo Castro	15.X.1564
5708	Malvetio Aemilio	S.l.	3.II.1564
5633	«Matthiae Schwetlitzki, praefecto in Regrodt»	E Regio Monte	4.X.1563
5699	Mączyński Ioanni	S.l.	1.I.1564
5496	Myszkowski Petro	E Regio Monte	3.II.1563
5559	» »	S.l.	26.V.1563
5604	» »	S.l.	9.VIII.1563
5607	» »	Instenburgi	18.VIII.1563
5609	» »	»	19.VIII.1563
5620	» »	S.l.	7.IX.1563
5621	» »	E Regio Monte	17.IX.1563
5625	» »	S.l.	13.IX.1563
5648	» »	S.l.	20.X.1563
5660	» »	S.l.	1.XI.1563
5664	» »	S.l.	6.XI.1563
5674	» »	S.l.	30.XI.1563
5684	» »	S.l.	6.XII.1563
5685	» »	S.l.	6.XII.1563
5689	» »	S.l.	8.XII.1563
5690	» »	S.l.	8.XII.1563
5696	» »	S.l.	26.XII.1563

Nr.			Dat.
5729	Myszkowski Petro	S.l.	30.IV.1564
5744	» »	S.l.	6.VI.1564
5750	» »	S.l.	18.VI.1564
5751	» »	S.l.	19.VI.1564
5766	» »	Ex Nova Domo	21.VII.1564
5772	» »	» »	6.VIII.1564
5780	» »	S.l.	18.VIII.1564
5789	» »	Ex Novo Castro	18.IX.1564
5797		S.l.	28.X.1564
5799	» »	Poppen	17.XI.1564
5814	» »	Ioannisburgi	17.XII.1564
5598	Myszkowski Stanisla0	Ragnetae	23.VII.1563
5747	Niszczycze, Annae de	S.l.	14.VI.1564
5810	» »	Ioannisburgi	12.XII.1564
5489	Ocieski Ioanni	S.l.	10.I.1563
5512	» »	S.l.	6.III.1563
5658	Olelkowicz Alexandrae	S.l.	30.X.1563
5680	Olelkowicz Georgio	S.l.	4.XII.1563
5658	Olelkowicz Sophiae	S.l.	30.X.1563
5654	Ostrogski Constantino Basilio	S.l.	29.X.1563
5698	Ostroróg Stanisla0	S.l.	1.I.1564
5722	» » »	S.l.	27.III.1564
5674	Padniewski Philippo	S.l.	30.XI.1563
5535	Pohibel Bernardo	S.l.	1.V.1563
5702	Poley Ioanni Appio	S.l.	12.I.1564
5570	«praefectis Welunensi, Wilkenho- fensi, Caunensi»	Ragnetae	18.VI.1563
5793	praefecto Caunensi	Ex Novo Castro	3.X.1564
5707	Pretwicz Iacobo	S.l.	27.I.1564
5739	Pruski Melchioris uxori	S.l.	10.V.1564
5488	Radziwiłł Nicolao «Nigro»	E Regio Monte	9.I.1563
5499	» » »	S.l.	15.II.1563
5503	» » »	S.l.	21.II.1563
5507	» » »	S.l.	1.III.1563
5525	» » »	S.l.	31.III.1563
5539	» » »	S.l.	3.V.1563
5548	» » »	S.l.	15.V.1563
5551	» » »	S.l.	19.V.1563
5557	» » »	S.l.	26.V.1563
5558	» » »	S.l.	26.V.1563
5575	» » »	Caunae	3.VII.1563
5585	» » »	»	11.VII.1563
5597	» » »	S.l.	21.VII.1563
5602	» » »	S.l.	8.VIII.1563
5622	» » »	S.l.	7.IX.1563
5627	» » »	In Mariana Insula	15.IX.1563
5641	» » »	S.l.	13.X.1563
5674	» » »	S.l.	30.XI.1563
5725	» » »	S.l.	8.IV.1564
5726	» » »	S.l.	14.IV.1564
5727	» » »	S.l.	15.IV.1564

Nr.			Dat.
5754	Radziwiłł Nicolai «Rufo»	Ex Nova Domo	26.VI.1564
5759	» » »	» »	6.VII.1564
5787	» » »	S.l.	14.IX.1564
5792	» » »	Ex Novo Castro	3.X.1564
5576	» » »	Caunae	3.VII.1563
5585	» » »	»	11.VII.1563
5627	» » »	In Mariana Insula	15.IX.1563
5679	Rey Nicolao	S.l.	3.XII.1563
5790	» » »	S.l.	26.IX.1564
5646	Rotundo Mieleski Augustino	E Regio Monte	19.X.1563
5784	senatui Caunensi	Ex Nova Domo	5.IX.1564
5700	senatui Posnaniensi	S.l.	7.I.1564
5577	Sieniawski Nicolao	Caunae	4.VII.1563
5595	Sieniawski Procopio	Ragnetae	20.VII.1563
5747	Sienno, Agneti de	S.l.	14.VI.1564
5594	Skaszewski Stanisłao	Georgenburgi	19.VII.1563
5809	Sturmio Ioanni	Ioannisburgi	8.XII.1564
5622	Szymkowicz Ioanni	S.l.	7.IX.1563
5486	Tarło Gabrieli	S.l.	6.I.1563
5495	» » »	S.l.	28.I.1563
5517	» » »	S.l.	12.III.1563
5526	» » »	S.l.	31.III.1563
5630	» » »	In Mariana Insula	18.IX.1563
5652	» » »	S.l.	28.X.1563
5669	» » »	S.l.	28.XI.1563
5701	» » »	S.l.	12.I.1564
5711	» » »	S.l.	13.II.1564
5742	» » »	S.l.	3.VI.1564
5763	» » »	S.l.	10.VII.1564
5748	» » »	Neuhausen	11.IX.1564
5785	» » »	S.l.	14.VI.1564
5764	Tarnowski Ioanni Christophoro	Ex Novo Castro	10.VII.1564
5758	universis	S.l.	s.d.VII.1564
5491	Vergerio Petro Paulo	S.l.	25.I.1563
5563	» » »	S.l.	8.VI.1563
5666	» » »	S.l.	16.XI.1563
5781	» » »	Ex Nova Domo	20.VIII.1564
5651	Waliszewski Petro	S.l.	25.X.1563
5645	Waten, Ioanni a	S.l.	18.X.1563
5801	Wolski Iacobo	Olecko	19.XI.1564
5802	» » »	»	19.XI.1564
5498	Wołłowicz Eustachio	S.l.	11.II.1563
5504	» » »	S.l.	21.II.1563
5515	» » »	S.l.	10.III.1563
5525	» » »	S.l.	31.III.1563
5538	» » »	S.l.	3.V.1563
5558	» » »	S.l.	26.V.1563
5588	» » »	Caunae	12.VII.1563
5589	» » »	»	16.VII.1563
5622	» » »	S.l.	7.IX.1563
5627	» » »	In Mariana Insula	15.IX.1563

Nr.			Dat.
5636	Wołłowicz Eustachio	S.l.	9.X.1563
5676	» »	S.l.	1.XII.1563
5714	» »	S.l.	17.II.1564
5726	» »	S.l.	14.IV.1564
5738	» »	S.l.	10.V.1564
5741	» »	S.l.	23.V.1564
5759	» »	Ex Nova Domo	6.VII.1564
5767	» »	» »	21.VII.1564
5770	» »	S.l.	4.VIII.1564
5773	» »	Ex Nova Domo	6.VIII.1564
5783	» »	» »	28.VIII.1564
5794	» »	Ex Novo Castro	13.X.1564
5745	Zaliński Matthiae	S.l.	6.VI.1564
5493	Zborowski Martino	S.l.	post 27.I.1563
5512	» »	S.l.	6.III.1563
5637	» »	S.l.	11.X.1563
5674	» »	S.l.	30.XI.1563
5691	» »	S.l.	8.XII.1563
ALBERTUS FRIDERICUS, «DUX IN PRUSSIA IUNIOR»			
5677	Nidecki Andreae Patricio	S.l.	2.XII.1563
5659	Ostrogski Constantino iuniori	S.l.	30.X.1563
5657	Ostrogski Constantino Basilio	S.l.	30.X.1563
5659	Ostrogski Ianussio	S.l.	30.X.1563
CONSILIARII ALBERTI DUCIS IN PRUSSIA			
5695	Sigismundo Augusto regi Poloniae	S.l.	20.XII.1563
KREITZEN, IOANNES A			
5735	Ławski Stanisłao	S.l.	9.V.1564

INDEX PERSONARUM ET LOCORUM

In hoc Indice nulla habetur ratio nominum propriorum in Introductione occurrentium. Numeri ad paginas, non ad numeros documentorum remittunt.

Abbreviationes

archiep.	– archiepiscopus	consil.	– consiliarius
can.	– canonicus	ep.	– episcopus
canc.	– cancellarius	opp.	– oppidum
cap.	– capitaneus	pal.	– palatinus
cast.	– castellanus	secr.	– secretarius

A

ADELHAUSER Ioannes, civis et aurifaber Parisiensis, 73.
 ADOLFUS (Adolphus), dux Holsatiae, 10, 11, 32, 84, 153.
 ALBERTUS VI, dux Megapolensis, 224.
 ALBERTUS, dux in Prussia, *passim*.
 ALBERTUS FRIDERICUS, «dux in Prussia iunior», filius ducis Alberti, 134, 140, 151, 156, 158-9, 192-3, 217.
 ALBIS, fl., 98.
 ALDENBOCK, Caspar ab, equitum in Livonia praefectus, 83.
 AMBURGENSIS v. Hamburgensis.
 ANGERBURGUM (Węgorzewo), Angerburgensis, opp. in Ducatu Prussiae, 25, 101-2.
 ANGLIA, 6, 174.
 ANNA, ducissa Megapolensis vidua, uxor Alberti VI, 205, 223-4.
 ANNA, ducissa Megapolensis virgo, filia Alberti VI, 222-3, 231.
 ANNA MARIA Vasa, uxor Georgii Ioannis, palatini Rheni, 89, 90, 93-4.
 ANNA SOPHIA, filia ducis Alberti, uxor Ioannis Alberti, ducis Megapolensis, 15, 149, 170.
 ANTVERPIA, 131.
 ARGENTORATUM (Strassburgum), Argentiniensis, 211, 227.
 ARIANUS, 45.

ARTZEN, comes ab, arcium in Finlandia gubernator, 164.
 AUGUSTOVIA (Augustów), Augusto-
 viensis, 138, 225, 227.
 AUGUSTUS, elector Saxoniae, 84-5, 89, 90, 99, 100, 124, 132-4, 228-30.
 AULACK, Fridericus ab, consil. ducis Alberti, 60-1, 145, 192, 194-5, 205, 213, 216.
 AUSTRIA, 115, 136.

B

BAGGEN Iacobus, admiralus Sueticus, 143.
 BAISEN, Franciscus a, 37.
 BAISEN v. Bażyński.
 BAJTKOWO, pagus in Masovia, 227.
 BAJTKOVIANUM stagnum, 227.
 BAKALARZEWO, opp. in Masovia, 225-6.
 BAKFARK (Backfarck) Valentinus, fidicen regius, 76.
 BALDNER Osvaldus, armifactor regius, 176, 226, 232.
 BALTHICUM mare, 27, 112.
 BARNIMUS IX, dux Pomeraniae, 22-4, 27, 30-2, 42-3, 48-51, 84-5, 100-2, 104, 126, 165-6, 220-1.
 BARTENSTEIN (Bartoszyce), opp. in Ducatu Prussiae, 18.
 BATTAVI, 215.

BAUMGARTEN Erasmus, nuntius ducis Alberti, 25.
 BAUMGARTNER Enoch, secr. ducis Alberti, 13, 22, 32, 76, 164, 171, 173, 178, 188-9, 191, 194-5, 200, 203, 205-6, 212-13, 218, 220-1, 224, 229, 231.
 BAYSEN v. Bażyński.
 BĄŻYŃSKI (a Baisen, Baysen) Georgius, legatus regis Poloniae, 131, 144.
 BENKENDORF Caspar, servitor Christophori ducis Megapolensis, homicida, 124-6.
 BIELEWICZ (Byliewiczowa) Hanna, 147.
 BIELSCENSIS, 183.
 BILDE Franciscus, nob. Danicus, praefectus navis, 141.
 BLUMENSTEIN Christophorus, servitor ducis Alberti, 193.
 BOGNER Henricus, servitor ducis Alberti, 153.
 BOGUSZYN (Bogussen), Boguscheses, villa, 176.
 BOMIŃSKI N., 217.
 BORNHOLMIUM, 143.
 BOSNANIENSIS v. Posnaniensis.
 BRANDENBURGENSIS, 15, 30, 32, 73-4, 78, 84, 89, 99, 126, 142, 149, 165-6, 169-70, 205, 221-2, 224.
 BRATIANENSIS praefectura, 178.
 BREITFUSS Iob, architectus regius, burggravius Vilnensis, 227.
 BRESTIA in Lithuania, Brestensis (Brzestensis), 26, 177.
 BRITANNICUS canis, 168.
 BRUDZEWSKA Elisabeth, de Sieprc, palatina Lanciciensis, 86-7.
 BRUNSVICUM (Brunschwigium, Brunsvigia), Brunsvicensis (Brunschwicensis), 30, 45, 49, 54-5, 57, 69-72, 84, 88-9, 97, 99-102, 105, 108, 111, 114, 116, 118-19, 121, 124, 131, 141, 143-4, 146, 148, 157, 159, 165-6, 181.
 BRZESTENSIS v. Brestia.
 BRZÓZOWSKI Caspar, adolescens, 3.
 BUCHHOLTZ (Pucholtz) Ioannes, civis Regiomontanus, 54, 137, 152, 172, 180-1.
 BUDA (Ofen, Ohfenn), 211.
 BYLIEWICZOWA v. Bielewicz.

BZELE, Georgius de, subditus ducis Alberti, 227.
 BZELE, Martinus de, subditus ducis Alberti, 227.

C

CALISSIENSIS, 106.
 CANICIUS, CANITIUS, CANITZ v. Kanitz.
 CAROLUS IX, rex Galliae, 65-6, 219, 226.
 CAROLUS, dux Lotharingiae, 10.
 CASIMIRUS Jagellonides, rex Poloniae, 16, 20.
 CASPAR, puer, 86.
 CASSUBIA, 16.
 CATHARINA Austriaca, regina Poloniae, 3, 8, 10, 17, 22, 26, 28, 118-19, 121, 137-8, 147, 164, 167, 170, 178-9, 182, 190, 193, 208-11.
 CATHARINA Jagellonica, ducissa Finlandiae, 22, 24, 89, 90, 121-3, 126-7, 142-3, 165-6.
 CAUNA (Cawen), Caunensis, 5, 14, 35, 56, 61-2, 64, 68-71, 73-83, 85, 104, 108, 127, 130, 178-9, 207, 218, 226.
 CHODKIEWICZ Georgius, incisor M.D.L., 140.
 CHODKIEWICZ Gregorius, cast. Trocensis, *postea* Vilnensis, 77, 80, 174, 190.
 CHODKIEWICZ Ioannes, dapifer M.D.L., cap. Samogitiae, 114.
 CHOJNICE (Conitz), opp. in Prussia Regali, 120-1.
 CHRISTIANA RESPUBLICA (Christenheit), 23, 30, 56, 65, 99, 128, 156, 209, 211.
 CHRISTOPHORUS, dux Megapolensis, coadiutor Rigensis, 10-12, 14, 15, 24, 28-9, 38, 40-1, 50-1, 57-8, 66-7, 73-4, 94, 96-7, 106-7, 117-18, 125, 148-9, 169, 199, 204-5, 211, 215, 221, 223.
 CHRISTOPHORUS, dux Wirtembergensis, 65-6.
 CHURLANDIA v. Curlandia.
 CIECHAŃSKI Sebastianus, cubicularius regius, 113, 155, 183, 204.
 CLEFELDT Georgius, consul Gedanensis, 130.

CLEIPODIENSIS (Memelensis, Mime-
lensis) districtus, 52.
CLIVIENSIS (Clevensis), 182, 196.
CNIPAVIA (Kneiphof), 219.
CNISSINUM (Knitzin), Cnissinensis,
138, 208-9.
CONARSKI v. Konarski Christophorus.
CONDÉ v. Henricus I.
CONFLUENTIA (Koblenz), 197.
CONITZ v. Chojnice.
COPPENHAGIUM, Copenhagensis civi-
tas v. Hafnia.
CORCYRAEUS v. Lismaninus.
COSS, COSSIUS v. Koss.
COVALIENSIS, 86.
CRACAU (vel Crocau) Reinholdus,
praefectus Polangensis, Krettin-
gensis et Gorzdinensis, 179.
CRACOVIA, Cracoviensis, 7, 20, 35, 88,
106, 127, 129, 135-6, 150, 155, 161,
204, 232.
CULMENSIS, 96, 138, 202-3.
CULMENSIS pal. v. Działyński Ioannes.
CURIO Horatius, aulicus ducis Alber-
ti, 167-8.
CURLANDIA (Churlandia), Curlandi-
cus, 50-1, 58, 67-8, 73-4, 84-5, 94-
5, 97, 107-8, 110, 132-3, 171, 181,
187-9, 199, 215, 220-4, 228-31.
CURLANDIAE dux v. Gottardus Kettler.
CZAPSKI Sebastianus, 91.
CZEMA (Zema, Zemen) Achatius, pal.
Marienburgensis, 9, 10, 17-20, 32-
4, 36, 46-7, 49, 53, 57-60, 64, 68-9,
94, 97, 120-1, 123, 138-9, 149-50,
176, 190-1, 210-11, 216, 224.

D

DAHLEN (Dalen), castrum in Livonia,
94.
DAMAZOWSKI v. Domaszewski.
DAMERAU (Dąbrowski), Ioannes a, 20.
DAMERAU (Dąbrowski), Hugo a, 20.
DAMITZ, opp. in Germania, 98.
DANIA, Dani, Danicus, 17, 23, 27, 42,
50, 57-9, 66-7, 84, 88-90, 95-9, 103,
107-10, 112, 115, 121-4, 126, 132-
3, 141, 143, 148, 152-3, 157, 165-6,
189, 198, 214-15, 220, 228-9.
DANTISCUM, DANTISCANUS, Dantzka,
Dantzick etc. v. Gedanum.

DARGITZ Caspar, scribe Cancellariae
ducis Alberti, 209.
DASYPODIUS Conradus, visitator et
professor scholae Argentinensis,
227.
DAUBMANN (Daubmannus) Ioannes,
typographus Regiomontanus, 164,
177-8.
DĄBROWSKI v. Damerau.
DECIUS Iostus Ludovicus, aulicus re-
gius, 225-6.
DEMBIŃSKI Valentinus, R.P. canc.,
183.
DIRSOVIA (Dirschaw, Tczew), opp. in
Prussia Regali, 119, 121.
DOBLINENSIS, Doblinese territorium
in Livonia, 181-2, 187-8.
DOBLINENSIS commendator v. Reck
Matthias.
DOHNA, burggravii et barones a, 70,
220-1, 230.
DOHNA (Dona, Donen) Achatius,
burggr. et baro a, cap. in Morun-
gen, 15, 38, 43, 51, 73-4.
DOHNA (Dohnen) Fridericus, burggr.
et baro a, 17, 230.
DOHNA (Donen) Henricus, burggr. et
baro a, 43, 57-8, 77, 221.
DOMASZEWSKI (vel Damazowski) Ni-
colaus, vicecap. Grodnensis, 163,
190.
DORPTENSIS v. Tarbatensis.
DROZDOWSKI Iacobus, cap. Visnensis,
140.
DULSKI Ioannes, cap. Rogosnensis,
aulicus regius, 8, 37, 49, 113, 137,
150, 152, 180.
DUNEMUNDENSES, 39.
DZIAŁYŃSKI Ioannes, pal. Culmensis,
96, 138-9, 202-3.

E

EGPERTH Lucas, civis Caunensis, 127.
ELBINGA, Elbingensis, opp. in Prussia
Regali, 68, 84-5, 200-1, 207.
ELEPHAS, admiralus Sueticus, 142.
ELISABETH I, regina Angliae, 6, 174.
ELSBURGUM (alias Nielöss), Elsbur-
gensis, arx in Suecia, 141, 143.
EMDEN (Ende), Conradus ab, magi-
ster equitum Erici XIV regis Sue-
ciae, 187.

ENWALDT Hieronymus, subditus ducis Alberti, 56.

ERICUS XIV, rex Sueciae, 11, 12, 22-4, 27, 29, 30, 34, 36, 39, 40, 42-3, 48-51, 53, 55, 69, 84-5, 88-90, 92-4, 97-100, 103-4, 107-13, 115-16, 121-5, 132-4, 141-3, 152-3, 165-6, 169-71, 187-8, 211-12, 214-16, 220-1.

ERICUS II, dux Brunsvicensis, 30, 43, 48-9, 54-5, 57, 59, 69-72, 84, 88-90, 97-8, 100-5, 108-16, 118-21, 124-6, 131-2, 141, 143-4, 148-9, 157-8.

F

FERBER Constantinus, consul Gedanensis, 130, 217.

FERDINANDUS I, imperator, 9, 10, 41-3, 53, 86-7, 102, 104-7, 112-13, 119-21, 197-8, 208-11.

FIGENAU Michael, civis Gedanensis, 92-3.

FINCK Rupertus, medicinae doctor, medicus regius, 147.

FINLANDIA, 22, 84, 121-2, 124, 126-7, 132, 134, 141-2, 164-6.

FINLANDIAE dux v. Ioannes.

FISCHHAUSEN, arx in Sambia, 150.

FOLLER Henricus, armifactor ducis Alberti, 228-9.

FOLLER Ioannes Albertus, filius Henrici, 228-9.

FRANCISCANI, 172-3.

FRANCOFORDIA (Francofurtum, Franckfurt) ad Moenum, 9, 10, 131.

FRANTZOSE v. Gallia.

FRAUENBURGUM, Frauenburgensis, opp. in Varmia, 61-2, 96.

FRAUSTADT, Fraustadiensis v. Wscho-wa.

FRIDERICUS II, rex Daniae, 23-4, 27, 50-1, 67, 84-5, 88-90, 95-7, 99, 100, 103-4, 107-13, 115-16, 121-5, 132-4, 141, 143, 148-9, 153, 157, 159, 165-6, 198, 200, 214-16, 220-1.

FRIDERICUS, cubicularius regius, 82.

FRIDEWALD (Fridevaldus) Michael, civis Elbingensis, 84-5.

FRISCHES HAFF v. Recens mare.

FRISIUS equus, 139.

FRYDRYCHOWSKI Ioannes, servitor Bernardi Pretwicz, 202.

FÜRSTENBERG (Furstenbergius), Gulielmus a, magister olim Ordinis Livoniensis, 197, 200, 215-16.

G

GALLIA (Francia), Gallus (der Frantzose), Gallicus, 6, 9, 17, 65, 174, 210, 219, 226.

GANS Balthasar, secr. ducis Alberti, 7, 10, 164, 209, 211.

GANS Ioannes, servitor Christophori ducis Megapolensis, 205.

GEDANUM (Dantiscum, Dantzick, Dantzka), Gedanensis (Dantiscanus, Dantzker), 5, 16, 27, 31, 35-6, 47-8, 54, 60, 62, 64, 87-90, 92-4, 98, 101, 103-5, 108-9, 111-13, 115, 119-20, 130, 132-3, 141-3, 180, 200-1, 207, 215, 217-18.

GELHOR Michael, civis Regiomontanus, 179.

GELHORN Diprandus, praefectus militum regis Sueciae, 53.

GEORGENBURGUM v. Jurborgum.

GEORGIUS IOANNES, comes pal. Rheni, 89, 93-4.

GERCKE David, scriba Cancellariae ducis Alberti, 10, 22.

GERLACH Ioachimus, civis Vratislaviensis, 191.

GERLICKI (Gerliczki) Stanislaus, 37.

GERMANIA, Germani, Germanicus (Theutonicus), 9, 29, 31-3, 35, 38-9, 41-3, 46-8, 51, 53, 62, 65, 83, 88, 90, 93, 97, 99, 100, 108-9, 111-12, 115-16, 125, 132, 134, 143, 157-8, 171, 174, 187, 197-200, 214, 217, 221, 228-9, 231.

GERMANIA Inferior, 217.

GLOGAU Georgius, subditus ducis Alberti, 127.

GNIEW v. Meva.

GOGITZ Leonardus «maior», scriba Cancellariae ducis Alberti, 121.

GOLUCHOVIA (Gołuchów), 135.

GORZDINENSIS praefectura, 179.

GOTTARDUS Kettler, dux Curlandiae et Semigalliae, 50-1, 58-9, 67-9, 74-5, 84-5, 94-7, 107-8, 110-11, 132-4,

171, 181, 187-9, 199, 200, 215-16, 220-4, 228-31.
 GOTTLANDIA, 142-3.
 GOTZEN Gottardus, 226.
 GÓRKA, Andreas a, 81.
 GÓRKA (comes a Gorcka), Lucas a, pal. Calissiensis, 81, 105-6.
 GÓRKA, Stanislaus a, 81, 91.
 GRADOWSKI Ioannes, tenutarius Dyrwianensis, 77.
 GRIPSHOLMIUM, arx in Suecia, 165.
 GRODNA, Grodnensis, 8, 17, 21, 26, 163, 189, 190.
 GUAGNINUS (Gwagnin) Alexander, rerum gestarum scriptor, 12.
 GUAGNINUS (Guaninus) Ambrosius, rothmagister regius, 10-12.
 GULIELMUS, marchio Brandenburgensis, archiep. Rigensis, 9, 11, 12, 15, 24, 38-9, 41-2, 48-51, 58-9, 66-7, 74-5, 81, 151, 154, 166, 175-6, 192.
 GULIELMUS, dux Cliviensis-Iuliacensis, 181-2.

H

HAFNIA (Copenhagenium, Copenhagensis civitas), 89, 141.
 HAGELSBURG v. Jagiellowa Góra.
 HAJKO Ioannes, agazo Grodnensis, 114.
 HAMBURGENSIS (Amburgensis), 197.
 HARTMANN Balthasar, subditus ducis Alberti, 178.
 HARTMANN Nicolaus, subditus ducis Alberti, 178.
 HASSIA, 42-3, 48, 85, 89, 99, 132-3, 165-6.
 HASSIAE landgravius v. Philippus I.
 HECHT Michael, 190.
 HEILSBERGA (Heilsperg), opp. in Varmia, 18.
 HELMSTEDTE (Helmestad), opp. in Dania, 143, 153.
 HENRICUS II, dux Brunsvicensis, 89, 99, 165-6, 181-2.
 HENRICUS I, dux de Condé, 9, 10.
 HERBIPOLENSIS, 178.
 HERBERSTEIN, Sigismundus ab, 147.
 HEULOSON, arx in Suecia, 122.
 HOFFEN, Michael ab, iuvenis, subditus ducis Alberti, 193.

HOFFMAN D., secr. ducis Alberti, 147.
 HOHENSTEINENSIS, 12, 15, 16, 86, 127.
 HOIT (Hoiten), Ioannes ab, cap. Rastenburgensis, 176.
 HOLLANDT, arx in Ducatu Prussiae, 18.
 HOLSATIA, 10, 12, 31-2, 84, 153.
 HOŁOWICKI, praefectus Caunensis, 73.
 HOMBURG, Daniel Brendel ab, elector Moguntinus, 170.
 HORCK Georgius, servitor ducis Alberti, 136.
 HORN Bartholomaeus, tubicen ducis Alberti, 91.
 HORN Philippus, filius Bartholomaei, 91.
 HORNOSTAJ Gabriel, 139.
 HOSIUS Stanislaus, ep. Varmiensis, card., 184-6.
 HUNGARIA, Hungaricus (Ungerisch), 56, 86-7, 136, 148, 225.

I

IACOBUS Heraclides Basilicus, despotas Sami, pal. Moldaviae, 5, 24, 78, 127-8, 155-6.
 IAROSLAUS Matthaeides, dux Rapaloviensis, 114.
 IŁOWSKI Alexander, pal. Plocensis, 186, 228.
 INSTERBURGUM, Insterburgensis, opp. in Ducatu Prussiae, 66-7, 69, 96-7.
 IOACHIMUS I, elector Brandenburgensis, 205, 224.
 IOACHIMUS II, elector Brandenburgensis, 30, 73-5, 84-5, 89, 90, 99, 100, 165, 166, 170, 222.
 IOANNES, dux Finlandiae, 22, 24, 84, 88, 90, 121-4, 126-7, 132, 134, 141-3, 164-6.
 IOANNES, marchio Brandenburgensis, 126, 222.
 IOANNES, filius Ioannis Alberti ducis Megapolensis, 170.
 IOANNES IV Basilides, m. dux Moscoviae, 27, 34, 36, 102-4, 113, 115-16, 169-70, 197, 200, 215-16, 229-30.
 IOANNES ALBERTUS, dux Megapolensis, 14, 15, 27, 30-2, 42-3, 45, 47-9, 54-5, 57, 59, 70, 74-5, 95, 97, 118,

125, 127, 134, 149, 157-9, 168-70, 194-6, 198, 204-6, 212-13, 216, 222, 231.
IOANNES Georgius, marchio Brandenburgensis, filius Ioachimi II electoris, 222.
IOANNES SIGISMUNDUS Zapolya, «rex Hungariae», 86-7.
IOANNISBURGUM (Johansburgum), arx in Ducatu Prussiae, 226-8, 230.
ISTULA v. Vistula.
ITALIA, Italus, 10, 25, 72, 168.
IUDAEI, 56, 113-14, 161, 163, 189, 218, 225.
IUDEx v. Richter.
IULIACENSIS (Julicensis), 181-2, 196.

J

JAGIELŁOWA GÓRA (Hagelsbergk), prope Gedanum, 119, 121.
JEZIORKOWSKI Iacobus, 140.
JOHANSBURGUM v. Ioannisburgum.
JONAS Christophorus, iuris doctor, consil. ducis Alberti, 46, 49-51, 57-9, 61, 80-1, 85, 91, 93-4, 150-1, 178, 199, 208.
JONAS Iustus, professor in Academia Vitebergensi, 24.
JORDAN Spytco, de Zakliczyn, pal. Cracoviensis, 88, 106, 135, 150.
JULICENSIS v. Iuliacensis.
JURBORGUM (Georgenburgum, Jurburgum, Jurgenburgum), Jurborgensis, 9, 43, 84-5, 145, 150, 196, 200, 202, 219.

K

KANITZ (Canicius, Canitius, Canitz), Fridericus a, consil. ducis Alberti, 8, 19, 23, 96, 121, 126, 131-2, 137-8, 159, 161, 173, 176, 182, 199, 200, 220-2, 224, 231.
KIOVIENSIS pal. v. Ostrogski Constantinus Basilius.
KIRCHOFF Melchior, consul Rigensis, 154.
KIRSTENDORF, Sigismundus a, commissarius ducis Alberti, 145.
KNITZIN v. Cnissinum.
KNOBELSDORFF, Eustachius a, custos et can. Frauenburgensis (Varmiensis), 96.

KNOPF Ioannes, cap. in Preuschmark, 152.
KOCHEL Anna, v. Pruska Anna.
KOMAJEWSKA Hlebowicz Christina, 29.
KOMAJEWSKI Georgius, 29.
KONARSKI (Conarski) Christophorus, cubicularius regius, 230.
KONARSKI (Conarski) Nicolaus, aulicus regius, 69, 192, 228.
KONSECK (vel Kunseck) Ioannes, servitor Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, 151.
KOPP Ioannes, civis Gedanensis, factor regius, 52.
KOSMOWSKI Ioannes, aulicus regius, 180.
KOSS (Coss, Cossius) Thomas, civis Regiomontanus, 52, 56, 66, 113-14, 161.
KOSTKA Ioannes, cast. Gedanensis, thesaurarius terrarum Prussiae, 34, 36, 59, 60, 62-3, 120-1, 216, 224.
KOSTKA Stanislaus, 77.
KREITZEN, Christophorus a, supremus burgravius Regiomontanus, consil. ducis Alberti, 116, 170, 199, 200, 208.
KREITZEN, Ioannes a, canc. ducis Alberti, 4, 14, 30, 32, 37, 60, 63-4, 67, 90, 94, 96, 100, 106, 116, 129-30, 132, 134, 144, 159, 161, 170-1, 173, 180, 182, 188-9, 191, 193, 195, 199, 200, 212-13, 216, 220-1, 224.
KREITZEN (Kreitz), Volfgangus a, cap. Osterodensis, consil. ducis Alberti, 70, 199.
KRETTINGENSIS (Crettingensis) praelectura, 179.
KUFFEL Erasmus, notarius aerarii ducis Alberti, 225.
KUNCEWICZ (Kontzowitz) Abrahamus, 179.
KUNHEIM, Erhardus a, subditus ducis Alberti, servitor reginae Poloniae Catharinae, 8-10, 17, 20-1, 26, 136, 148, 167, 170, 178, 204, 209.
KWIATKOWSKI (Quiatkowski) Martinus, de Różyce, aulicus ducis Alberti, 217.

L

LABIENSIS, 150.
 LANCICIENSIS, 86.
 LANCKAU Conradus, servitor ducis Alberti, 66.
 LASOTA Christophorus, 168.
 LASSKI v. Łaski.
 LATINUS, 97, 174, 231.
 ŁADEK (Landeck), 120-1.
 LEGNICA (Lignitz), 126.
 LEMBSEN, 205.
 LENWART (Linewart), praefectura in Livonia, 154.
 LENZBURGUM, 178.
 LEOPOLIENSIS, 86.
 LESCHNO v. Leszczyński.
 LESGEWANG (LESKEWANG), Melchior a, nob., subditus ducis Alberti, 71, 157.
 LESZCZYŃSKI Andreas, filius Raphaelis, 4.
 LESZCZYŃSKI (a Leschno, Leschinski, Lieschinski) Raphael, cap. Radziejoviensis, 3, 4, 7, 20, 81, 106, 135, 192.
 LICCENSIS districtus, 123.
 LIGNITZ v. Legnica.
 LINEWART v. Lenwart.
 LIPSIA, 53, 131, 231.
 LISMANINUS Franciscus, Corcyraeus, reformator, consil. ducis Alberti, 44-5, 78-81, 135, 177, 208.
 LITHUANIA (Lituania, Lythuania), Lithuanus, Lithuanicus, 5, 9, 26, 52, 54, 63, 69, 86, 88, 91-2, 97, 106-7, 109, 153, 168-9, 171, 198, 201, 203, 207.
 LIVONIA, Livones, Livonicus, Livoniensis, 5, 11, 22-4, 27-9, 31, 33-4, 38-40, 43, 46, 48, 50-1, 57-8, 60-1, 66-8, 73-4, 82-3, 88-9, 95, 103, 107-12, 115, 126, 150, 154, 157-8, 169, 171, 173, 175, 177, 181-2, 187-8, 196-200, 206, 212, 214-16, 220-21, 228-30.
 LODE, arx in Livonia, 171.
 LOHASSER D., secr. ducis Alberti, 147.
 LOMZENSIS districtus, 25, 174.
 LOTHARINGIA, Lotharingii, 10, 84.
 LUBECA (Lubecum), Lubecenses, 143, 196-8.
 LUBECKI Ioannes, 25.
 LUBLINENSIS, 78.

LWOWSKA Ursula, de Sieprc, castellana Covaliensis, 86-7.
 LYBAS Eustachius, 164.
 LYTHUANIA v. Lithuania.

Ł

ŁASKI (Lasski) Ioannes (Ioannes Albertus?), 35.
 ŁASKI Nicolaus, cap. Crasnostavien-sis, incisor regius, 150.
 ŁAWSKI Stanislaus, pal. Masoviae, 174, 176, 180, 227.

M

MAGNUS, dux Holsatiae, 32, 93.
 MAILLETUS Antonius, Gallus, 219.
 MALVETIUS Aemilius, comes Italus, 167.
 MANTUANUS v. Stancarus.
 MARCHIA (Mark, Marckt), 98, 119, 126.
 MARCHOWITZ Lucas, proconsul Vilnensis, 44.
 MARGGRABOWA, Marggraboviensis v. Olecko.
 MARIANA INSULA (Marienwerder, Quidzinum), arx in Pomesania, 117-19, 121, 123.
 MARIENBURGUM, Marienburgensis (Mariaeburgensis, Marienburgisch), 9, 17-20, 32-4, 36-7, 46, 49, 53, 57-9, 62, 64, 68-9, 94, 97, 120, 123, 138-9, 149-50, 174, 190-1, 210, 216, 224.
 MARIENWERDER v. Mariana Insula.
 MARTINUS (Merten), tabellarius, 210.
 MARUNTZKEN, pagus in districtu Ole-censi, 226.
 MASOVIA, 174, 176, 180, 227.
 MAXIMILIANUS, rex Bohemiae et Hungariae, rex Romanorum, 136, 178.
 MAZOWIECKI, servitor Iacobi Pret-wicz, 167.
 MĄCZYŃSKI Ioannes, lexicographus, secr. Nicolai Radziwiłł «Nigri», 75, 163, 177.
 MEGAPOLIA (Meckelburgk), Megapolen-sis, Megapolitanus, 10, 11, 14, 15, 23, 27-8, 30-1, 38, 42, 45-8, 51, 54-5, 57, 70, 73-5, 89, 94-5, 97-8, 100, 102, 117-

19, 126-7, 134, 148-9, 157-8, 168-70, 188-9, 194-6, 198-200, 204-6, 211-13, 215-16, 221-4, 231.
 MELCHIN, opp. in Pomerania, 100.
 MEMESENSIS v. Cleipodiensis.
 MESLANTZ v. Międzyłęż.
 MEVA (Meve, Gniew), opp. in Prussia Regali, 120-1.
 MIELESKI Augustinus Rotundus v. Rotundus.
 MIĘDZYŁĘŻ (Meslantz), 221, 224.
 MIĘDZYRZECENSIS v. Ostroróg Stanislaus.
 MIMELSENSIS v. Cleipodiensis.
 MISKOWSKI v. Myszkowski.
 MOENUS, fl., 10, 131.
 MOGUNTINUS, 170.
 MOLDAVIA, 5, 24, 78, 127-9, 155-6.
 MONCER, MONZERUS v. Muntzer Andreas.
 MORUNGEN (Morąg), opp. in Ducatu Prussiae, 38, 43.
 MOSCOVIA (Moschovia), Moscovitae, Moschi, Mosci, Muscowitter), Moscoviticus (Moschowitticus etc.), 9, 12-15, 20-2, 27, 30, 34, 38-9, 42, 48, 55-6, 67, 82, 91-2, 99, 101-3, 105, 109-11, 113, 115, 120, 124, 129, 156, 168-70, 182, 188, 192, 196-8, 201, 209, 215, 228-9.
 MUNDIUS Lucas Martinides, proconsul Vilmensis, 44-5.
 MÜNSTER, Caspar a, Livoniae olim provincialis marscalcus, 5, 60-1, 154, 177.
 MUNTZER (Moncer, Monzerus) Andreas, secr. ducis Alberti, 170, 186, 193, 199, 201, 203, 217.
 MYSZKOWSKI (Miskowski) Petrus, R.P. vicecanc., 8, 20, 61, 91-2, 96-7, 107, 113-14, 117, 137, 140, 145, 150, 153-5, 161, 175, 178, 183, 188-9, 195, 201, 204-5, 213, 220-1, 225, 230.
 MYSZKOWSKI Stanislaus, cast. Sandomiriensis, 88.

N

NAGŁOWICE v. Rey.
 NARKUSKI Stanislaus, secr. regius, legatus in Livonia, ep. nominatus Samogitiae, 175.

NARUSZEWICZ Stanislaus, cap. Grodnensis, 163, 190.
 NAUGARDIAE comes, 99.
 NEIDENBURGENSIS districtus, 7, 92.
 NEUBURGUM (Neuburgk, Nowe), opp. in Prussia Regali, Neuburgensis districtus, 16, 120-1.
 NEUHAUSEN, NEWHAUS v. Nova Domus et Novum Castrum.
 NEULOSEN, arx in Suecia, 133.
 NIDECKI Andreas Patricius, secr. regius, 151.
 NIELOSS v. Elsburgum.
 NIEMEN (Nemen), fl., 63.
 NIMPTSCH Volfgangus, subditus ducis Alberti, 83.
 NISZCZYCE, Anna de, vidua Alexandri Ilowski, palatini Plocensis, 186, 228.
 NISZCZYCKI Stanislaus, pal. Plocensis, 186.
 NOVA DOMUS (Neuhausen, Newhaus), arx in Sambia, 187, 189-90, 192, 195-6, 201-2, 204-10, 212.
 NOVUM CASTRUM, arx in Sambia, 190-1, 193-4, 213, 217-19 (cfr. Nova Domus).
 NOVUM MOLENDINUM, arx in Livonia, 221.
 NOWA WOLA (Nova Vola), Novawolienses, 9, 200, 202.
 NORIMBERGA, 232.
 NOSTITZ, Caspar a, consil. ducis Alberti, 92.

O

OCCIDENTALE mare, 143.
 OCIESKI Ioannes, R.P. canc., 5, 10, 20.
 ODERA, fl., 126.
 OFEN, OHFENN v. Buda.
 OLECKO (Oletzko, Marggrabowa), Olecensis (Marggraboviensis), opp. in Ducatu Prussiae, 26, 140, 225-6, 228.
 OLELKOWICZ Alexandra, ducissa Slucensis, uxor Constantini Ostrogski, palatini olim Trocensis, 140.
 OLELKOWICZ Georgius, dux Slucensis, 152.
 OLELKOWICZ Sophia, ducissa Slucensis, uxor Georgii Chodkiewicz, M.D.L. incisoris, 140.

OLEŚNICKI (Olyesnietzki) Nicolaus, heres in Pińczów, 81.
 OLIVA (Olive), monasterium prope Gedanum, 119.
 OLYKA, OLYKA, OLYCENSIS dux v. Radziwiłł Nicolaus «Niger».
 OPIPIDUM NOVUM (Nowa Wola?), 196.
 ORISSUNDUM, 143.
 ORTELSBURGENSIS districtus, 25, 92.
 OSILIENSIS episcopatus, 94-5, 108.
 OSNABRUGENSIS dioecesis, 84.
 OSTROGSKI Constantinus Basilius, pal. Kioviensis, 139-40.
 OSTROGSKI Constantinus iunior, filius Constantini Basillii, 140.
 OSTROGSKI Ianussius, filius Constantini Basillii, 140.
 OSTRORÓG Iacobus, 81.
 OSTRORÓG Stanislaus, cast. Międzyrzecensis, 81, 163, 176.
 OSTRORÓG Stanislaus Lwowski, cap. Międzyrzecensis, aulicus regius, 86-7.
 OTTENDORF Christophorus, civis Regiomontanus, 28, 218, 223.
 OTTENDORFIUS, 232.

P

PACKMOHR (Packomorus) Andreas, consil. ducis Alberti, 70, 73.
 PADNIEWSKI Philippus, ep. Cracoviensis, 150.
 PAHIBELL v. Pohibel.
 PANNONIA, 225.
 PARCZOVIA (Partzaw, Partzawa), Partzoviensis (Partzoviensis, Partzowisch), opp. prope Lublinum, 183, 194, 208-9, 213, 216.
 PARISI, Parisiensis, 73, 212.
 PARNOVIA (Perna, Pernavium), arx et opp. in Livonia, 39, 78, 108, 187.
 PETRICOVIA (Petricovium, Petrocovia), Petricoviensis, 3, 7, 8, 10, 14, 18, 19, 31, 36-7, 46, 75, 175.
 PHILIPPUS I, landgravius Hassiae, 42-3, 48-9, 84-5, 89-90, 100, 132-4, 165-6.
 PIESSACK Petrus, Iudaeus Grodnensis, 190.
 PIUS IV papa, 65-6, 95.
 PLOCENSIS, 186, 228.
 PODOLIA, 167.

POES, Adamus de, 196.
 POHIBEL (Pahibell, Pohubel) Bernardus, secr. Gabrielis Tarło, 8, 21, 26, 38, 187, 209-10.
 POLANGENSIS praefectura, 178-9.
 POLENTZ Theophilus, cap. Schonbergensis, 202-3.
 POLEY Ioannes Appius, servitor Stanislai Ostroróg, 163, 165.
 POLOCIA (Polotzko), Polociensis arx, 20-2, 170.
 POLONIA, POLONI, *passim*.
 POŁUBIEŃSKI Alexander, rothmagister regius, 67.
 POMERANIA (Pommern), 22-3, 27, 30-1, 42, 48-50, 84, 98, 100-2, 104, 119-20, 126, 165-6, 220.
 POPPEN (Spychow), villa in Ducatu Prussiae, 225.
 POSNANIENSIS (Bosnaniensis), 164.
 POSONIUM (Pressburgum), Posonien-sis (Presburgisch), 136.
 PRAGENSIS, 204.
 PREMISLIENSIS, 186.
 PRESSBURGUM, PRESBURGISCH v. Posonium.
 PRETWICZ Bernardus, cap. olim Barrensis, Trembovlensis, 167, 202.
 PRETWICZ Iacobus, cap. Trembovlensis, 167.
 PREUSSISCH MARK (Preuschmarck, Preuschmark), arx in Ducatu Prussiae, 59, 87, 116-17, 152.
 PRUSKA Anna, l. voto Kochel, civis Vilnensis, 152, 172, 180.
 PRUSKA Elisabeth, filia Melchioris, 54.
 PRUSKI Melchior, civis Vilnensis, 54, 172, 180-1.
 PRUSSIA, PRUTHENI, *passim*.
 PRUSTKI, villa, 176.
 PRZASNISSIENSIS, 25.
 PUCHOLTZ v. Buchholtz.

Q

QUIATKOWSKI v. Kwiatkowski.
 QUIDZINUM v. Mariana Insula.

R

RADOMIA (Radom), Radomiensis, 26, 119, 136, 147-8, 170, 182, 209, 217.

- RADZIEJOVIENSIS cap. v. Leszczyński Raphael.
- RADZINENSIS districtus in Prussia Regali, 20.
- RADZIWIŁŁ Nicolaus «Niger», dux in Ołyka et Nieśwież, pal. Vilmensis, M.D.L. canc. et marscalcus, 5, 9, 12-14, 16, 28, 43, 54, 56, 61, 75, 80, 82, 88, 91, 114, 117, 135, 150, 163, 175-7, 190, 192, 211, 218.
- RADZIWIŁŁ Nicolaus «Rufus», dux in Birże et Dubinki, pal. Trocensis, 75, 80, 117.
- RADZIWIŁŁ Nicolaus Christophorus, filius Nicolai «Nigri», 211-12.
- RAGNETA, Ragnetensis, arx in Ducatu Prussiae, 44, 64, 69-74, 86-8, 200-1, 219.
- RAJGRÓD (Regrodt), 123.
- RAPALLOVIENSIS dux v. Iaroslau Matthaides.
- RASTENBURGUM, Rastenburgensis, arx in Ducatu Prussiae, 68-9, 176.
- RATZEBURGENSIS dioecesis, 205.
- RAUSCHKI v. Ruskowski.
- RECENS mare (Frisches Haff, Świeża Zatoka), 183-4, 186.
- RECK (Regk) Matthias, commendator Doblinensis, 181, 188.
- REGIOMONTANA Academia, 29, 86.
- REGIUS MONS (Regiomontum, Königsbergk), Regiomontanus, 5, 8, 28, 29, 31-2, 46, 49, 51-2, 54-7, 65, 74, 84, 86, 88, 91, 101, 105-6, 111-12, 114, 123, 130, 136-7, 141-2, 147-9, 152, 154, 161, 164, 170, 172, 178-80, 189, 191-2, 203, 205, 217-18.
- REGRODT v. Rajgród.
- REVALIA, opp. in Livonia, 78, 110.
- REY Andreas, filius Nicolai, 151-2, 217.
- REY Nicolaus, de Nagłowice, poeta, 151-2, 217.
- RHENUS, Rhenensis, 88-9, 92-3, 118, 136.
- RHETIA, 6.
- RHOTOMAGENSIS civitas (Rouen, Roan), 9, 10.
- RICHAW Bartholomaeus, secr. civitatis Regiomontanae, 164.
- RICHTER (Iudex) Matthaeus, concionator in Wschowa, 37, 172-3.
- RIGA, Rigensis, 9-11, 14, 15, 24, 28, 38-9, 41-2, 46, 48, 50-1, 57-8, 66-7, 74, 81, 94-7, 108-8, 118, 124, 135, 148, 151, 154, 166, 168-70, 173, 175, 187, 192, 194-6, 198-200, 206, 211-12, 216, 228.
- RISENBURGENSIS, 221.
- ROAN v. Rhotomagensis civitas.
- ROCH Laurentius, cap. Angerburgensis, 25.
- ROGIENICE, pagus in districtu Lomzensi, 174.
- ROGOSNENSIS cap. v. Dulski Ioannes.
- ROMANUM Imperium, 33, 35, 38, 53, 84, 88-9, 98, 195, 197-8, 214.
- ROMANUS (Römisch), 86, 98, 105, 107, 178, 210.
- ROMITTEN, villa in Ducatu Prussiae, 97-8.
- ROSEN, Reinholdus a, «vasallus archidioecesis Rigensis», 135.
- ROSSA Nicolaus, civis Lomzensis, 25.
- ROSSEN, Michael a, marsc. archiepiscopi Rigensis Gulielmi, 192.
- ROSTOCHIUM, 48, 88-9, 123-4, 132-3, 143, 204-5.
- ROTUNDUS MIELESKI Augustinus, secr. regius, 136.
- ROUEN v. Rhotomagensis civitas.
- RÓŻYCE v. Kwiatkowski.
- RUSSIA, Ruthenus, Ruthenicus, 75, 82, 174, 193, 197.
- RUSZKOWSKI (de Rauschki) Alexander, cap. Soldaviensis, consil. ducis Alberti, 174, 201.

S

- SALATY (Salati), 58.
- SAMBORIENSIS capitaneatus, 76.
- SAMI Despota v. Iacobus Heraclides Basilicus.
- SAMOGITIA, 43, 88.
- SANDOMIRIENSIS, 88, 106.
- SAREMBA v. Zaremba.
- SAXONIA, Saxonicus, 48, 55-6, 84, 89, 99, 124, 132-3, 228-9.
- SAXONIAE elector v. Augustus.
- SBOROWSKI v. Zborowski.
- SCALICHIUS Paulus, Croatus, consil. ducis Alberti, 10, 80-1, 145-7.

- SCHACK (Schak) Venceslaus, de Stangenberg, orator ducis Alberti, 15, 48, 50, 117, 164.
- SCHAUKEN, opp. in Samogitia, 43.
- SCHEMIOTH v. Szemiot.
- SCHENCK Christophorus, baro a, subditus ducis Alberti, 187.
- SCHISMOR v. Żyźmory.
- SCHLEFF Balthasar, subditus ducis Alberti, 163, 189.
- SCHLICHTING Ambrosius, civis Gedanensis, 5.
- SCHLITTEN (Slitten), Franciscus a, civis Lubecensis, 197).
- SCHÖNA (Scania), terra in Dania, 143, 153.
- SCHONBERGENSIS capitaneatus (in Pomesania), 202.
- SCHONENBURGUM, arx in dioecesi Ratzeburgensi, 205.
- SCHULENBURG, Iacobus a, militum ductor, 30.
- SCHUTZ Stephanus, civis Caunensis, 179.
- SCHUTZBAR Wolfgangus, magister gen. Ordinis Theutonicorum, 72-3, 84-5, 197-8, 200, 214, 216, 229-30.
- SCHWABEN, locus in Prussia, 64.
- SCHWANENBURG, arx in Livonia, 151.
- SCHWARTZBURG, comes a, equitum ductor, 84.
- SCHWETLITZKI v. Świetlicki.
- SCIPIO Achilles, servitor ducis Alberti, 138-40.
- SCULTETI (Scultetus) Alexander, can. Varmiensis proscriptus, 25.
- SCULTETUS Ignatius, civis Gedanensis, 130.
- SECLUCIANUS Ioannes, concionator Polonus in Regio Monte, 164.
- SEMIGALLIA (Senigallia), 58, 68, 74.
- SEMIGALLIAE dux v. Gottardus Kettler.
- SESTNENSIS (Szesnensis) praefectura, 180.
- SIBENER Wolterowitz Vinoldus, 174.
- SIENIAWSKI Nicolaus, pal. Russiae, 75.
- SIENIAWSKI Procopius, dapifer Leopoliensis, 86-7.
- SIENNO, Agnes de, vidua Stanislai Niszczczycki, palatini Plocensis, 186.
- SIGISMUNDUS I, rex Poloniae, 16, 18, 19, 81.
- SIGISMUNDUS AUGUSTUS, rex Poloniae, *passim*.
- SIGISMUNDUS AUGUSTUS, filius Ioannis Alberti, ducis Megapolensis, 170.
- SILESIA, 102, 104-7.
- SILSLAW v. Żeliszawski.
- SKASZEWSKI Stanislaus, cap. Jurborgensis, 85.
- SLITTEN v. Schlitten.
- SLUCENSIS dux (ducissa) v. Olekowicz.
- SLUPSK v. Stolpa.
- SOLDAVIA, Soldaviensis praefectura (in Ducatu Prussiae), 3, 4, 7, 192.
- SOLIMANUS II, imperator Turcarum, 127-9, 211.
- SPERLING, locus in Ducatu Prussiae, 99-101.
- STANCARIANUS error, 45.
- STANCARUS Franciscus, Mantuanus, reformator, 44-5.
- STEIFFEL Ioannes, subditus ducis Alberti, 204.
- STENDTRICH Henricus, secr. ducis Alberti, 136.
- STETINUM (Stetinium), Stetinensis, 48, 101, 126.
- STOCKHOLMIUM, 142, 165.
- STOLL (Stollius) Valentinus, servitor ducis Alberti, 49, 150, 180, 183.
- STOLLII, subditi ducis Alberti, 202.
- STOLPA (Slupsk), opp. in Pomerania, 35-6, 47, 49, 62, 111.
- STOPIUS Zacharias, artis medicae licentiat, medicus Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, 166.
- STRADAUNENSIS districtus, 138.
- STROŻE, 135.
- STURMIUS Ioannes, rector scholae Argentiniensis, 227.
- SUCHTEN, Alexander a, medicus ducis Alberti, 25, 130, 154-5, 159.
- SUECIA (Suetia, Swetia, Schweden), Sueci, Suecicus (Suedicus, Sueticus), 11, 12, 22-3, 27-32, 34, 39, 40, 42-3, 48-50, 53-5, 66-9, 78, 84, 88-90, 92-3, 95-9, 103, 107-12, 115, 121-5, 132-5, 141-3, 148, 152-3, 165-6, 169, 171, 179, 187-8, 204-5, 211-15, 220, 229.

SUERIN (Suerinus), Iacobus a, consil. ducis Alberti, 159, 161.
 SYLVIUS Constantinus, secr. ducis Alberti, 166, 173, 207.
 SZALIENSKI v. Zaliński.
 SZELINSKI v. Zieliński.
 SZEMIOT (Schemioth) Melchior, 44.
 SZYMKOWICZ Ioannes, marsc. regius, cap. Tykocinensis, 114.

Ś

ŚWIETLICKI (Schwetlitzki), praefectus in Rajgród, 123.
 ŚWIEŻA ZATOKA v. Recens. mare.

T

TADTER v. Tartari.
 TANCZIN v. Tęczyński.
 TARBATENSIS (Dorptensis), 182.
 TARŁO (Terla, Therla) Gabriel, cast. Radomiensis, magister curiae reginae Poloniae Catharinae, 3, 8, 22, 28, 38, 119, 138, 147, 164, 170, 182, 187, 193, 208.
 TARŁO Nicolaus, signifer terrae Premisliensis, 186.
 TARNOWSKI Ioannes Christophorus, cast. Wojnicensis, 193.
 TARNOWSKI Stanislaus, pal. Sandomiriensis, 106.
 TARTARI (Tadter), 209.
 TASTIUS Ioannes, secr. Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, 175.
 TCZEW v. Dirsovia.
 TENCINENSIS comes v. Tęczyński.
 TERLA v. Tarło.
 TEUTONICUS Ordo v. Theutonicorum Ordo.
 TĘCZYŃSKI (comes in Tanczin, Tencinensis comes) Ioannes Baptista, pal. Belzensis, 141-3, 148-9, 157, 159, 186.
 THEMESFARSKI Franciscus, Hungarus, servitor Procopii Sieniawski, 86.
 THERLA v. Tarło.
 THEUTONICA lingua, Theutonicus sermo v. Germania.
 THEUTONICORUM Ordo (Theutonicus, Teutonicus Ordo), 72, 84, 89, 149, 196-8, 214, 228-30.

TOŁOKAŃSKI (Tollokanski) Thomas, iuuenis, 28.
 TOMICKI (Thomitzki) Ioannes, cast. Rogosnensis, 81.
 TORUNIA (Tuhronia, Turonia), Toruniensis, 4, 7, 68, 101.
 TRACZE, Iacobus de, subditus ducis Alberti, 227.
 TRACZE, Ioannes de, subditus ducis Alberti, 227.
 TRAP Antonius, 217-18.
 TRAUPEL (Trupel), lacus in Pomesania, 202.
 TREMBOVLENSIS, 167.
 TREPKA Anna, vidua Eustathii, 164.
 TREPKA (Trepkau) Eustathius, theologus, concionator Posnaniensis, 164.
 TRIDENTINUM Concilium, 6.
 TROCENSIS, 75, 80, 117, 174.
 TROCENSIS cast. v. Chodkiewicz Gregorius.
 TROCENSIS pal. v. Radziwiłł Nicolaus «Rufus».
 TROSKI Ludovicus, subditus ducis Alberti, 37.
 TRUCHSESS (Truchssius), baro a Waldburg (Waltpurgk), 212.
 TUBINGA, 6, 145.
 TUHRONIA v. Torunia.
 TURCIA, Turcae, Turcicus (Turkisch), 127-8, 155, 211.
 TURONIA v. Torunia.

U

ULRICUS III, dux Megapolensis, 27, 30-2, 42-3, 48-9, 74-5, 95, 222, 231.
 UNGAR Valentinus, 190.
 UNGERISCH v. Hungaria.
 USLARIA (Uslar, Usleria), 144.

V

VALACHIA, 24, 147.
 VARMIIENSIS (Warmiensis), 70, 183-5.
 VARSAVIA (Varschovia, Varsovia, Warschovia), Varsaviensis (Varschoviensis), 46, 52, 66, 138, 140, 145, 149-50, 152, 154, 156-8, 160-1, 165, 167-8, 170, 175-6, 178, 194, 199.
 VEIERANAE copiae, Veieranus exercitus v. Weieranae copiae.

VEIERUS v. Weiher.
 VELIN Iacobus, subditus ducis Alberti, 174.
 VELONA (Velun), Velonensis (Welonensis), 64, 71.
 VENETIAE, 72, 167.
 VERGERIUS Aurelius, I.U. doctor, nepos Petri Pauli, 145-6.
 VERGERIUS Ludovicus, nepos Petri Pauli, 65, 205-6.
 VERGERIUS Petrus Paulus, reformator, 5, 7, 65-6, 145, 147, 205.
 VETUS OPPIDUM (Vetus Civitas) Regiomontanum, 137, 147.
 VIENNA, 136.
 VILCHENHOFEN v. Wilkenhofen.
 VILNA (Wilda, Wilna), Vilmensis, 5, 9, 12, 13, 16, 20, 25, 28, 38, 43-4, 54, 61, 64, 69, 72, 74-5, 77-8, 80, 82, 85, 88, 91-2, 106-7, 111, 113-4, 125, 134-5, 137, 140, 150, 152, 172, 176-7, 180-2, 190, 211, 218, 227.
 VILNENSIS pal. v. Radziwiłł Nicolaus «Niger».
 VISCHWILLA, 73, 75.
 VISTULA (Istula, Weichsel, Weisel), fl., 100-2, 105, 110-13, 115, 120, 124, 135.
 VITEBERGENSIS Academia, 24.
 VOGT Stanislaus, 88.
 VOLKERSAN (Volkersam) Henricus, Livoniensis, 82-3.
 VOLOWITZ v. Wołłowicz.
 VRATISLAVIA, Vratislaviensis, 136, 191, 204.

W

WAGNER Ioannes, secr. Gulielmi a Fürstenberg, 197.
 WALISZEWSKI (Walschewski) Petrus, cap. Cnissinensis, 138.
 WALTPURG (Waldburg) Ioannes Iacobus, liber baro in, praefectus in Fischhausen, 150.
 WARMIENSIS v. Varmiensis.
 WARSCHOVIA v. Varsavia.
 WATTEN (Waten), Ioannes a, civis Cracoviensis, 136.
 WĄSOWICZ Stanislaus, miles et aulicus regius, 92-3, 125, 196.

WEIERANAE copiae, Weieranana expeditio, Weieranus exercitus, Weieranus miles, 58, 64, 66, 70, 77, 108-10, 123, 178.
 WEIGEL (Weigelius) Georgius, theologus reform., 5-7, 65-6.
 WEIHER (Veierus, Weierus) Ernestus, militum ductor, 32-6, 45-7, 49-51, 53, 57-8, 61-2, 67, 69-71.
 WEISEL, WEISSEL v. Vistula.
 WENDA, 11.
 WERDEN, Ioannes a, proconsul et burggr. Gedanensis, 16, 59, 87.
 WERDEN, Ioannes a, iunior, 87.
 WĘGORZEWO v. Angerburgum.
 WIECZWIŃSKI (Wiećwiński, Wietwiński) Ioannes, 12, 15, 16.
 WIECZWIŃSKI (Wiećwiński, Wietwiński) Nicolaus, 127.
 WIKE, Wicensis terra in Livonia, 107-8.
 WIERSKI Stanislaus, 81.
 WIETWIŃSKI v. Wieczwiński.
 WIKWITZ, 73.
 WILDENER Augustinus, senator Gedanensis, 130.
 WILKENHOFEN (Vilchenhofen, Wilki-ja), Wilkenhofensis, 64, 71, 78.
 WILNA v. Vilna.
 WILSEIN Wolfgangus, 232.
 WINTERFELDT Erasmus, cap. Damitzensis, 98.
 WIRTEMBERGENSIS, 65.
 WIŚNIEWIECKI (Wislewetzki, Wisniewietzki) Demetrius, 127-9, 155-6, 165.
 WOJNICENSIS, 193.
 WOLMARIA, 11.
 WOLSKI Iacobus, praefectus in Bakalarzewo, 226.
 WOLSKI Sigismundus, ensifer Cracoviensis, 52, 66, 113, 161.
 WOŁŁOWICZ (Volowitz, Wolowitz) Eustachius (Ostaphius), M.D.L. curiae marscalcus et thesaurarius, 9, 12, 13, 14, 20-1, 28, 43, 61, 81-2, 114, 117, 127, 150, 172, 177, 179, 181-2, 192, 196, 200, 202, 207, 219.
 WSCHOWA (Fraustadt), Wschovensis (Fraustadiensis), 37, 172.
 WUNSCHOWITZ v. Wąsowicz.

Z

ZALIŃSKI (Szalienski) Matthias, supremus cubicularius regius, 183.

ZARECKI Ivanus, thesaurarius regius, 28.

ZAREMBA (Saremba) Stanislaus, 35.

ZBOROWSKI (Sborowski) Martinus, cast. Cracoviensis, 7, 20, 35, 106, 127, 129, 150, 155-6.

ZEBRZYDOWSKI Florianus, cast. Lublensis, 77-8.

ZEMA, Zemen v. Czema.

ZERECKI Zena, civis Vilnensis, 218.

ZEZINSKI v. Życzynski.

ZIELIŃSKI (Szelinski) Adamus, iudex terrae Sandomiriensis, 217.

ZWEIFFEL Christophorus, praefectus Sestnensis, 180.

Ż

ŻELISŁAWSKI (a Silslaw) Franciscus, cap. Risenburgensis, legatus regius, 220-2, 224.

ŻYCZYŃSKI (Zezinski) Albertus, cubicularius ducis Alberti, 193.

ŻYŻMORY (Schismor), opp. in Samogitia, 78.

FINITO DI STAMPARE CON I TIPI DELLA
TIP. EDIGRAF - ROMA - TEL. 8271694
NEL MESE DI GIUGNO 1989

- XXI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, VII pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, 187 doc. (A.D. 1491-1696), 2 tab., pp. VIII+262, 1970.
- XXII — *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS, doc. 183 (A.D. 1535-1588), pp. VIII+210, 2 tab., 1970.
- XXIII — *A. Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, II pars. Doc. NN. 184-319 (A.D. 1598-1772), B. *Documenta Polonica ex Archivo Capitulari in Brisighella*. 63 doc. (A.D. 1578-1588), Ed. V. MEYSZTOWICZ et W. WYHOWSKA DE ANDREIS, p. 297, 2 tab., 1970.
- XXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, III pars. Ed. C. LANCKORŃSKA et G. STEEN JENSEN, 152 doc. (A.D. 1419-1564), pp. VIII+301, 4 tab., 1971.
- XXV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, IV pars. Ed. C. LANCKORŃSKA et G. STEEN JENSEN, 78 doc. (A.D. 1563-1572), 6 tab., pp. VIII+248, 1971.
- XXVI — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 145 doc. (A.D. 1559-1589), 4 tab., pp. VIII+320, 1972.
- XXVII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 262 doc. (A.D. 1589-1612), pp. VIII+377, 1972.
- XXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ et WANDA WYHOWSKA DE ANDREIS, 205 doc. (A.D. 1613-1626), 4 tab., pp. VIII+376, 1972.
- XXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, V pars. Ed. C. LANCKORŃSKA et G. STEEN JENSEN, 139 doc. (A.D. 1578-1630), 5 tab., pp. VIII+376, 1972.
- XXX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, I pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, 447 doc. (A.D. 1525-1548), 9 tab., pp. XV+259, 1973.
- XXXI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, II pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, 447 doc. NN. 448-854 (A.D. 1549-1562), 7 tab., pp. IX+241, 1974.
- XXXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, III pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 855-1237 (A.D. 1563-1572), 10 tab., pp. VIII+268, 1974.
- XXXIII — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, VI pars. Ed. C. LANCKORŃSKA et G. STEEN JENSEN, 140 doc. (A.D. 1632-1699), 5 tab., pp. X+20, 1974.
- XXXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, IV pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1-212 (A.D. 1525-1530), 6 tab., pp. XVI+230, 1975.
- XXXV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, V pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 213-551 (A.D. 1531-1537), 3 tab., pp. X+228, 1975.
- XXXVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VI pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 552-761 (A.D. 1538-1542), 3 tab., pp. VIII+227, 1975.
- XXXVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 762-1501 (A.D. 1543-47), tab., pp. VIII+256, 1976.
- XXXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VIII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1052-1215 (A.D. 1548-49), 6 tab., pp. XII+206, 1976.
- XXXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, IX pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1216-1424 (A.D. 1550-53), 4 tab., pp. VIII+226, 1976.
- XL — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, X pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1425-1724 (A.D. 1554-1559), 3 tab., pp. X+226, 1976.
- XLI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XI pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1725-2009 (A.D. 1560-1566), 4 tab., pp. VIII+226, 1977.
- XLII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 2010-2220 (A.D. 1567-1572), 4 tab., 1977, pp. X+196, 1977.
- XLIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XIII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1-269 (A.D. 1534-1565), 4 tab., pp. VIII+228, 1978.
- XLIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVI pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1-156 (A.D. 1546-1567), 3 tab. pp. VIII+190, 1978.
- XLV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XV pars., Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. NN. 1-197 (A.D. 1525-1572), 6 tab., pp. X+192, 1977.
- XLVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVI pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. 1-72 (A.D. 1525-1535), 4 tab., pp. X+188, 1979.
- XLVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. 173-302 (A.D. 1536-1538), 4 tab., pp. VIII+213, 1979.
- XLVIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XVIII pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. 303-419 (A.D. 1539-1541), pp. VIII+246, 1979.
- XLIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XIX pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. 420-526 (A.D. 1542-1548), 5 tab., pp. VIII+214, 1980.
- L — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XX pars. Ed. C. LANCKORŃSKA, doc. 527-602 (A.D. 1549-1568), pp. VIII+212, 4 tab., 1980.

- LI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXI pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1-258 (A.D. 1525-1528), pp. X+196, 4 tab., 1980.
- LII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXII pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 259-676 (A.D. 1529-1531), pp. X+284, 1981.
- LIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIII pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 677-1081 (A.D. 1532-1534), 2 tab., pp. X+272, 1981.
- LIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIV pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1082-1379 (A.D. 1535-1536), pp. X+241, 1982.
- LV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXV pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1380-1587, (A.D. 1537-38), pp. VIII+190, 1982.
- LVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVI pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1588-1886 (A.D. 1539-40), pp. X+282, 1982.
- LVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVII pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1869-2183 (A.D. 1541-1542), pp. VIII+248, 1983.
- LVIII — *Documenta ex Archivo Cardinalis Ioannis Morone ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Secreto Vaticano asservantur*, I pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1-128 (A.D. 1561-1580), pp. IX+251, 1984.
- LIX — *Documenta ex Archivo Ioannis Morone ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Secreto Vaticano asservantur*, II pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 1588-1868 (A.D. 1560-1544), pp. IX+195, 1984.
- LX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXVIII pars. Ed. C. LANCKORONSKA, doc. 2184-2480 (A.D. 1543-1544), pp. IX+195, 1984.
- LXI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXIX pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 2481-2828 (A.D. 1545-1546), pp. VIII+149, 1985.
- LXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXX pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 2829-3281 (A.D. 1547-1548), pp. VIII+277, 1985.
- LXIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXI pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 3282-3558 (A.D. 1549-1550), pp. VIII+187, 1986.
- LXIV — *Brevia Romanorum Pontificum ad Poloniam spectantia*, vol. I (Brevia saeculi XV). Ed. H.D. WOJTYSKA CP, pp. XV+127, 1986.
- LXV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXII pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 3559-3862 (A.D. 1551-1552), pp. VIII+195, 1986.
- LXVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXIII pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 3863-4197 (A.D. 1553-54), pp. VIII + 240, 1987.
- LXVII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXIV pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 4198-4474 (A.D. 1555-1556), pp. IX + 197, 1987.
- LXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXV pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 4475-4785 (A.D. 1557-1558), pp. VIII + 174, 1988.
- LXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXVI pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 4786-5156 (A.D. 1559-1560), pp. VIII + 210, 1988.
- LXX — *Index personarum* (ad vol. I-XXIX), ed. W. DE ANDREIS WYHOWSKA, C. LANCKORONSKA, L. OLECH, H. WIESIOŁOWSKI, pp. VIII + 166, 1987.
- LXXI — *Index personarum* (ad vol. XXX-LX), ed. W. DE ANDREIS WYHOWSKA, C. LANCKORONSKA, L. OLECH, pp. VII + 164, 1988.
- LXXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXVII pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 5157-5485 (A.D. 1561-1562), pp. VIII + 218, 1989.
- LXXIII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XXXVIII pars. Ed. C. LANCKORONSKA et L. OLECH, doc. 5486-5816 (A.D. 1563-1564), pp. IX + 255, 1989.
- LXXIV — *sub prelo*.

DEPOSITARII:

« International Book Distributors »
LIBRERIA
117-120, Piazza Montecitorio
00186 ROMA

Orbis (London Ltd.)
66, Kenway Road
London S.W 5

Institutum Historicum
Polonicum Romae
19, Via Virginio Orsini
00192 ROMA